# IO. CARIONIS

mathematici Buetickheimē-
ſis Chronicorum libri tres in
Latinum ſermonem conuerſi

*Hermanno Bonno interprete.*

APPENDIX DE RE-
*bus ab anno Chriſti 1532 geſtis ad annū
1550, ex optimis quibuſque Hiſtoricis &
Chronographis à G. Morelio excerpta.*

*Catalogus Regum, Conſulum, Cæſarum,
& Pontificum Romanorum.*

Cum priuilegio.

*PARISIIS,*

*Apud Guilielmum Morelium ſub inſigni
D. Stephani è regione gymnaſij Remēſium.*

1550.

# Extraict du priuilege.

PAr le don & octroy du Roy, il eſt permis à Guillaume Morel, d'imprimer, ou faire imprimer ce preſent liure, intitulé, Ioãnis Carionis, &c. Chronicorũ libri tres, &c. Appendix de rebus ab anno Chriſti 1532 geſtis, &c. Catalogus regum, conſulum, &c. Et eſt faicte inhibition & defence, à toutes autres perſonnes quelconques, ſur peine d'amende arbitraire, & de cõfiſcation de leurs liures, de n'imprimer, ou faire imprimer, ne expoſer, ou faire expoſer en vente au royaume de France ledict liure, ſur la copie & exemplaire dudict Morel, dedans le terme de quatre ans, à compter du iour que ledict liure ſera imprimé, comme il eſt contenu plus amplement en l'original de ces preſentes. Donné à Paris le ſeptieſme iour de Decembre, L'an de grace mil cinq cens quarante ſept, & de ce Regne le premier.

Par le Conſeil.
Signé Guiot, & ſéelle du grand ſeau en cyre iaulne.

BIBLIOTEKA KORNICKA
13904

# GVILIELMVS MOrelius ſtudioſis lectoribus S.

*HVNC Carionis libellum, qui res quaſque geſtas maximas à mundi primordio aptiſſimè complectitur, eo ordine, vt regnorum viciſſitudines, ac in religione variæ mutationes, item certiſſima annorum ratio hinc cognoſci rectè & intelligi poſſit, id eſt, qui vt omnium & bonorum & doctorum manibus noctéſque diéſque verſetur, digniſſimus eſt, typis noſtris chalcographicis commendatum, quàm emẽdatiſſimè fieri poſſit, emittendum curauimus. Itaque prima exẽplaria, & poſteriora aliquot contulimus, ex quibus, itemq́; ex hoc genus ſcriptoribus nõnullis probatiſſimis, locos innumeros emendauimus, ita tamen vt authoris voluntati, mentiq́; nihil detraxerimus, aut ad eã addiderimus, ſed ſi quid mutandũ videretur, aut in tẽporũ adnotatione, aut alijs in rebus, quod cũ authoris ſententia diſcreparet, id ad marginẽ adſcribere maluerimus. Hiſtoriarũ cõpendiũ ad annum 1532 Carion perſecutus tãtum fuerat, nos appendice quadam breui quod inſigne ab eo tẽpore ad hũc*

annum 150 geſtum eſt adiūximus, cum Regum, Conſulum, Cæſarum & Pontificū Romanorum catalogo, quòd is ad hiſtorias omnes intelligendas conducere plurimum videretur. Hoc ſtudium, hanc operam & diligentiam, ſi lectores æqui bonique conſulāt, & illis gratam eſſe ſenſerimus, longè plura maioráque propediē ſunt habituri. Eò enim noſtram curam omnem & induſtriam referendam decreuimus, vt bonarum literarum ſtudioſis, quæ Chriſti eccleſiæ primitiæ ſunt, hac ratione prodeſſe poſſimus. Valete. Lutetiæ Pariſiorū, Calēdis Martÿs, anno Chriſti 1550.

ILLVSTRISSIMO Principi ac Dom. Ioachimo Marchioni Brãdemburgenſi, duci Stetinẽſi, Pomeraniȩ, Caſſubiorũ & Vãdalorum, Burggrauio, Norimbergenſi & Rugiæ principi, Ioannes Carion S. P.

*Illuſtriß. Princeps, D. clementiſſime, poſtquam ſæpißime à me quidam ſingulari ac veteri amicitia familiaritatéque mihi coniuncti contẽderunt, vt epitomen Chronicorum cõficerem, ex qua cuilibet præcipuas & inſignes hiſtorias ordine comprehendere & addiſcere liceret, quæ præterquàm quòd earum cognitio non vulgarem adfert vtilitatem, etiam in primis neceſſariæ ſunt cognitu, volui eorum voluntati morem gerere, & hæc chronica conſcribenda mihi ſumpſi: in quibus pro virili, ordine quàm potuit fieri accuratißimo, monarchias, in quas Deus mũdum iam inde ab initio mirabiliter redactum conſeruauit, &*

alias inſignes res geſtas, mutationéſque quæ ſubinde in imperijs acciderunt, breuiter comprehendere & commemorare ſum conatus. Hoc meum, exiguum ſanè, ſcriptum conſultò ſub clementiæ tuæ patrocinio ac nomine in publicum edere volui, ad declarandam obedientiam ac prōptitudinem animi mei erga te, ſuppliciter orās, vt hunc libellum clementer ſuſcipere digneris, quod fore mihi dubiū non eſt. Tāetſi enim omnia negocia & res geſtæ non ſatis pro dignitate ita vt decebat, explicantur (id quod cōpendij ſtudiū nō ſinebat, & ego in his rebus minus exercitatus non potui id præſtare) hoc tamen perſuaſum habeo, ꝙ ꝓ ſingulari & digna bono principe prudentia, maximopere artibus liberalibus & hiſtoriarū lectione delecteris: ſiquidē perſpectum habes, in his omniū heroicarum virtutū & rerum geſtarum, quæ decent bonos principes, memorabilia exempla depingi ac ꝓponi: quorū plurima hic recenſui admonendi tantùm cauſa. Nam ꝓ tua inſigni & excellenti ſapientia ea omnia altius reputare & expēdere: ac ꝓ innata induſtria ingenijq́; dexteritate melius ac pulchrius exornare & locupletare poteris. Siquidem peculiari quo-

dam eloquentiæ dono à Deo mirificè ornatus es, ſic vt ꝓpter hoc ſingulare ꝓpè & excellẽtiſſimũ donum maximè inclyta & magnifica Brandemburgenſium principũ domus cõmendetur & extollatur. Maiores enim tui, videlicet Marchio Albertus princeps Elector, qui in hiſtorijs optimo iure Germanicus Achilles appellatur, non minorem laudem hinc meruit, ꝙ eloquentiæ ſtudio præ cæteris excelluerit, q̃ ꝙ tot bella ſumma cũ laude & felicitate ꝑ Romano imperio geſſerit ac cõfecerit. Et ea quidem virtus quaſi hæreditaria ſucceſſione ad auum tuũ Marchionẽ Ioãnẽ, deinde ad tuum patrẽ Marchionẽ Ioachimũ principem electorem, ad hæc in patruũ Marchionem & electorem archiepiſcopũ Mogũtinũ, ſingulari quadã & diuina gratia peruenit, & iam in te præter alias heroicas virtutes haud vulgariter lucet ac ſe oſtẽdit. Spero itaq; tuã clementiã hunc librũ clementer ſuſcepturã ac lecturã, vt quæ hiſtorijs melius vti, easq; commodius accõmodare, q̃ ego eas enumerare poſſit. Et me cũ omni obedientia tuæ humanitati ſupplex cõmendo, quã Deus omnipotẽs feliciter ꝑpetuo cõſeruare dignetur

Ex Berlino, anno à nato Chriſto 1531.

# INDEX RERVM MEmorabilium, quæ hoc libello continentur.

## A


ABbatis Ioachimi prædictiones. 475
Abel ob verũ cultũ Dei occiſus, 8
Abia, 47
Abimelech ſcelus, 44
Abraã Nini tẽporibus fuit, 34. ei ꝓmiſsio renouata, 35
Abſalõ impius, 46
Accurſius iuriſconſultus, 400
Achaz, 50
Achilles 63
ab Adã ad Abraam prima ætas, 11
Adã & Heua, 16
is & Seth inuẽtores artium. 19
Adelrichus, 279
Adolphus Cæſar, Comes de Naſſau, 420
Adrianus Cæſar, 237
clemẽs Chriſtianis, ibidem. aſtronomiæ peritus, ibidẽ. Papæ querela cum moreretur, 392 404
Adulationis exempla, 169
Adulterorum pœna, 62. 78. 251.
AEgyptus ornata diſciplinis mathematicis, 240
AEgyptij vnde, 13
eorum regnum, 33
AElia dicta Hieru-

ſalem, 338
AElius Pertinax, 241.
AEneas, 63. de eo vaticiniũ Homeri, 77. Syluius, pontifex, 256
AEoles vnde, 24
AEquinoctiorũ repertor Thales, 106
AEquitatis exempla, 162. 235
AEtates mũdi tres, 10, earum media pars, 47
AEthiopes vnde, 23
AEtius, 290. iniuſtè occiſus, 292
Afflictionũ tẽporalium initium, 17. earum ratio, 39.
Agar, 36
Agareni 301. nomen cur mutauit Mahometes in Saracenũ, 304.
Aggæus, 131
Agrippa ſub quo deuaſtata Hieruſalem, 195
Alagræus moritur, 525.
Alaricus, 275. Romã capit, 276
Albanum regnum euerſum, 77
Albertus Auſtriæ dux, 424. Cæſar, ibidem, 425. Marchio Achilles dictus, 443. Secundus, 447. Magnus, 416
Alcibiades pulſus Athenis, 142. præter hoſpitij ius occiditur, 144, bellicis artibus clarus, ſed irrequietus, ibidẽ.
Alemani 322
Alexander, Amyntæ filius, 114, 115, eius factũ in Perſas im-

pudenter, ibid. Magnus, 155. eius maiores, 157. res geſtæ 163. inſtituitur ab Ariſtotele, 150. Parua manu magnas pugnas in Aſia cõmittit, 159. humanus, 160. diſſolutior factus ex ſecundis rebus, 160. alterã aurem reo ſeruat, 162. eius ꝑfectio in Iudæos, 163. reuerentia erga ſacerdotem Iudæum, ibidem. ex eius regno 4 exorta, 165. 166. iunior Hircani filius, 187. Hircus dicitur Danieli, & cur 25. 155. ſolus vult regnare, 160. audit ſacerdotes Iudæos, 163. Seuerus, 243. Epiſcopus, 260.

Alexãdrina ſchola, 240.

Alfonſus Hiſpaniæ rex & mathematicus, 415, 416, rex Neapolitanus, 457.

Allegoriæ Origenis reiectæ, 242.

Amaſias rex pietatis ſtudioſus, 59

Ambitioſorũ ſupplicia, 63. 105. 165. 308. 375. 358.

Ambroſius de Theodoſio, 270

Amicorum fidelium exemplum, 5.

Amon impius, 54

Amulius, 73

Amurates Turca ĩuadit Hũgariã, 448, fit monachus, 449

Amyntas Macedoniæ rex, 113

Anabaptiſtæ ſeditio

nes excitāt,497. Mo
naſteriēſes,483.497
Angli crudeles, 532.
536.religionis plu-
rima immutāt cō-
tēpto pōtifice,492.
ſeditioſi,505. eorū
rex vxorem repu-
diat,490.512. ca-
pite trūcari iubet,
501.512.eius & re
gis Galli pax, 538
Anni ordinatio, 19,
64.214.
Annorum mundi ta
bula, 484.
Antichriſtus, 178.
eius pars Maho-
met, 304
Antigonus,166.170
Antiochus magnus
172.eius & Roma
norū belli occaſio,
173. Epiphanes
Romæ obſes, ibid.
cur dictus Epima-
nes,175.eius expe-
ditio in AEgyptū,
ibid. in Hieroſoly-
mā,ibid.177.tyrā
nis in ea vrbe,ibi.
Daniele teſte re-
fert Antichriſtū,
ibid. eius pœna ob
impietatem, 180.
Hierax,171. Eu-
pator, 180. Sede-
tes,181.Soter, 170.
Theos,ibid. Gry-
phus, 181. Cyrice-
nus, ibidem.
Antipater,165.Idu
meæ princeps,188.
à Iulio præfectus
Iudææ factus, 192
Antonius,219. Pius,
238. Baſsianus,
242. Antonius à
Prato moritur,501.
de Leua, 475.
Appius impudicus
& tyrannus, 153

ad Aquas mortuas colloquium Cæſaris & regis Galli, 506
Aquiſgrani concilium, 338
Arabes ex Saba, 23
Arbaces, 127
Arbogaſtes, 270
Archelaus ab Auguſto relegatus, 197
Arcadius, 272
Arelatēſe regnū traditum Gallis, 435
Arelonum captum, 519.
de Areopagitis ordinatio Atheniēſium, 363
Areta rex, 188
Argēti fodinæ Miſniæ inuentæ, 254
ad Argeriam infeliciter Cæſar claßem educit, 517
Argyropy. 456
Arideus frater Alexandri, 165
Ariſtobulus, 187
Ariſtoteles, 150. eius natales, ibidē. philoſophia, 242
in Armenia archa Noe ſtat, 22
Arminius, 223
Arnoldus Bauariæ dux, 348.249
Arnolfus, 345
Arrius profeſſor in ſchola Alexādrina, 259. eius mors, 261 præcurſor fuit Mahometis, 262
Arſames. 138
Arſes Ioſeph iunior. 185.
Artium inuentores Adam & Seth. 19
Artabanus Parthorū rex poſtremus, 488.
Artaxerxes Longimanus. 126. Mne-

mon, 137
Aſſuerus, 84
Artiſtona, 127
Aſa abrogauit impiũ cultũ Dei, 47
Aſcanius Iulus, 63
Aſiæruina, 159
Aſſuerus, 127
Aſſyrij vnde, 24. eorũ Monarchia, 29.486.487.
Aſtrologiæ cultor Adã & Seth, 19.
Adrianus Cæſar, 237.
Aſtronomicæ diſciplinæ reuocatæ, 407
Aſtyagis ſomniũ, 87. crudelitas, 89
Ataulphus Gotthorum rex, 276
Athalia crudelis. 48
Athanaſius proſcriptus Treuerim ꝓfugit ex AEgypto, 261.
Athenæ exuſtæ, 124. alter oculus Græciæ, 143. tyrannis adminiſtrãtur xxx, 145. reſtitutæ, 146
Atheniẽſes ſeditioſi, 115. iudices quid iurauerint, 162. pertinacia tempore belli etiã decreto confirmata, 142. deditio, ibidem, impudens adulatio. 169
Atoſſa, 117, 127.
Attila in Germaniã, 291. in Galliã, ibidem. occiſus, 292. flagellum Dei ſe dicebat. ibidem.
Auchianũ caſtrum captum, 502
Auenio vrbs pontificia fit, emptore Clemente VI, 433
Auguſtana comitia, 468.

Auguſtinus Hipponenſis epiſcopus, 287. eius ſententia cõtra Pelagiũ, 271.
Auguſtulus, 293
Auguſtus, 219. adoptatus à Iulio Cæſare, ibid. 220. eius appellatio vnde, ibid. non idem quod Cæſar, 255
Aurea bulla condita, 435
Aureliorũ dux vxorem ducit. 489
Auſtriæ ducatus, 269. eius initium, 393. feudum imperiale, 419
Auſtriacorum principum origo, 419
Azarias qui & Ozias, 50
Azo iuriſconſultus, 388.

B

Babylon Cyro cedit, 95. fit monarchiæ caput, ibidem. ea potitus eſt Darius, 116
Babylonica turris, 22.
Badurius dedit ſe Luſitano regi, 502
Balneorũ oppidũ oppugnatur, 525
Balthaſar rex Babyloniæ impius, 59. 78.
Bambergenſis epiſcopatus fundator, 270.
Brandemburgenſis Marchiæ comites prouinciales, 442
Barbaroſſa naufragium facit, 507
Bartholdus dux Zeringenſis, 400
Bartholus iuriſpe-

ritus, 388
Baſilienſe conciliũ, 446.
Bauariæ ducatus, 280. ducum eius origo, 393. eius & Auſtriæ termini, ibidem.
Bauaricum bellum, 460.
Beda in Anglia, 310
Belliſarius prudens bellator, 280. fidus, 281. 283. 295.
Ben Coſban, 196
Berenice, 171
Bernhardus, pacificus, 286. 390
Bernhardinus Cardinalis contra Iulium papam ſcribit, 463
Berengarius, Foroiulij princeps, 339. 340. 352. Andegauanus de ſacramẽto altaris, 372. damnatus in cõcilio Vercellenſi, 173. eius dogma renouatũ à Zuinglio, 192
de Berna cognomẽtum Dietrichi vnde, 278
Beſſus perfidus, 160
Biblia trãſlata, 182. exuſta, 177, in omnes regiões miſſa, 153
Bohemiæ princeps fit rex, 397. ſubacta à Caroli filio, 335. in ea tumultus cõtra ſacerdotes & monachos. 437. cur princeps eius donatus iure electiuo, 361
Bohemi, Germani, 288. ſeditioſi coercentur, 444

*Bohinum ſolo æquatum,* 526
*Bolonia dedita Anglis,* 536
*Boloniẽſes bello vexati,* 534
*Bombardica ars inuenta,* 458
*Bonifacius vniuerſalis, & ſummus vt eſſet epiſcopus obtinet à Foca,* 300. *vulpes, leo, canis,* 422.
*Bononiæ gymnaſiũ inſtitutum,* 236
*Brabanti in Iuliacẽſes irruunt,* 521
*Brennus dux Galatarum,* 171
*Brixia locuſtis vexata,* 523
*Bruno Saxo.* 358
*Brunſuigcẽſes à Catulis,* 385
*Brutus,* 216
*Bulgari Saracenos cedunt,* 311
*Burbonius Romam inuadit,* 467
*Burggrauij* 442
*Burgundiones fuerũt Saxones,* 268

C

CAEſaris appellatio vnde, 220 *non eadẽ quæ Auguſti,* 255. *Cæſarum Rom. Catalogus,* 567. *Cæſares excõmunicati à põtifice,* 275, 277. 395.
*Cain inſurgit in fratrem,* 18
*C. Caligula,* 227
*Cambyſes,* 85. 107
*Camillus,* 153
*Cananæi vnde,* 25
*Caracalla,* 342
*Cardinalium origo,* 270. *ijs ſolis data eligendi papã poteſtas,*

teſtas. 373

Carignianum captũ 533

Carinus 215

Carnium eſus conceſſus, 22

Caroloſtadius, 466

Carolus Magnus, 314. eius maiores, 321. origo, ibidem. bellum gerit contra Saracenos, ibidem. eius res geſtæ, ibid. occidentis imperator, 334. ventos & menſes nominat, 337. Chriſtianæ religionis amator, ibidem. concilia cogit, ſcholas inſtituit, monaſteria erigit, 336 ius Frãcorũ in ordinẽ redigit. ibid. hiſtorias colligit, et cãtica, ibi. Græcè & Latinè doctus, ibi. Aſtronomiæ deditus, 337. Auguſtinũ legit, ibid. Craſſus, 344. Caluus, 343, eius mors, ibid. Gibboſus, 458 quartus 434, aureæ bullæ author, 435. Burgũdionum princeps, 454. Quintus, eligitur ĩperator, 464. Bononiæ coronatur 468. ꝑ Galliã trãſit ad Gandauos, 510. 511. inter eũ & Gallum regẽ pax, 536. ~~eius liber de cõponẽda religionis diſſenſione,~~ 514.

Carthago an prorſus euertẽda cõſultatio, 203. arſit ſedecim integros dies, 205.

Carus, 254

Caßãdri tyran. 167

Caſſius, 216
Caſtrum Theodoricum captum, 535
Catonis ſententia de euertenda Carthagine, 294. ſeipſum interimit, 214.
Celtæ, 171
Chaldæi vnde, 25
Cham, 23
Cheruſci, 223
Cherinthus ruina domus oppreſſus, 236
Chriſtianorum perſecutio ſub Traiano, 236. Tiberio, 227. Domitiano. 234. Adriano, 238. Decio, 247. Aureliano 251. Diocletian. 252
Chriſti regnũ afflictum ſemper, 8 eius officium, 133. idem mirabiliter ſeruatum, 8. 40. aduentus prædictus, 129. quando natus, 225, baptizatus, 226. crucifixus, ibidem.
Chronici quid ab Hiſtoricis differant, 480.
Cicero, 212. 218
Cimbri Germani à Gomer, 25. 206. eorum pugna cũ Romanis. 207
Cimricæ mulieres infantes ſuos in facies Romanorũ incuſſerunt, 217
Cimberij, Cimbri. 206.
Circunciſio promiſſionis ſymbolũ, 35. quando data, 36
Clytus occiſus ab Alexandro, 161
Codomanus Armeniæ rex, 138
Cœpio, 207
Colũnæ Herculis, 66

Cometæ bellorũ præ nũcij,470.479.ante bellum filiorum, Lotharij,341.tẽporibus Neronis,229 temporibus Conſtantini, 260
Commodus Cæſar, 241.
Concilium Mediolanenſe & Ariminenſe, 264 Conſtãtienſe, 440
Conon dux Perſarũ, 147.
Conradinus, 215. trucidatus ~~conſilio Papæ,~~ 216
Cõradus primus,339 quartus,415.Francus,368. Sapiens, 350. Sueuus,290. contra Saracenos, ibidem.
Conſtans filius Conſtantini, 308
Conſtantienſe concilium, 443
Conſtantinopolis,imperij ſedes, 258. obſeſſa à Saracenis,311. à Turcis capta,452. de ea recuperanda vaticinium, 476
Conſtantinus Leonis filius,312. Pogonatus,309. Heraclij filius,ibidem.
Copronymus, 312. Conſtantini filius, 256. eius donatio, 257. vnà cum matre imperat, ibidẽ. eius ſtudium in cõſeruando euangelio,257. eius & Licinij diſſenſio, 256.
Conſtantius, 255. factus hæreticus, 260.

Cōſules Romani, 151
eorū catalogus, 566
Contarenus legatus papæ, 514
Copronymus Cæſar, 312.
Coſroa Perſarū rex, 300. trucidatus, 301
Creſcētius ob affectatū imperiū ſupplicio affectus, 357
Crœſus rex Aſiæ, 91. crematur, 92. Solonē inuocat, ibidem.
Crux Dominica ad Perſas abducta, 301. reducta Romā, ibid. eius imagines in veſtibus, 460,
Cteſiæ ſupputatio. 486.
Cyprianus martyr, 247.
Cyrillus Iuliano reſpondet, 265.
Cyrus, 86. eius parētes, 87, expoſitus, mirabili fato ſeruatur, 88. regnum inter pueros inſtituit, 89. Babylone potitus, 94. inſtitutus à Daniele, 97, eius dictū, ibid. moriens quæ filijs mādarit, 99. eius genus extinctum, 138.

D

DAmaſcus regia Mahometis, 303.
Dampetrus Claromontanus, 529
Dampmartinus moritur, 499
Daniel adoleſcēs adhuc, abductus eſt in Babyl. 55. conſiliarius Cyri regis Perſarum, 97. eius locus de ſeptē hebdo.

explicatur, 129. 130
locus de Mahomete explicatur, 304
Danuilla ſubacta, 518.
Darius cũ Cyro imperans, 84. in Græciã expeditio quãta, 115. Nothus, 136
vltimus, 139. Artaxerxes Lõgimanus, 85. eius electio hinnitu equi cõfirmata, 111. votũ cũ offerretur ei malũ granatũ, 112. bella in Græcia, 113. qui eſt ab Alexandr. victus, 160 Aries dicitur Danieli, 26. 155.
Daudimphenſis parœcia, 531
Dauid, 46
Decius Cæſar, 246
Decemuiri in Græciam ad leges deſcribẽdas miſſi, 152. iidem depoſiti, 153
Decius Cæſar, 246
Delphica reſpõſa. 71
Delphinus in Germaniam, 450
Demetrius Macedoniæ rex, 168
Deſiderius Lõgobardorum rex, 321.
Didius Iulian. 241
Dietrichus, de Berna 278. 294. Epiſcopatu à põtifice deiectus, 453
Digeſtorũ libri, 295
Diluuium, 20. poſt diluuium, 21
Diocletianus, 254
Dodonæi vnde, 25
Dominandi libido, 74.
Domitianus, 234
Dourieus moritur, 538.

Draconis leges ſanguine non atramẽto ſcriptæ, 103
Druſus, 223
Ducatuũ Germaniæ mutatio, 38
Dura obſeſſa, 521

E

EBrardus dux, 342
Palatinus, 347.
Moſbachius, 427
Ebrioſorum exẽpla. 108.161.
Eccleſiæ initium, 17. eam Deo curæ eſſe, 58.96.164. à Noe ad Abrahã peruenit, 28. afflicta, 8. 177. 178. in ea quid doceri debeat 17. in eam beneficus Otho, 354
Eclipſin primus Thales prædixit, 102. Solaris ingens tempore Gordiani, 245
Edom, 307
Edomitæ vnde, 37
Eduardus Angliæ rex, 432
apud Eguſam pugna 199
Electores imperij inſtituti, 359. ſeptem ſunt numero, 360. quæ eorum vtilitas, 362. 363.
Eliæ diuiſio mundi, 10. 222. 481. is fuit in cœlum ſublatus in media mũdi ætate, 48
Eliſæus, 48
Enoch vrbs, 19
de Ephoris ſtatuta Lacedæmoniorum, 363.
Epiſcopatus conferẽdi ius penes Cæſarem, 274. id ferre non vult Gregorius VII. pontifex,

275.approbat papa Paſchalis,382 ſed poſtea reuocat, ibidem.
Epiſcopi inſtituti ab Othone, 375. ſeditioſi,ibidē.376.
Eraſmus moritur Baſileæ, 503
Erueſtus 368
Eſaias,51. eius mors, 53.
Eſdras Perſicarū rerum peritus, 83. biblicos libros colligit, 136
Eſlinga aquarū inūdatiōe obſeſſa,523
Eſpernaium ſuccenſum, 534
Euphrates, 95
Eſſæi,191. Anabaptiſtas referunt, ibidem.
Eſtēſis dux Borſius, 452.
Eſther, 127
Euangelij prima cōcio, 17
Eudoxia, 287
Eudoxus, 150
Euilmerodach. 59
Exempla mouent, 5. 204.
Ezechias rex pius, 51

F

Fabianus martyr, 247
Famis ingentis exemplum, 57.231
Felix papa Arrianus 264.
Ferdinandus, 470. eius prædictio de delēdis Turcis. 478
Fidei in ꝓmiſſis diuinis exempla,55.59.
Filij in patrem inſurgentes, 278
Flagellatorum ſecta, 433.ſimilis Anabaptiſtarum, ibid.

Flauius Claudius, 249.
Florentini, 437
Focas primatũ Bonifacio concedit, 300. perfidus dat pœnas 301.
Felicitas à deo, 445.
Felix papa Arrianus, 264
Focas, 300
Foſſanum obſeſſum, 498.
Francia Galliæ pars, 322.
Franciſcanorum author, & Dominicanorum mendicãtium, 203
Franciſcus Gallorum rex captus, 464. ducit Leonorã ſororem Caroli V, ibi. moritur, 540. Sfortia moritur. 496
Frãcorum origo, 318 eorum impetus in Germaniã, 319. laudes in hiſtorijs, 520, in Romanos inſurgunt, 249. pugna victi, ibid, eorũ duces à Lothario, 341
Fratrũ diſcordia, 64 74. 109. 137. 181. 263. 341.
Fratricelli Anabaptiſtas referentes, 424.
Fridericus primus Barbaroſſa, 390. durius egit cõtra põtifices, ibid. tandem veniam ſupplex ab ijs popoſcit, 396. ſecundus, 398. tertius, 448. Fridericus ab Ebrardo captus, 429. in Aſiam ꝓfectus Turcas ꝓſtrauit, 397; in vndis moritur, 398.

G

GAbinius, 188
Galatæ ex Germania in Græciã, perducti, 171
Galba occiſus, 229
Galeacius Mediolanenſis, 429.437
Galerius, 255
Galienus 248
Galliæ pars ab imperio tranſlata, 286. eius reges excõmunicati, 423
Gallinaceorũ pullorum auguriũ, 474
Gallus nepos Conſtãtij, 263. D. Gallus in Germania Chriſtũ prædicat, 307
Gãdaui ſeditioſi, 509. repreßi, ibid. 51. puniti, ibidem.
Gaza reſtituit bonas literas, 456
Gelimerus capt. 288
Genealogiæ patrum, quis vſus ſacris literis, 20
Genſerichus, 277
Georgij Dauid, qui ſe Dei nepotẽ dicebat, temeritas, 532
Germaniæ diuiſio, 255.320. à quibus Romanis bello vexata, 327. ab imperio trãſlata, 289. eius Cæſarum laus, 315.328.
Germani vnde, 25. eorũ prima mentio in hiſtorijs, 154. ſecũda, 206. bellis primum tentati, 222. eorum ſtudium & fidelitas in adepto imperio, 357. ad eos deuolutum imperium, 315
Gibelini, 411
Gigãtes vincit Die-

trichus, 278
Giſela Burgundica regina, 369
Giſelbertus, 347
Gladium quis ſumere dicatur, 6
Godfridus Bilionēſis, 379.
Gog & Magog, Turcæ, 305
Gordianus, 245
Gotthicæ hiſtoriæ initium, 246.273
Gotthi occidentales, 279. oriētales, ibidē. victi à Theodoſio, 268. primū in Italia, 269. Cherſoneſo Taurica, ibidem. fuerunt Ariani, 278
Græcia vndiq; clauſa, 119. vnum principem non habuit, 61. eius duo oculi, 143, ſtatus poſt filios Noe. 66
Græci, 61. ſupſtitioſi, 69. eorum Monarchia, 154. bella, 138 139. Hiſtoriæ à Perſis incipiunt, 21.78
Gratianus, 269. confeſsione Chriſtianā ad Ambroſiū mittit. 269. author decretorum, 238
Gratitudinis exempla, 143
Gregorius I, ceremonijs diſsipatam eccleſiā reuocare conatur, 299
Gūterus comes Schuuartzburgicus, 432 veneno perit, ibidē.
Gueldrenſes à principe deficiunt, 505
Guelphi, 411
Guilielmus dux Fuſtemberg. capitur, 534.

Guns tredecies oppugnatũ à Tur. 473
Guyſia capta, 499
Gymnaſia tria publica Carolus inſtituit, 336

H

Hannibal, 173. pfugus ad Antiochum, ibidem.
Hebdomadæ 70 Danielis, 129. 130.
Hæreticos eſſe seditioſos, 252
Harpago filius coctus apponitur, 90. eius factum contra tyrannidem Aſtyagis, 90. 91
Heliogabalus, 243
Hellas vnde, 25
Heluetij arma ſumũt contra Auſtriacos, 5 460 eorum bellum inteſtinum, 470. fœdera, 436
Henricus Auceps, 340. 341. Claudus, 366. eiusres geſtæ, ibidẽ. 367. quartus 373. 377. quintus, 378. 381. inſurgit in patrem, 378. ſextus, 398. Bauariæ dux, 355. Lucelburgenſis, 425. veneno necatur, 426. Othonis frater, 346. Niger, 371. Anglorũ rex moritur, 539. qui repudiarat vxores. vide Anglus.
Heracleonas, 308
Heraclius, 301
Hercules Tyrinth. 64. eius res geſtæ 65 columnæ, ibidem.
Hermãnus Thuringiæ comes, 406. Sueuiæ prĩceps, 347
Hermodorus Epheſinus, 152

de Herodis genere, 192. qua occaſione rex Iudaeæ factus, ibidē. Aſcalonita. 194. Antipas fratri ſuo cõiugē abduxit, 194, Agrippa Romæ captus, 195.
Heroes quomodo intuendi. 87
Heſiodus ſacerdos in Helicone, 72. eius poemata, 73, mors miſera, ibidem,
Hieron, 197
Hieronymus Damaſi notarius. 169
Hieroſolymæ deuaſtatio, 58, 231. reparatio, 238. nominis mutatio in AEliã, ibidem. eius ſtatus ſub Antiocho, 173. occupata, 379. fame grauiter vexata. 57.
Hilderichus fit monachus, 213
Hiltebrandus qui eſt papa Grego. VII, 374. 378. excommunicatus, 375. eũ pœniter ſeditionis, 378. ſacerdotibus connubia adimit, ibid. moritur. 377. hiſtorici cum non laudant, ibidem.
Himelſuitha. 279
Hinſbergum captũ. 521.
Hiſdinum expugnatur. 502
Hiſpania ab imperio tranſlata, 286, eius reges à Gotthis 277.
Hiſtiei calliditas in cõcitãda ſeditione, 114. de vſu lectionis Hiſtoriarũ, 1. & deinceps, 20. ſacræ,

ibid.7. gentium,8. theſaurus, qui nunquã è manibus excidere debet.4. quo modo priuatis ꝓſint, ibid.5. quo ordine cõplecti ac legere oporteat.9.66 ex ijs fidei & timoris præcepta petũtur. 6

Hiſtorici qd à Chronicis differant, 480

Germanici ſocordes, & imperiti, 361.

Homicidij ſupplicia. 19.21,106.147.

Homerus,7.71. eius libri ſpeculum ciuilium & heroicarum virtutũ. 72

Hugo Galliæ princeps. 351

Hungaria vnde appelletur, 290. à Turcis bello petita, 447.471. Turcæ fit tributaria. 512

Hungari Germaniã & Italiã vaſtant. 338. eos petit Carolus, 334

Huniades Hungarus in Turcas, 448 eos grauiter affligit ibidem, 449.

Hus in Bohemia in papam inſurgit, 437. eius dogma damnatur, 441

Huſsitana ſecta, 444. eorum dux, ibidem.

Hydruntum obſidet Turca, 457. eáque potitur, ibidem. eripitur, ibidem.

I

Iacob Iſrael dict. 37.

Iacobus apoſt. 195

*Iaddus, ſummus ſacerdos,* 163
*Ianus bifrons.* 25
*Ianna II. Hircanus,* 185.
*Iapetus quis,* 25
*Iaphet,* 25
*Iaſon inuitans Antiochum ad expeditionem Hieroſolymitanam,* 176
*Idololatriæ prima occaſio,* 34. *eius caput dubitatio,* 66. ~~*eius varia genera*~~, ibid. *à Græc. excogitata, ibidem.*
*Idololatrarum ſupplicia,* 48. 49. 51. 52 *quid à Chriſtiano differant,* 68
*Idolũ in templo Dei,* 177. 227.
*Ieconias promißionibus Dei fidem habens ſeruatur,* 557.
*Impreſſoria ars inuenta,* 457. 458
*Ioachas,* 55
*Ioachimus Marchio* 473.
*Ioacim rex,* 55
*Ioannes, Hircanus,* 187. *Baptiſta,* 195. *Apoſt.* 236. *Octauus papa, fœmina,* 342. *rex Hieroſolymitanus,* 409, *Huniades,* 448. *Alemãnus falſo accuſatus ꝓditiõis,* 490
*Ioas,* 49
*Ioatham pius,* 50
*Ioiada,* 49
*Ionas,* 50
*Ionathas,* 186
*Iones primi Græcorũ* 25.
*Ionici Philoſophi,* 106.
*Ioram nouæ idololatriæ auctor.* 48

Ioſaphat. 48
Ioſeph, 37. Iunior, 185.
Iouinianus, 267
Irene, 312. filia Cæſaris Conſtantinopolitani, 401
Iris quid ſignificet, 21
Irnerius reſtitutor legum, 387
Iſaac typus Chriſti, 37.
Iſabella Delphino naſcitur, 538
Iſmael, 36
Iſrael, 37. eius iudices 43. reges ſacerdotes, 44
Italici philoſophi, 106.
Iuda reges ex Salomone, 46.58
Iudas Machabæus. 179.186.
Iudæi, 48.60. liberati ex Babylonica captiuitate, 97. Perſis dediti, 163. ab Alexandro beneficia accipiunt, 164. eorũ principes, 43. recẽtiores plane imperiti, 83. reperiunt Meſſiam, 238.
Iudices Iſrael inſtituti, 43. eorum catalogus, ibidem.
Iudith, 127
Iulianus imperator 265. Chriſtianos vexat, ibid. Cardinalis, 448. à Turcis confoſſus, 449. Didius, iuriſperitus, 241. Apoſtata, 264.265.
Iulius Cæſar, 212. primus Romanorum monarcha 213. annũ ordinauit, 214 rempublicam reſtituit, ibidem.

Iuno dea. 69
Iuortium expugnatur, 518
Iupiter 69
Iuriſperiti præclari, 388.
Iuſtinianus, 395. ius reſtituit, ibidẽ, Cõſtãtini filius. 310
Iuſtinus II, 294. 298

L

Lacedæmoniorũ virtus. 119. victi à Thebanis, 148
Landa, 525
Landriziũ, 524. 525. 527.
Langeius, 521
Latinæ linguæ puritas ex libris legũ, 387.
Laurentij Miniatẽſis prædictiões, 476
Lecho Bohemiæ rex, 335.
Legati regij à Cæſarianis trucidati, 515
Legiones Frãciæ inſtitutæ, 490
Leo, Cæſar, 294. tertius, Iconomachus, 311, quartus, 312. Pontifex, 292.
Leonidas, 120
Leontius, 310
Liberius reſiſtẽs Arrianis, 264
Lichtẽbergij prædictiones, 477
Ligniacum redditũ, 534.
Linguarum idiomata, 23
Linus papa, 229
Longimanus, 85. 126. 128.
Lõgobardia à Gotthis occupata, 285
Longobardorum regnum finit, 333
Lõgouallius in Gueldria, 520

Lotharingia

Lotharingia cedunt Galli, 356. eã repetunt, ibid. à Germania diſtrahitur, 341
Lotharius, 340, inſurgit in patrem, ibid. fit Cæſar, 341. Saxo, 184
Ludouicus, Pius, 338. ſecundus, 342. tertius, 338. 351. Lãdgrauius, 409. Bauarus, 395. Romanus, 432
Lucius Verus, 239
Lupoldus, 427. Auſtriæ dux, 436
Luſitanorũ in Indiã profectio, 503. 508
Lutetiæ gymnaſiũ, 336.
Lutherus, 464
Luxemburgum captum, 519
Lycidas, 120
Lyſander 142

M

Macedones vnde, 25
Macedonici belli occaſio, 201. Macabæi, 179. 186. 187.
Macrinus, 243
Magiæ inuentor, 27
Magi, 108
Magog, 306
Magentius, 363. 364.
Mahometes, 302. 303. 307. 398. 452 moritur, 456,
Mahometica religio 303. 178. ex hæreſi, & diſſentione, 3. eius occaſio, 302
Mahometiſtæ beſtiæ, 240.
Maiores domus, 320
Manaſſe impius rex 53.
Manes ex Perſia, 252.

Manichæi hæretici, 252.
Mãtuanus dux, 475
Marchiæ in Auſtria prima mentio, 369
Marcus Antoninus philoſophus, 239. eius libri, ibidem.
Mardonius dux, 123
Marius contra Cimbros, 207, 208.
Mars bellorum cauſa inuocatus, 69
Maßilienſe colloquium Papæ & regis Gallorum, 489
Matathias, 186
Mathematicæ primũ in Italia cultæ, 214 Roma pulſæ, 234. bis mille annos in Ægypto florẽt, et per Ptolemæum cõſeruantur, ibidem. per Alphõſum, 416
Mauritius imperator, 299
Maxentius, 235. 256
Maximianus, 254
Maximilianus, 455. 360. 458. 462.
Maximinus Germaniam domuit, 244
Mechlinia tonitru & fulgure icta, 539.
Mediolanenſes, 394
Mediolanum conditum, 154
Medorũ regnũ, 483
Megabyſus, 109
Melanchthõ & Eccius diſputãt de religione, 514
Mendicantes, 403
Micheas, 50
Mogontiæ pons deflagrans, 338
Monarchæ cur à Deo mittãtur, 335
Monarchiæ quid & quãtæ potentiæ, 12

Danieli ꝓpoſitæ,26
Monaſteriũ vrbs ab Anabaptiſtis occupatum,492. 497
Moncallerium captum, 504
Mõſtroliũ captũ,504
libri Moſaici reperti, 54
Moſes, 39
Mundi ætates, 10, 484.
Muri lignei naues, 121.

N

NAbuchodonoſor,55. cõuerſus à Daniele, 58
Narſes cõtra Totilã 283. 295. infenſus Iuſtiniano, 296.
Nathan filius Dauid, 59
Nemroth, 27
Nero, 228
Nerua, 235
Nicenum, colloquiũ Papæ Cæſaris & regis Galli,506. cõcilium, 257
Nicolaus, Auguſtus. 430. papa,456.
Nicomachus, 150
Niniue condita, 27. deleta, 128
Ninus rex Aſſyriorum, 30
Norimbergæ comitia, 522. vrbs capta,380.
Normandi, 345
Nouatius, 247
Numitor, 73
Numerianus, 254

O

OCcam, 429
Ochoſias impius, 48
Ochus, 137
Octauius Augu. 219
OEcolãpadius,466
Olympiades, 61

Olympiadis matris Alexandri genus, 157.
Orchomenon oppidum. 66
Origenes pſeſſor Alexandriæ, 241. eius libri reiecti, ibidẽ.
Ori maſda, 34
Or porci pontifex, 341.
Oſeas, 50
Otanes, 117.119.
Othacarus rex Bohemorum, 420
Otho primus, 229. 346. Saxoniũ dux, 340.352. ſecũdus, 355.356. tertius, 357.364. quartus, 401. de Vuitelſpach 400.
Othomannus Turca, 306.425.
Ozias, qui & Azarias dictus eſt, 50

P

Paduæ gymnaſiũ inſtitutum. 376
Paiaſetus Turcicus Cæſar, 439
Palatinus comes, 322 361.
Palatinorum origo, 393.
Papinianus, 242
Paradiſus, 16.18
Pariſini fugiunt, 535
Parmenio 161
Paulus Apoſt. 227. 229. Æmylius, 202.
Pedemontani, 506. 518.520.
Pelagius hæreticus, 271.
Peloponneſiacũ bellum, 136.141.
Perdicas, 161,165. 149.
Perona obſeſſa, 500
Perpinianum, 520

Perſæ vnde,24. eorũ monarchia,77.80. 487.reges, 82.83. impudici, 113.114. perfidi,120. 142.
Perſeus filius Philippi, 201
Pertinax, 241
Petrus Apoſt. 229
Pharaonis tyrãnis,39
Phariſæi, 182
Philippus fudit Thebanos,148.eius inſomniũ de Alexandro,156. interficitur,158.primus Cæſar Chriſtianus, 245. Barbaroſſæ filius,399. Bardeſanes,310.Maximiliani filius, 461
Philonis ſupputatio annorum, 81.
Philoſophi apud Græcos, 106
Picardiam Carolus inuadit. 502.520
Pipinus, 313
Piſanũ conciliũ,339.
Platæa, 116
Plato,150.eius philoſophia, 242.
Plinius in Chriſtianos beneficus. 237
Poetæ apud Græcos primi eruditi, 71
G.Poietus, 508.517
Polonia locuſtis infeſtata, 517.
Pompeius,209. Hircanum ſummũ ſacerdotem cõſtituit, 188.213.
Pontificum Romanorum catalogus,579
Popilius, 177
Portenta, 142.233. 298.
Portugallorũ in Indiam ꝓfectio, 502. 507.
Poſthumus 248

Pragẽſe gymaſium, 435.
Prexaſpes, 107
Probus, 253
Proca Albanus, 73.
Prophetiarũ vſus, 8. cognitio, ibid. 217
Ptolemæus, Euergetes, 171. Philometor, 175. 183. Lagi filius, Philadelphus, 182. Auletes. 183. aſtronomus, 239. Philopator, 183. Epiphanes, ibi. Phyſco, ibid. Latyrus, ibid. Dionyſius, 184. eorum genus extinctum, ibidem.
Punicum bellum, primum, 198. ſecundum, 199. 200. tertium, 202
Pyrcamerus, 459
Pythagoras, 106

Q

Quadrageſimale ieiunium, 238.
Quiers vrbs capta, 506.

R

Radagaſus, 275
Ratiſbonæ comitia, 471
Regnum mundi & Chriſti, 15
Regulus captus à Carthaginenſibus, 198.
Rheti, 222
Roboam, 46
Rolandus, 337
Roma condita. 73. 76. 196. exuſta, 153 284. capta & diruta, 467. deuaſtata, 283. aquis merſa, 469
Romanorum regum catalogus, 76. 565

Romana monarchia, 217. Romana eccleſia, 229. Romanæ leges, 152. 388.
Romulus, 74, 75
Rotæ ſupplicium inſtitutum, 494
Roxane vxor Alexandri, 164
Rubei Iudæi, Turcæ 307.
Rudolfus, 77. comes Habiſburgius, 417
Rufinus, 274
Rupertus, 437
Ruſticanum bellum in Germania, 465

S

Sacerdotū ſummorum apud Iudæos catalogus, 81
Sadducæi, 190
Salfeldia, 349
Salinæ & Gabella ſeditiões excitāt, 517
Salomon, 48
Saluſsianus Marchio 497.
Samaria, 46, 51. 52.
Sandiſeriū deditum. 533.
Sanguine pluit in diœceſi Monaſteri enſi, 530
Sapores Perſarum rex, 244
Saracenorum potētia, 303
Saragoza. 518
Sardanapalus, 32
Sardis, 91. 114
Satanæ ſtudiū, 296. eius furor in pios, 18 ſe opponit bonis, 296.
Saul, 45
Saxoniæ dux elector, 261.
Schaplerus, 465
Scipio iunior, 200. 204. Naſica, 204

Scopa dux Ptolemæi Epiphan. 174
Scythæ vnde.25. eorum pugna aduerſus Cyrum, 98
Seculares ludi, 246
Sedechias, 56.57.
Seleucus, 167.170
Philopator, 174
Semiramis, 23.30
Seneca occiditur, 228
Septuaginta interpretes, 82
Sergius, 229
Seth, 19
Seuerus imperator, 241.243.
Siciliæ reges cur Hieroſolymitanum regnum ſibi vendicent, 410
Sigiſmundus, 439. eius expeditio in Turcas, 144. illiberalitatis accuſatus, quid reſpõdet, 446
Simon, 187
Siſamnes iniquus iudex, 107
Socrates, 149
Sodomæ interitus, 35.
Soles tres viſi & ſignificatio eorũ, 229
Solonis dictum ad Crœſũ, 90.91.102.
Solymannus Turca cædit Hũgarorum regem, 467.505.
Sophy Perſarũ, cõtra Turcas, 491
Soranus, 149
Soter inſtituit ſponſalia publice fieri. 241
Sparta alter oculus Græciæ, 144
Spiræ habita comitia, 522
Stephanus martyr, 227.
Stillico Francos &

Saxones ſubigit, 270.
P. Stroßius, 529
Sueuiæ ducatus, 281. eius dux Erneſtus, 368.
Suffetij mors, 77
Sultanus, 303
Sibylla, 70
Sydonia vrbs, 138
Sylla, 208. fortunæ inconſtantiam metuit, 209
Syluia mater Romuli. 74
Syriæ reges. 170
Syri ex Aram, 24. eorum regnũ trãſlatum, 181

T

Taboritæ in Bohemia, 447
Tabulæ legũ XII, 152.153.
Tamerlanes Tartarus, 439
Tarquinius priſcus, 78.
Taßilo Bauariæ dux, 333.
Taurinum captum, 496.504.
Tauris Perſis erepta à Turcis, ſed paulo pòſt recuperata, 491
Teias poſtremus Gothorum rex, 285
Teleſphorus auctor ieiunij quadrageſimalis fertur. 239
Teutones, 207
Thales auctor philoſophorum, 100.102
Tharſus, 25
Thebæ direptæ omnino ab Alexandro, 159
Thebani Phocenſes deleuerunt, 147. victi poſtea, 140
Thebani belli occaſio, 63

Themiſtocles, 121. 122.125.126.
Theodatus, 280
Theodoſius & illius pietas erga eccleſiam, 270.274. iunior Arcadij filius, 286.311.
Theramenes, 145
Theruana, 504
Theſſalonica vrbs à Turcis capta, 447
Tholoſſa vrbs. 291
Thomas, Aquinas, 417. Monetarius, 253.465. Morus. 501.
Thraces vnde, 25
Thraſybulus, 146
Thucydides, 4
Thuringici comitatus initium, 269
Tyberius aduerſus Germanos, 222. 125.299. Apſimarus, 310
Tigranes, 181
Titus Veſpaſiani filius, 231.234.
Tomyris crudelis, 98.
Tormentaria ars inuenta, 254
Totilas, 276.281. 282.285.
Traianus, adoptus à Nerua, 235. probitate inſignis, ibidē. eius dictum cū ius gladij præfecto cō-mendaret, ibidem.
Trapezuntius, 455.
Tribuni pleb. abrogati à Sylla, 210. reſtituti à Pompeio, ibidem.
Tridentinum concilium, 522.523.
bellum Troianum, 62.
Tullus Hoſtilius, 76
Tunetum, 495

Tuniſſæ rex à Cæſare reſtitutus, 495
Tupigniū expugnatum, 499
Turca quid ſignificet, 307. Turcæ ſunt ab Othomano, 425. Tartari, 305. dominantur, 306. Parthis, Syris, & Aſianis, 488. crudeles, 453. 505, beſtiæ potius quàm homines, 453. Germaniā inuadunt, 473. vincuntur à Perſis, 491. de ijs delēdis vaticinia, 476.
Typographica ars inuenta, 254

V

VAlens Arrianus, 268
Valentinianus, 267.
Valerianus Cæſar, 248.
Vandalica fides, 288.
Vandali habitant in Aphrica. 286
Varus Heliogabalus, 243
S. Vdalrici viſio, 149.
Venetiæ conditæ, 292.
Veneti contra Maximilianum, 462. amittunt aliquot vrbes, 462
Venus fœcunditatis Dea, 69
Veſpaſianus, 230
Vibius Gallus, 247.
Victoria vrbs, 414.
Viēna expugnata à

Turcis liberata.ibi. imperialis ciuitas ſit, 411
Vindelici,222. Bauari, 320
Vitellius, 229.230.
Vladiſlaus Poloniæ rex, 448.449.
Vlpianus, 243
Vlricus dux Vuirtēbergenſis, 291
Voluſianus, 247
Vr Chaldæorm, 34
Vrbinas princeps ſit Valentinus, 457. eius ambitio, ibid.
Vrbium bellum, 451
Vueinſburgum captum, 392
Vuenceſlaus, 419, 437.
Vuernerus, 387
Vueſphalia Saxonico ducatui adēpta, 395.
Vuilhelmus Hollādiæ comes, 416
Vuirtembergēſis ducatus incipit, 460
Vuittichus, 280
Vuormaciana comitia, 513

X

Xerxes rex, 117. eius expeditio in Græciam, 118.122

Z

Zacharias ꝓpheta, 131. occiſus, 58.
Zelci, 289
Zeno, 294
Zenobia, 250
Ziſcha dux Huſſitanorum, 444
Zopyrus, 111
Zoroaſtes magus, 30.
Zorobabel, 97.127. 129.
Zuinglius, 466. cæſus, 471.

Ne chartæ aliquot hic inanes eſſent, hanc Epitomen de tē poribus adiecimus.

## ARCHILOCHI LIbellus de temporibus.

*MNaſeas Phœnix Damaſcenus, libro 97 hiſtoriarum aſſerit ante Ninū ferme ducētis quinquaginta annis fuiſſe inundationem terrarum & quendam, cui teſtimonium perhibet Moſeus antiquiß. Hiſtoricus, liberatū circa fluuium Araxim ad montes Caſpios, túmque recenti cœlo & rudi humano genere, vixiſſe aureā vitam, in qua nullo ferēte legem, natura ipſa viuebatur, quouſque Ninus & Semiramis arma populis inferentes, primi vitam vitiare cœperunt humanam. Tradunt igitur Chaldæi vno & trigeſimo ab Ogyge anno regnaſſe apud ſe Saturnum auum Nini, annis ſex & quinquaginta, primúmque Babyloniæ fundamenta iecíſſe. Hunc ſecutum fuiſſe filium Belum Iouē, & rexiße Chaldæos, & Aſſyrios annis duobus & ſexaginta, Ninū*

verò duobus & quinquaginta. Semiramidẽ duobus & quadraginta. Ea Babyloniã magnitudine indicibili extruxit. Supputãtur igitur à Nino ad ſecundum annum Spheri, quo ortus eſt Deucalion, anni vnus & quinquaginta ſupra CCCC: ſeptingenti verò à prima inundatione Nouimeſtri, à qua ad Troiam colligit Mnaſeas annos non minus octo & viginti ſupra octingẽtos. Regnatũ verò fuit Troiæ regibus ſex, ſub Dardano quidẽ vno & triginta annis, ſub Erichthonio quinque & ſeptuaginta, ſub Troe ſexaginta, ſub Ilo quinque & quinquaginta, ſub Laumedonte ſex & triginta, ſub Priamo quadraginta.

Secuti ſunt anni quingenti à captiuitate Troiæ vſque ad vigeſimam tertiam Olympiadem, in quibus floruerunt Homeri octo. Horũ primus in annalibus Teutei regis Aſſyriorum traditur, qui vigeſimus ſeptimus à Nino extitit. Hic Homerus, vt ibi traditur, fuit Smyrnæus, & præfectus eiuſdem regis, paulò ante deſcenſum Heraclidarum in Peloponneſum, anno XX Demophoontis regis Athenienſium, quando Pyrrhus in templo Apollinis fuit ab Oreſte interemptus. Hũc ſecutus eſt Homerus Chius, qui, vt Chiẽſium

memoria tradit, floruit arte medicinæ anno XIX Melanthi regis Athenienſium. Alius fuit Homerus patria Cumæus, qui vt ipſi Cumæi perhibent, enituit magica magis quàm literatura, anno XXIIII Codri regis Atheniẽſium. Quartũ ciuem ſuum prædiuitem Salaminenſes Cyprij efferunt, arte inſtitoria inclytum, anno octauo Agaſti Athenienſis. Biennio poſt emerſit Homerus Colophonius, quem illorum annales migratione Ionica prædicant effulſiſſe arte pictoria ſimul & ſculptili. Sextus fuit Athenienſis, qui, vt ipſi ſcribunt, illuſtris reuocatione abolitarum legum & nouarum latione floruit ſub Archippo. Septimũ Argiui habent muſicæ atque geometricæ diſciplinæ præceptis admirabilem anno XVII Diogeneti Athenienſis. Vltimum hunc Homerum ætas noſtra cernit, qui Olympiade XXIII, & à Troiæ excidio anno quingenteſimo, patria Mæon Olympico certamine victor, indicio totius Græciæ eximius poetarum eſt habitus, & ei ſoli ius tributum emendandi characteres, & nomina, & linguam Græcã, quæ, vt ferunt, Cadmus Samothrax ferè barbara & plena ruditatis attu-

*ſit, ſub excidium Troianum, quum reuerſus eſſet à fuga quam inierat ob certamẽ quod illi Priſca vxor intulerat propter nuptias ſuperinductæ Armoniæ. Sunt ergo nunc characteres ab Homero forma elegãtiore. Nam primi barbariem quandam vetuſtã & non Phœnicam ferebant, quia nihil Phœnicũ habent, vt cernimus, ſed Galatarum & Mæonum figuras retinent. Idem Homerus reformauit characteres, & grammaticæ præcepta primus dedit, quum antea quiſque ſermone ſcriberet ſimul, & loqueretur vernaculo. quæ profecto etiam Italia, quæ & magna Græcia, ſuſcepit.*

*Hactenus Archilochus de temporibus.*

# IOANNIS CARIONIS CHRONICVM EX OPTIMIS QVIBVSque Hebræis, Græcis, & Latinis auctoribus congeſtum, Hermanno Bonno interprete.

## De vſu lectionis hiſtoriarum.

*Qvanquam multis de cauſis quas poſtea enumerabimus, ex æquo omnibus conducit lectio hiſtoriarū, tamē præcipuè ad reges magnoſque principes pertinet, eorumque libri merito dici poſſunt hiſtoriæ, quòd in primis vtilis & neceſſaria earum ſit cognitio illis omnibus qui in Rep. adminiſtranda verſantur. nam non modò gentium, ſed & ſacrarum literarum hiſtoriæ plurimam vbiq; de principibus mentionem faciunt. Sacræ enim literæ præterquam quòd de volūtate & verbo Dei, atque adeo de ſpirituali regno Chriſti certiores nos reddunt: docent etiam de politica adminiſtratione, & multa præclara exempla proponunt quæ neceſſaria co-* Hiſtoriæ ſacræ.

gnitu ſunt in regẽda Rep. & quibus incitari poſſunt animi principum ad ſtudium veræ heroicarum virtutum. Gentium verò hiſtoriæ tradunt de origine & principiis magnorum regnorum, & quibus de cauſis in imperijs viciſsitudines rerum, & grauiſsimæ commutationes inciderint: continent etiam præterea præcepta de officijs & virtutibus quibus feliciter conſtant & conſeruantur Reſp. atque hoc nomine dignæ in primis ſunt hiſtoriæ, vt principum bonorum & heroum libri appellentur.

Hiſtoriæ gentium.

Iam vero cum vnicuique duplici virtute opus ſit, politica nimirum ſeu externa, ac præter hanc fide & timore in deum, vtriusque nobis exempla in hiſtorijs proponuntur. Atque vt primum de ciuilibus virtutibus dicamus, debent principes, atque adeò omnes qui rebus magnis gerendis præſunt, ea potiſsimum exempla & geſta conſiderare quibus admoneri poſſunt, quo pacto & ipſi feliciter verſari queant in Republica adminiſtranda: ponenda ob oculos ſunt exempla bonorum principum & regum, diſcendúmque ex illis, qua potiſsimum ratione, quibusque officijs ſint vſi in imperijs gubernandis,

Exempla pricipum.

quòd præter publicam vtilitatẽ nihil ſpectarint, quòd iuſtitiam & æquitatem vnicè coluerint, quod malefacta grauiter punierint, quod non qualibet de cauſa bella ſuſceperint, ſed diſsimulatione iniuriarum pacem ſæpe retinuerint: in defendendo vero, animo planè præſenti & infracto fuerint erga bonos & pacificos ſumma clementia & humanitate vſi: denique ſtuduerint imperia ſua munitionibus ac potentia, religionis cultu & bonis moribus reddere meliora.

In tyrannorum exemplis diuerſum obſeruabunt: illorum exitus calamitoſos fuiſſe, & propter crudelitatem pernicioſos, & cõmutationes in republica exitiales accidiſſe. Sic ob tyrannidem conſtat Pharaonem periiſſe, & ſimili de cauſa Romani reges exacti ſũt. Et perdiderunt ſæpe ſe metuo principes ob ſuperbiam, ob inuidiam, ob odium, nõnunquã ex re nihili contractum. Quẽadmodum nulla cauſa Pompeio erat, ad opprimendum C. Cæſarem, quam inuidia. Teſtantur leges Gracchorũ apud Romanos, nouitatis ſtudium crudelis ſæpe belli occaſionem præbere. Et Mahometicum regnum non cœpit aliũde initium, quàm ex hæreſi, & diſſenſione dog- Exempla tyrãnorũ.

matum fidei. Periculoſæ conſpirationes ſæpe efficiunt vt regna euertantur: id quod exemplum Athenienſium teſtatur: qui imperiũ omnesque fortunas ſuas propter cõtracta huiuſmodi fœdera, amiſerunt. Obſeruare hæc in hiſtoriarum lectione plurimum conducit ijs qui rerum gubernacula tenent, vt cauere ac proſpicere ſibi diſcant in imperijs, ne quid ſimile accidat. nam ijdem caſus in dies offeruntur. Quanquam enim perſonæ ſubinde in rebus publicis mutantur, tamen quod ad negociorum ſimilitudinem attinet, mundus idẽ & ſui ſimilis manet.

Proinde veriſſimè à Thucydide, qui & peritia rei militaris inſignis fuit, & ingens diuturnumque bellum, variasque res alias quæ ſub Græcis acciderunt, deſcripſit, dictum eſt, Hiſtoriam theſaurũ eſſe, qui nũquam è manibus excidere debeat, vt eo adiuti ſimilia negocia paresque caſus in Rep. cõmodius tractemus, quando cauſæ incidunt ſemper ferè ſimiles. vſq; adeo vere regius theſaurus eſt hiſtoria, quo varijs de rebus admonẽtur qui rebus publicis gubernãdis præſunt. Porro verò præter hæc, & huiuſmodi quoq; in hiſtorijs exempla reperiuntur, quæ ſingulis

priuatim in ſuo genere cõueniũt, qualia ſunt, Magiſtratui parendum eſſe: Nunquam impune euaſiſſe eos qui extiterũt contra magiſtratum rebelles, quemadmodũ Abſalon, Catilina, Brutus, Caßius & horum ſimiles, ſuæ ſeditionis pœnas dederunt. De fidelitate amicorum, vt Ionathas Dauidi regi vitam ſeruauit. De pœna ob adulterium. & ob ſimilia flagitia, ſicut in Dauidis exemplo apparet. Sed quid multa? quemadmodum in omnibus artibus paradigmata ad imitationem proponuntur, ita in hiſtorijs exẽpla ob oculos depicta extant de omni genere virtutum. Quin & in exemplis & in factis cernitur longe clarius, quæ dignitas virtutum, & rurſus quę turpitudo ſit inhoneſtatis ac vitiorum, quàm in præceptis, propterea quòd exempla tanquam imagines propoſita nõ ſolũ docent aperte, ſed & monent, cõmouent & inflãmant libere educatos animos, vt voluptate & amore quodam erga virtutes & honeſtatem accendantur. Quis enim animo tam ferus eſſe poßit, qui non commoueatur, ſi inſigne aliquod & laude dignum factum aut uindictæ exemplum legat?

Oſtẽdi breuiter, quomodo in lectione hiſto

Ex hiſto-riis peten da fides, & timor

riarum obſeruare oportcat exempla politicarum virtutum & ciuilium cauſarum. Nunc etiam ad Chriſtianum hominem pertinet, cui pietas curæ eſſe debet, vt ſciat ex hiſtoriis etiam fidei & timoris diuini præcepta petenda eſſe. Nam hæ potiſsimæ virtutes ſunt piorum, quæ coram Deo valent. Quanquam verò gentium hiſtoriæ nō docēt nos Deo curæ eſſe, aut Deum agere nobiscū: tamen pius animus hoc conſiderabit, quomodo reſpublicæ in mundo diuinitus conſeruentur, & Dei opus eſſe, violētiam & iniuſtū vindicari: donare etiam deum inter gentes præclaras ſæpe virtutes. Nā nō poſſunt principes aduerſus Satanam ſeruare imperia ſine ſingulari beneficio Dei & ſubſidio magnarum virtutum. Atque hoc modo reputabit ſecum pij hominis animus huiuſmodi præclara facta & vindictas Dei opus eſſe, & diſcet ex illis timere deum, vt pote quòd tyranni atrociter puniti ſint, iuxta ſententiā illam, Qui gladium ſumit, hoc eſt, qui ſine mandato vſurpat ſibi ius vindicandi, is gladio peribit. Contra videre etiam licet à Deo ſeruari bonos principes & defendi: atque hoc ipſum quoque gentes animaduerterunt, quod nitā-

tur principes deorum præſidio. Nam Homerus poeta ait, Deum obijcere clypeum ſuum in bello, vt principes tueatur. fingit etiã quẽque principem ſui dei tutela ſecurum eſſe, quẽadmodum Palladem deam Achilli adfuiſſe refert, &c.

Inprimis autem hæc omnia clare exprimuntur in ſacræ ſcripturæ hiſtorijs, veluti in Abraamo, Dauide, Ezechia, & reliquis regibus, quos defendit Deus. Et illorum exempla propóſita ſunt principibus omnibus, vt ſciant ad eundem modum Deum tueri bonos omnes. Nam hoc diſtant inter ſe ſacræ hiſtoriæ & prophanæ, quòd illæ teſtimonia proponant de operibus dei, & non ſolum politica negotia tractent, ſed præcipuè regnũ dei nobis adumbrent, quòd Deus donet verbũ ſuũ, ꝙ gratuito ex miſericordia ſeruare velit: id quod ignorant hiſtoriæ gentium. Hiſtoriæ ſacræ & ꝓphanæ.

Sunt itaque in primis ſacræ ſcripturæ hiſtoriæ cognoſcendæ Chriſtianis omnibus, vt inde doctrinam & confirmationem fidei diſcant. Primum, quomodo creata ſint à deo omnia, quæ ſit origo peccati, quod contra peccatum inſtituerit Chriſtus regnum ſuum, & donauerit ſuum verbum quod promiſſus fue

rit Chriſtus, & venerit ille ad abolẽdum pec catum, & ſeruandum nos. item quomodo deus cum donaſſet verbum ſuum, ſemper conſeruauerit regnum Chriſti, & quod regnum Chriſti, hoc eſt, verè credentes, iam inde ab initio mundi ſub cruce verſati ſint, & ſeruati tamen, quod Satan cum ſumma potentia mundi verbum Dei oppugnarit: item quod mirabiliter ſemper præſtiterit Deus ꝓmiſſũ ſuum, ſupra opinionem & captum ſapientiæ humanæ. Eædem proponunt nobis à deo & horrendæ vltionis, & gratiæ pariter exẽpla, Sic Dauidi regi & alijs cõtigit remiſſio peccatorum, vt illorum nos exemplis cõſolemur. & credamus deum ignoſcere velle. Neque illud negligendum eſt, quòd ad confirmandos animos noſtros donarit deus omnis generis prophetias de externis regnis, vt ex impleto earum euentu teſtimonium haberemus, verbum noſtrum ex deo eſſe profectum, neque aliam fidem quàm noſtram verã eſſe. Item ut moneremur, quãdo Chriſtum venire oporteret, & quando finis mundi ſit expectãdus. Item cum omnia eueniſſe quæ prædicta ſunt in prophetijs, cognoſcimus: vt certo credamus & ea ſimiliter euentura, quæ adhuc futura

aliquando eſſe ſacræ literæ teſtantur. Porrò ad rectè intelligendas prophetias, operæpretium in primis eſt, nouiſſe ordinem regnorũ, annorum numerum, & multa alia quæ in lectione gentilium hiſtoriarum offeruntur: quarum cognitio vel hoc potiſſimũ nomine neceſſaria eſt Chriſtianis, vt melius intelligere prophetias, & de illis certius iudicare queãt. Facilè ſane ex his omnibus æſtimare quiſque poteſt, quantũ vtilitatis & cõmodi ex lectione hiſtoriarum percipiatur, & magnitudo fructus earũ merito quẽque incitare ac impellere debet ad eas cognoſcendas.

## Quo ordine hiſtorias cõplecti & legere oporteat.

QVi cum fructu aliquo hiſtorias vult legere, is omnia tempora à mundo condito cõplecti debet in certum ordinem. Nã fuerũt quidam, qui ideo partiti ſunt mundum in ſeptem ætates, easque ſupputant variè, ſed hi cum ordinem tradere ſtudent, hoc tantũ efficiunt vt omnia ſine ordine commiſceant. Ego autem ſequar præclarum dictum illud Eliæ prophetæ, qui pulchrè diuiſit mundum in

Eliæ diuiſio mundi

tres ætates, quo oſtendit præcipuas quaſque viciſsitudines mundi, præterea & quo tempore Chriſtum oportuerit venire, & quandiu etiam durare debeat hic ſtatus orbis. Sic autem ſonat

## Dictum domus Eliæ.

Sex milibus annorum ſtabit mundus, & poſtea collabetur.

Bis mille anni, ſine lege.

Bis mille anni, lex.

Bis mille anni, tempus Chriſti.

Et ſi non fuerint expleti hi anni, id efficient peccata noſtra quæ magna & innumera ſunt.

Hoc eſt, bis mille annos ſtabit mundus ſine præſcripta adminiſtratione, & certa lege ex verbo dei: ſed his exactis circunciſio & lex dabitur: præterea & certa politia & cultus dei inſtituetur ex verbo diuino, & durabit hic ſtatus rerũ bis mille annos. Porro his Chriſtus ſuccedet, & ſtabit euangelij tẽpus ſimiliter circiter duo milia annorum, ſed deſiderabuntur hic aliquot anni. Nam celeritate aduentus ſui anteuortet Deus, quo minus huius ætatis anni compleantur, id quod

teſtatur Chriſtus ipſe Mathæi 24 capite, Niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua vlla caro.

Nos hoc ordine in texenda hiſtoria vtemur & partiemur libellum in tres partes, quarum prima ea cõplectetur quæ inter Adæ & Abraami tempora acciderunt. Nã hi primi ſunt bis mille anni. Extant autem de his pauca admodum deſcripta, ſed memorabilia in primis, & de his temporibus nihil vſquam certi, præterquã in Biblijs ſacris proditum reperitur. Prima mũdi ætas.

Proximum tempus duorum milium annorum numerabitur ab Abraam vſque ad aduentum Chriſti, tametſi quod ad iuſtum annorum numerum attinet, non plane completum hoc ſeculum eſt. Nam vt anteà monuimus, ad conſummationem properat deus. Cæterum hæc ætas vera & propria eſt mũdi, in qua potentiſsima regna, & monarchiæ ordine quodam ſibi mutuo ſucceſſerunt, neque vnquam perinde potentiam ſuam, & virtutes declarauit mundus, quam hac ætate. Itaque diuidemus hoc tẽpus in quatuor monarchias. Nam videtur voluiſſe deus certa quadam gubernatione mundum in officio conti- Secunda ætas

neri, vt pudoris & honeſtatis ratio cõſeruaretur, & mali punirentur, ideoque monarchias inſtituiſſe. Sunt autẽ monarchiæ huiuſmodi regna, vbi ſumma rerum omnium poteſtas penes vnum eſt, publicæ pacis & iuris cõſeruandi cauſa. Fuit autem huiuſmodi monarchiæ tanta potentia, vt ei alij reges extra eius imperium conſtituti, non potuerint ſe opponere vel opprimere. Et extiterũt tales monarchiæ ſucceßione quadam ordinaria tantum quatuor. Primum regnum Aßyriorum fuit: poſt hos Perſæ imperarunt, deinde Græci, poſtremo Romani: & ad huius imperij honorem ac faſtigium euexit his poſtremis temporibus Germanos Deus præ nationibus reliquis. Nam quanquam diminutum nonnihil eſt imperium Romanũ hodie (Deo enim, vt vaticinatum eſt, viſum ita fuit, vt decreſcerent tandem mundi monarchiæ) tamen maieſtas permanet apud imperium Romanum, & nemo regum eſt, qui non oculos ſuos in hoc regnum conuertat. proinde quãquam nõ æque ſemper potẽtes habeamus imperatores, tamen prouidente ſic deo, tanta ſubinde potentia contigit Cæſar aliquis, vt ſublimitas imperij conſeruetur: idque propter religionẽ

Monarchiæ.

& cōcordiam omnium nationum retinēdā. Et debent merito Germaniæ principes, & in primis imperij electores hunc honorem ſuum magni eſtimare, quod ſublimitatem hanc diuinitus commiſſam habeant, ad religionem, ius, & pacem publicam retinendam. Enimuero ſane perquam plurimum refert vt conſeruetur hæc monarchia, tametſi in ſpeciem non adeo ampla. Proinde cauere debēt principes, ne qua ſeditionum & diſcordiarum ſemina inter ipſos exoriantur, quæ occaſionem præbeant ad hoc regnum labefactandū. Et enī diſtracto vel deuaſtato hoc imperio, quod omnis recte hodie adminiſtrationis in mūdo caput eſt, fieri non poſſet aliter, quin perturbatio omnium ordinum in vniuerſo Chriſtiano orbe ſubſequeretur: id quod vehemēter metuendum nobis eſt, niſi Deus præoccupatione extremi aduentus ſui tantam calamitatem propellat. Sacræ literæ enim conſolantur nos, & docent aperte, poſt labefactatū hoc regnum Germanicum, poſtremum diem propediem ad futurum. Hæc de monarchijs dixiſſe ſatis ſit, ne quis ignoret, eſſe in has monarchias omnes res geſtas & hiſtorias referēdas. Et præterquam quod obſeruatio ordi-

*nis memoriam iuuat, etiam nõ parum ad id conducit vt videre queas, quomodo & quibus de cauſis mutata ſint regna: vnde diſcẽdum erit, quo pacto cauere oporteat ea omnia quæ mutationes regnorum ſecum ſolent adferre.*

Tertia ætas.

*Poſtrema ætas à Chriſto nato ad conſummationem vſque mundi, ſimiliter duo milia annorum cõtinet, tametſi monuimus antea non fore huius ætatis annos integros, vt duo milia annorũ compleantur. Continet ſane hæc ſententia Eliæ multas præclaras doctrinas, & vel hoc nomine conſyderanda in primis eſt, quod à Chriſto nato de eo etiam tẽpore prædicit, quo rerum finis eſt expectandus: qua de cauſa præmittere hanc ſententiam volui principio libelli, vt omnibus cõmẽdaretur. Cæterum quo pacto poſt natũ Chriſtum mutationem cœperit Romana monarchia, & eius ſucceßio ad Germanos peruenerit, præterea & de origine Mahometici regni, & quomodo Papatus externæ potentiæ augmentum acceperit, ea omnia hac tertia parte indicabimus. Quin & hoc quoque in hiſtoriarum lectione in primis ſtudioſo obſeruare oportet, quod duplex regnum inſtitu*

*erit Deus: alterum mundi, alterũ vero Chriſti. Atque hic neceſſe eſt conſiderare, quomodo iam inde ſtatim à primordÿs mũdi cœperit eccleſia, & qua eam ratione ſemper cõſeruauerit deus. Itaque vt habeant piæ mentes confirmationem ſuæ fidei, adnotabimus, iuxta cuiuſque temporis regnorum ſtatum, vbi & apud quos regnum Chriſti, & quis in eo ſtatus fuerit, quarum rerum cognitio non mediocrem vtilitatem pÿs lectoribus adfert.*

# CHRONICORVM LIBER PRIMVS, QVI primam ætatem, hoc eſt, annorũ duo milia, ab Adam vſque ad Abrahæ tempora continet.

Adam in Paradiſo voluptatis conſtituitur, cui interdicitur ligno vitæ. Gen. 2.

Serpẽtis aſtutia Adã & Heua

ſeducuntur: inde trāſgreſsio mādati & peccatum.

Adam & Heua.

*SACRAE LITERAE docent, quod creauerit Deus cœlum & terram, deinde hominē, Adam & Heuam: eoſque in Paradiſum collocauerit, hoc eſt, vt extra mortem & peccatum poſiti in terra beate viuerent: ſed cum præceptum à deo impoſitum neglexiſſent, factos eſſe peccato & morti obnoxios. verum cum clare hæc omnia deſcripta extent in ſacris Biblijs, ex quibus di ſcēda ſunt, ſuperuacaneum eſt ea hoc loco cō memorare: tantum lectorē monuiſſe ſatis eſt, conſtare ex his principijs mundum, & creatos à Deo Adam & Heuam, qui ſeminarium ſunt totius generis humani.*

*Porro verò ſub ipſum ſtatim creationis tempus inſtituit deus ciuilem adminiſtrationem, quādo poteſtatem tradidit Adæ in ea omnia quæ in terra & mari ſunt, vt vteretur illis, & bonam ordinationē ſtatueret in illis omnibus quæ ſunt externa. Hoc mandatum dei prima origo eſt legum omnium, & quicquid ciuilium ordinationum vſquam eſt,*

ex eo

ex eo cepit initium, quæ propter mandatum hoc quod datum eſt Adæ, approbantur à deo. Quin & Eccleſia hic ſuum habuit principium. Nam præceptum datum eſt, in quo timorem & fidem ſuam coram deo exercerent: ſed vbi peccare cœpiſſent, patefecit deus potentiam Satanæ, & contra illam Euangelium de ſemine mulieris, hoc eſt, de Chriſto promiſit, quòd venturus eſſet Chriſtus, qui diſſiparet regnū Satanæ, ac nos de peccato & morte vindicaret in libertatem. Prima hæc Euangelij prædicatio fuit quæ Eccleſiæ & regno Chriſti initiū dedit. Nam in eccleſia nō ſolum præcepta bonorum operum docere oportet, ſed & remiſsionem peccatorum per Chriſtum: ſiquidem hoc tantum modo recōciliamur deo, & perſiſtimus contra mortem & tentationes omnes, cum promiſsionē de remiſsione peccatorum fide apprehēdimus: atque ita conſolationem ceperunt Adam & Heua ex verbo de promiſſo Chriſto: eſtque ex hiſce duobus hominibus primum inchoata Eccleſia. Præter hæc & temporales afflictiones eos ferre oportuit: nam ex paradiſo pulſi ſunt, hoc eſt, ſubiecti ſunt morti, & omnis generis calamitatibus alijs, atque ita per om

Eccleſiæ initium.

Euangelii prima cōcio.

Afflictionum initium.

nem vitam in labore ac ærumnis egerunt in ea terra, quæ poſtea à Iudeis occupata eſt. Nā ſcribunt apud Damaſcum vrbē creatos eſſe.

## Cain & Abel.

REfert ſcriptura ſacra, Adā & Heuam liberos procreaſſe, & Cain occidiſſe fratrem ſuum Abelem. Atque hic incipit perſecutio ſanctorum ab impijs hominibus. eſtq; exemplum plane horrendum. Nam contigit hæc cædes non alia de cauſa, quam ob cultum Dei, quem, cum ſyncerè fit, ferre non poteſt Satan: ideóque impellit Cain ad interimēdū fratrem, vt verbum Dei & ſyncera doctrina extinguatur. Et indicat hoc factum quàm vehemens ira, & quantus furor ſit Satanæ: præterea quæ infirmitas & ignorantia ſit hominum. Inſertæ autē huic hiſtoriæ ſunt obiter graues & feriæ conciones de venturo iudicio Dei, de horrenda vltione propter effuſionē ſanguinis, quæ hic recenſere longū eſſet.

Perſecutio ob uerum cultū Dei.

Cain poſtquam fugit conſpectum ſui patris, vrbem cœpit ædificare Enoch vocatā. Filij eius omnis generis opificia & artes excogitauerūt. Tandem ob commiſſam cædē pœnas dedit. nam & ipſe ſimili genere fati interijt.

## Seth.

POſt hæc Seth Adæ natus eſt. hic probitate & pietatis ſtudio clarus poſt occiſum Abelem dei regnũ illuſtrare & augere conatus eſt. Ex hoc Seth ſancti patres poſtea procreati ſunt, & permanſerunt huius generis reliquiæ. Cæterum Caini poſteritas in diluuio in vniuerſum extincta eſt. Ioſephus teſtatur ab Adam & Seth duas tabulas factas, alteram æneam, alteram verò lapideã, & inſculptum illis fuiſſe verbum dei, & prophetias, quibus conſeruatum eſt verbum dei. Scribit præterea & ab illis diuiſum annum in menſes duodecim, & curſus aſtrorum primum eos obſeruaſſe & docuiſſe. Nam poſſibile quidem non fuiſſet, humanum animum ad tam ſublimium & admirabilium rerum inueſtigationem potuiſſe penetrare, niſi cognitionem earum deus aperuiſſet. Itaque verbũ dei, literarũ characteres, & maximas quaſque artes Adæ & Seth debemus. Et multa teſtimonia extant apud Græcos, ſcripturam & artes omnes à iudæorum patribus profectas eſſe. Nam apud Herodotum libro quinto legitur, Græcos & artes & literas accepiſſe à Phœnicibus.

Adam & Seth inuentores artium.

*Adæ ætas fuit nongentorum & triginta annorũ, & attigit tẽpora patris Noe, verum ante natũ Noe mortuus eſt annis cẽtum & vigintiſex. Cæterum nihil memorabile quod acciderit his temporibus ſcriptum eſt vſque ad annos Noe, præter genealogiã, vt interim certò ſciremus, ex quibus Chriſtũ naſci oportuerit. Quanquam obiter meminit ſcriptura de fato Enoch, quòd ad deum ille ſublatus ſit: quod factum obiecit deus ob oculos mundo, vt cognoſceret & crederet immortalitatem poſt hanc vitam reſtare, & iudicaturum deum eſſe, ſeruaturum quidem pios, & vlturum impios.*

Enoch exemplum æternæ vitæ.

## Diluuium.

M*Eminit ſcriptura à deo punitũ eſſe mundum, & occaſiones annectit, nimirum quod deprauari cœpiſſet mundus: & referũtur inter capita flagitiorum, contemptus dei, adulterium & tyrannis: in qua omnis generis libido & petulantia exercetur. Sic enim textus habet, Sanctorum filij tyranni eſſe cœperunt ſuper terram: quo ſignificatur contẽpto verbo & cultu Dei, moribus inhoneſtis & vita diſſoluta eos vixiſſe, oppreſſiſſe infir-*

Gene. 6.

mos ac inopes pro ſuo arbitrio. & dominā-di licentia vſos pro animi libidine. Propter hæc minatus eſt Deus interitum mundo per diluuium: & hoc ipſum prius quàm eueniret prædicare voluit Noe, annos centum, vt conuerſi quidam ſeruarentur.

Noe cum natus eſſet ſexcentos annos, facta eſt inundatio, & ingreſſus eſt in arcam iuxta præceptum Dei cum vxore ſua, cum tribus filijs ſuis, Sem, Cham, & Iaphet: ſumptis vnà eorum vxoribus, & ſeruatus eſt: reliquos homines & animātia abſorpſit & perdidit inundatio. Et ſunt à mundo condito vſque ad inundationis tempora, anni mille ſexcenti & quinquaginta ſex.

## Tempus poſt diluuium.

CVm Noe iam ſupra annum dimidium in arca fuiſſet, & inūdatio decreſceret, hæſit arca in altiſsimo monte Armeniæ, ac poſt exactum annum, cū terra ſiccari cœpiſſet, iuſſus eſt à deo Noe deſerere arcā, in qua fuerat iam integro anno. Tum vero iterum quaſi nouum mundum inſtituit deus. Primū enim donauit verbum ſuum quo promiſit non ſubmergendum amplius mundum, &

certitudinis teſſeram addidit Irim, quæ moneret nos de facta promiſsione: atque hoc modo beneuolẽtiæ, & miſericordiæ ſigna poſuit ad fidem exercendam: permiſit etiam tum libertatem carnibus veſcendi, qua ſancti patres ante diluuium nunquam vſi erant. Præter hæc nouum præceptum tulit Deus de adminiſtratione externa, & clarius præcepit homicidas viciſsim occidendos eſſe per eos quibus legitimè hoc commiſſum ſit, hoc eſt, per magiſtratum. Itaque ea ratione nouus planè mundi ſtatus de integro conſtitutus eſt.

Eſus carnium.

Hæc omnia breuiter recenſui, in primis vt quiſque ad animum reuocet & expendat ſecum, quanta ſit ira Dei propter peccatũ. Et enim voluit Deus hoc exemplo mũdum certiorem reddere, quòd iudicare & vlciſci velit: eſtq́; ſignificatum velle Deũ iudicare aliquando vniuerſum mundum, ſiquidem non vult peccatum inultum manere. Scripſerunt nõnulli, cùm in aquis primum ſubmerſus ſit mundus, colligi ex naturalibus argumentis poſthac conflagraturum. Quin & hoc obſeruatu dignum eſt, ſeruari à Deo ſuos, quãquam numero paucos & contemptos. No-

*tandum hoc in loco & illud eſt, de inſtituta ciuili poteſtate, & vindicta ob perpetratum homicidium. Nam hoc ferè caput eſt omnis ciuilis adminiſtrationis, ex quo reliqui omnes caſus & delicta iudicari debent.*

## Turris Babylonica.

POſt diluuium aucto iam humano genere, apud Chaldeos Babylonica turris, & ciuitas Babylon ædificari cœpta eſt, vt ibi regnum auſpicarentur, & alios populos ſubijcerent. Cæterum hos conatus euertit Deus: nam cum antea vna lingua omnes vterentur, factum eſt, vt mutato vulgari ſermone alij alio idiomatis genere loquerentur, vt ſe mutuo nequaquam intelligerent. Itaque & diuiſio linguarum facta eſt, & opus ipſum relictum imperfectum. Poſteri autem Noe hinc inde in mundum diſperſi ſunt, id quod ſubiecta figura do ebit. — Idiomata linguarũ.

Sem maximus natu filiorum Noe, ex cuius genere Chriſtus eſt, occupauit cum filijs eam Syriæ partem quæ Orientem ſpectat. Nam ex eius filio Aram Syri venerũt, ex Aſſur, Aſſyrij: ex Arphaxat, Chaldæi: ex Elam, Perſæ originem duxerunt. — Sem.

Cham. *Cham alter filiorum Noe, eam regionem obtinuit, quæ ad meridiẽ tendit. Ex Canaam enim Cananei ſunt, ex Miſrain Ægyptij, ex Chus Æthiopes, ex Saba Arabes.*

Iaphet. *Iaphet natu minimus filiorum Noe ad Occaſum & Septemtrionem ſe contulit, & hic omnium noſtrum pater eſt: propterea & reperitur eius nomen apud Poetas, qui Iapetum eum vocarunt. Ex huius filio Iauan vel Iaon, Græci ſunt, quos Iones appellamus. Nam hi Græcorum primi ſunt. Et vox Iauan ſeu Iaon ſubindicat eũ eſſe haud dubiè, quem Ianum vocauerunt Latini. Pingere hunc bifrontem ſolebant, quòd vtriusque gentis & Græcorum & Latinorum ex eo ortus eſſet: & quoties auſpicaturi aliquid erant, ſingulari quodam honore eum venerabantur: quo teſtati ſunt ſe Iaon patrẽ agnoſcere. Iaonis filius Cethim fuit, vnde Macedones dicti ſunt, idq; cõfirmat primus Machabæorum liber, & vox Machetim Hebræis ſonat ex Cethim, vnde Macedo vocabulum natum eſt. nam Stephanus ſcribit Macetis veteres dixiſſe.*

Iones primi Græcorum.

Ianus bifrons.

Macedones.

AEoles. *Iaonis plures fuerunt filij, Eliſa & Dodanim, ex quibus Æoles aut Hellas, &*

Dodonei ortum trahunt. hi omnes Græcorum primi ſunt. Ex Tharſis Iaonis filio Tharſus in Cilicia dictus eſt. Iaphet alios quoque filios habuit, Gomer, Magog, Tyras, & Meſech. Ex Gomer, Cimerij ſiue Cimbri ſunt, teſte Euſebio. Ab Aſcanes filio Gomer, Tuiſcones, hoc eſt, Germani venerunt. A Magog orti ſunt Scythæ, & hinc Turcarũ origo eſt. A Thiras, Thraces. Indicaui breuiter quam quiſque filiorum Noe orbis partem occuparit. id quod ad intelligendas clarius multas hiſtorias refert cognoſcere.

## Prima monarchia.

VT intelligi poßit in his quæ geruntur à magiſtratu, opus Dei cognoſcendum & honorãdum eſſe, monuimus ſuprà in præfatione, voluiſſe Deum quatuor monarchiis mũdum retineri, vt politia, iuſtitia & vindicta inter homines conſeruarentur: propterea traduntur de his monarchiis multa paßim in ſcripturis ſacris. Duplici eas ratione Danieli propoſuit Deus: primum ſub imagine viri grandis, cuius caput aureum erat, pectus argenteum, venter æneus, crura ferrea, pedes partim fictiles, partim etiam ferrei. Et ne

Monarchiæ quatuor Danielis.

*ignorare queamus, tum demum mundi conſummationem fore, adiectum eſt, quo pacto petræ Chriſtus cõterat pedes iſtius, vt corruat vir ipſe, ac ita mundus ceſſet.*

*Interpretatus eſt hanc viſionem Daniel ipſe de quatuor monarchijs. Nam aureũ caput ſignificare ait primum regnum, hoc eſt, Aſſyriorum monarchiam: argenteũ pectus, Perſarum regnum: ventrem æneum, Græcorum imperium: ferrea crura, Romanorũ regnum. Ferrei & fictiles pedes, præſentẽ Romani imperij ſtatũ adumbrant, vt pote quod hodie multò anguſtius & infirmius habemus quàm olim fuit.*

Typ. 4. monarc

*Præ ſe ferunt & horum regnorum typum quatuor animalia oſtenſa Danieli: leæna, Aſſyriorum robur ſignificat: vrſus, Perſarum imperium: pardus, Alexandrũ: quarto animali Romani ſignificantur. Et adijcitur præter Romanum imperium exoriturum eſſe aliud regnũ crudelitate plenum, atque adeò quod contra verbum Dei nouam legem ſtatueret: atque hoc eſt Mahometicũ hodie & Turcarum imperium. Adeò fideliter commoneri nos voluit deus, vt cognitis totius mũdi hiſtorijs conſideraremus non longe abeſſe*

*conſummationis tempus, atque hoc modo habeamus quo fidem noſtram confirmemus.*

*In biblijs extat primum regnũ ex Nemroth apud Babylonios initium ſumpſiſſe, & vocat eum ſcriptura, Venatorem robuſtum coram deo, hoc eſt, potentem principem, qui vi ſubegerit homines ad obtemperandum. Et venator coram domino dictus eſt, quaſi Dei venator: quo ſignificatum eſt ciuilem poteſtatem vindictam eſſe à deo ordinatam, atque adeò quæ dei miniſtra ſit. Itaque prima Monarchia apud Chaldeos cœpit, quemadmodum & Xenophon teſtatur: & certe regnarunt primum poſteri Cham ex quo originem Nemroth habuerat. Quãquam enim filium Cham deuouerat pater Noe, tamen mirabili interim fato, & vindictã & promiſsionem diſtulit deus. Cæterum penes poſteritatem Nemroth non permãſit imperiũ. nam apud Aſſyrios nouum regnum exortum eſt per Aſſur, à quo & Niniue ciuitas condita eſt. Porrò ex Niniue progreſsi ſunt Aſſyrij, & vrbem Babylon ſubegerunt, id quod Diodorus Siculus ſcribit: eſtq; per hanc occaſionem à Chaldeis ad Aſſyrios tranſlata monarchia.*

an. mundi 1788.

Nemroth uenator Dei.

Strabo & præterea alij, Niniue vrbis mentionem fecerunt, quòd in Aſſyria ſita ſit: vnde æſtimari facile poteſt, Niniuem & Babylonem duas diuerſas vrbes fuiſſe, non vnam diuerſis nominibus. Multi in hac monarchia reges recenſentur. cæterum cùm nihil memorabile de factis eorum extet, non attinet magnopere nomina eorum tantum enumerare: ſolum hoc meminiſſe lectorem operæprecium erit, cœpiſſe hanc monarchiam propemodum ſub ipſum terminum primorum bis mille annorum, qui ſub id tempus exacti erant, quando Abraham quinquaginta annos natus erat.

Hactenus de prima ætate mundi, in qua videre licet de creatione mundi, de Eccleſia & ciuili adminiſtratione ordinata diuinitus, & præterea de alijs ſtupendis factis à deo exhibitis mundo. Cæterum Eccleſia à Noe patriarcha ad Abraham peruenit, qui natus erat annos quinquaginta octo cum moreretur Noe. Interim autem cùm cœpiſſet hæc monarchia, in Babylone paßim vbique impietas & idololatria exorta eſt, vera interim fide, & verbo dei extincto.

Eccleſia à Noe ad Abraham.

# CHRONICORVM LIBER SECVNDVS,

## de quatuor monarchiis: qui ſimiliter bis mille annos complectitur.

*QVia omnino neceſſarium & vtile eſt in hiſtoriis tempora & rerum geſtarum ſeriem conſyderare, partiri volui hæc Chronica in maximos quoſdam & certos numeros, qui facilè percipi & memoria retineri poßent, ſed quibus tamen comprehenderentur maximæ & præcipuæ quæque vicißitudines rerum. Poſtquam itaque primã ætatem abſoluimus, dicere iam inſtituimus de ſubſequentibus bis mille annis, in quibus & ſumma potẽtia mundi apparuit, & maximæ monarchiæ ordine extiterunt.*

## PRIMA MONARchia Aſſyriorum.

*ANtea monuimus primum omnium apud Babylonios regnare cœpiſſe Chaldeos, vèrum non diu manſiſſe in imperio, ſed Aſſyrios vicinos Chadææ vi obtinuiſſe regnum* Ninus.

*& auſpicatur hiſtoriam à rege Nino, qui potentiſſimus in Oriente factus eſt, tandem etiam cum Zoroaſtre Bactrianorũ rege bella geſsit. Fertur Zoroaſtres hic reperiſſe primum Magiam, & magna diligẽtia cœli & aſtrorum curſum docuiſſe. Porro finito bello quod cum Zoroaſtre geſtum eſt, obijt Ninus relicto hærede paruulo filio.*

Zoroaſtres magus.

## Regina Semiramis.

*SEmiramis mater pueri poſt obitum regis ipſa imperio præfuit. Verebatur enim in tam nouo regno, & non ſubditis adhuc omnibus ſua ſponte, ne ob iuuenilem ætatem pueri populus ad defectionem properaret: & ne ipſa propter muliebrem ſexum contemneretur, vſa eſt virili habitu, ſimulauitq; ſe regium filium eſſe. Excelluit factis planè heroicis & imperij fines regionibus adiectis & munitionibus adauxit. Imperauit feliciter & magna cum laude annis quadraginta duobus. Vrbem Babylonem ſumptuoſis ædificijs, foſsis mœnibus circunductis firmiorem reddidit. Defuncta regina matre, Ninias filius in magna tranquillitate regnauit. & fuit hoc modo apud Aſſyrios faſtigium*

orbis & Monarchia multo tempore. Cæterùm cum non multa de ſubſequentiũ regum factis ſcripta extent, prætermittere volo catologum nominum eorum, quòd germanus lector illorum non facile meminiſſe queat. Qui verò ea cognoſcere volet, is ex multis alijs ſcriptoribus petere poteſt. Ex Beroſo, Diodoro &c.

At verò dubium non eſt, quin variæ & magnæ mutationes inciderint in hãc Monarchiam id quod colligi facilè poteſt ex Biblijs ſacris quæ teſtantur ab Aſſyriis multò antè Cyri tempora Babylonem occupatam: cæterum regna diuerſa fuiſſe, alterum Niniuitarum, alterum verò apud Babylonios. Verùm quibus de cauſis, & quo tempore fuerint hæ commutationes, incertum planè eſt. Herodotus ſcripſit tenuiſſe hanc Monarchiã Aſſyrios annos quingentos, poſtea multo tempore nullum certum aut firmum imperium extitiſſe, ſed ſuo proprio regno Medos vſos eſſe, ſimiliter & Chaldæos apud Babylonem, item Aſſyrios apud Niniuitas ſuũ habuiſſe imperium, & inter reges modò hũc, modò illum potentia fuiſſe ſuperiorem. Medi tandem potentiores facti, ſummam ad ſe Monarchiam retulerunt, capta etiam Baby

lone vrbe. Hæc magis veriſimilia apparent, quibus & ea conſentiunt, quæ de Sardanapalo nõ ſolum Metaſthenes ſcribit, ſed Bion etiam cuius Agathias mentionem facit.

## Sardanapalus.

SVnt itaque nobis de Sardanapalo pauca dicenda, quomodo exutus ſit regno ſuo, & quod poſtea diuiſa ſint imperia. Quoties punire vult mundum Deus, principes impudicos donat. Ex hiſtorijs conſtat, Sardanapalum neglecta prorſus regni adminiſtratione, voluptatibus tantum indulſiſſe, adeò etiam vt & fuco ad fingendum formam, & ornatus habitu, mulierum exemplo, vſus ſit. Ferũt ſedentem eum in corona impudicarum mulierum omne turpitudinis genus exercuiſſe. Quomodo quæſo huiuſmodi imperium calamitoſum exitum non habuiſſet? Cùm iam defeciſſent ab eo Medi & Babylonij, pugnaſſetque cum hoſtibus infeliciter, neque vſquam ferè amplius tutus eſſe poſſet, arcem apud Babylonios igni accendit, & in ea conflagrauit. Cæterum, vt Duris ſcribit, præmiſerat iam anteà tres filios ſuos Niniuem: atque hinc factum eſt, vt poſt extinctũ

Sardanapali mollities.

Sardana-

*Sardanapalum diuiſa regna fuerint. Apud Babylonios Belochus imperabat, qui cum Arbace à Sardanapalo defecerat. Arbaces Medorum regnum tenuit. Apud Niniuitas Aſſyriorum poſteritas per annos aliquot durauit. Dimicatum eſt inter hæc tria regna propter Monarchiam annis multis.*

## AEgyptus.

D*Iximus de prima monarchia hac quantum ſatis eſt. Cæterum quantum annorum ſit vſque ad ſecundæ Monarchiæ tempus, infra annotabimus. Reſtant nunc indicanda quædam breuiter de alijs regnis, quæ præter hanc Monarchiam exorta ſunt. Floruit enim AEgyptiorum regnum longe ampliſſimum, quod à poſteris Cham adminiſtratum eſt: ſed quod ad eius potentiã attinet, Monarchia inferius erat: quemadmodum Gallorum regnum hodie potẽtiſſimum quidem eſt, ſed inferius tamen Romano imperio, ſiue potentiam, ſiue dignitatis maieſtatem ſpectes.* AEgyptiorũ regnũ.

## Abraham & ſpirituale regnum.

V*T non ignoremus, quo in loco verbũ Dei & Eccleſia fuerit, dicendum nobis quo-*

que eſt de ſpirituali regno. Temporibus Nini regis Abraam fuit. Nã cum eſſet annos circiter quinquaginta natus, finem habuerũt primi bis mille anni, & Aſſyriorum regnũ iam anteá cœperat. Porrò autẽ cùm iam verus cultus, & verbum Dei exoleſcere cœpiſſet in regno Babylonio, profectus eſt Thare ex Chaldæa in Meſopotamiam cum duobus filijs ſuis Abraam & Loth, vt non & ipſe impietatis ſuperſtitione apud Babylonios cõmacularetur. Vocat autem ſcriptura hanc idololatriam ignem Chaldaicum, Vr Chaldæorum. Nam cum in ſacrificijs verè piorum ignis decidens è cœlo accendiſſet victimas, imitati eorum exempla impij ignem accenderũt, & ita inſtituerunt nouum cultum Dei, vt eo opere ſeruirent Deo, ſine expreſſo verbo Dei, & abſque cognitione promiſſionis de venturo Christo Infra in hiſtorijs quoq; dictus eſt hic ignis Orimaſda, hoc eſt ſanctus ignis, quẽ equo impoſitum etiam anteferri ſibi reges voluerunt. Prima occaſio idololatriæ inter homines ex hoc igne cœpit, prius quàm imagines in vſu fuerint. Cæterum ne in vniuerſum verbum Dei interiret, ex integro promiſſionem de Christo renouauit Deus, & verbo no

Abraæ tẽpus.

Vr Chaldæorum.

Idololatriæ prima occaſio.

*uam ceremoniam adiecit quæ veluti ſignum conſeruaret in hominũ animis memoriam verbi. Etenim facile obliteratur vera doctrina, niſi per externa ſigna & ceremonias inculcetur populo. Electus ad id à deo Abraam, qui cùm natus erat annos quinque ſupra ſeptuaginta, iuſſus eſt à Deo relicta Meſopotamia in Chaldæam concedere, vbi noua ei promiſsio contigit, fore vt poſteri Abrahæ terram Canaan poſsiderent, & in ea imperarent, atque adeò etiam venturum eſſe ſemẽ Abraæ, nimirum Chriſtum, per quẽ vellet omnibus populis benedicere Deus, hoc eſt, per hoc ſemen placandum eſſe Deum, & ſublato peccati & mortis iure, donandam vitam æternam. Promiſsioni huic à Deo circunciſio addita eſt, quæ promiſsionis ſymbolum eſſet & incitamentum ad credendum. Itaque poſtea ſemper permãſit Eccleſia, verbum & ſpirituale regnum Chriſti in certo populo, hoc eſt in poſteris Abraæ, in quibus aliquos ſemper, qui vere credẽtes & pij erant exiſtere neceſſe fuit. Porrò vniuerſa hiſtoria Abraæ in ſacris Biblijs copioſe deſcripta eſt. Hoc in loco indicaſſe ſatis ſit, quo tẽpore fuerit Abraam, & quæ mutationes*

Renouatio promiſsionis Abraæ facta.

Circunciſio.

de religione inciderint, & quod promiſſio ſub inde iterata eſt Abraæ. Circunciſio autem data eſt ipſi nato annos nonagintanouẽ, anno à condito mũdo, 2047. Sunt qui ad vnũ Iubileum numerant 2050.

Circũciſio quãdo data.

Abraæ ex Agar ancilla filius Iſmael ſuſceptus eſt is potentia & viribus apud Arabas creſcere cœpit, & Agareni in Arabia huius Agar nomen referunt, de quo poſtea dicemus.

Agar. Iſmael.

## Interitus Sodomæ.

ANno nonageſimo nono ætatis Abraæ, ob deteſtanda flagitia, & nefandas incõceſſasque libidines deleuit Deus quinque vrbes. Sodomã & Gomorram, & adiacẽtes alias ciuitates, igni cœlitus demiſſo exuſtas. Locus vbi fuerunt vrbes, ingẽs lacus factus eſt, cuius longitudo & latitudo per aliquot miliaria protenditur, hodie etiamnum pice plenus perpetuis vaporibus exæſtuat, in teſtimonium diuinæ indignationis & vindictæ ob tanta ſcelera. Contigit hoc poſt diluuium anno triceſimo nonageſimo primo, poſtquã mortuus fuerat Noe vno & quadraginta annis.

Anno mũdi 2047.

Teſtatus eſt hoc modo ſubinde Deus mũdo

ſe peccatores vlciſci & iudicare velle.

## Iſaac.

POſt hæc natus eſt Abraæ ex vxore ſua Sara, filius, Iſaac dictus, ex cuius ſemine Chriſtus eſt. Nam huius typum præ ſe ferebat, cũ vt immolaretur à patre iuſsit Deus: quo ſignificatum eſt Chriſtum victimam fore qua peccatum & mors expiaretur: eſtq; adumbratum in hoc exemplo, iterum Deum peccata condonare velle, reſuſcitare mortuos, donare credentibus vitam æternam. Anno mũdi 2048.

Iſaac duos habuit filios Iacob & Eſau. Ex Eſau Edomitæ originem habent in Arabia: nam Eſau Edom dictus eſt, hoc eſt rufus, propterea ꝙ ius primogenituræ, cui benedixerat Deus, ob pulmentum rufum vendiderit ſuo fratri, contẽpta nimirum benedictione & beneficio Dei ventris cauſa. Iacob autem Iſraſel cognomẽto appellatus eſt, hoc eſt, princeps dei, ex quo Iſrael populus ortum habet. Sed de his omnibus conſulenda ſunt Biblia ſacra. Iacob. Edomitæ Eſau quare Edom dictus.

## Ioſeph filius Iacob.

QVia vero inter præcipuos & ſapientiſsimos rectores recenſetur Ioſeph, merito hic eius mentionem facimus. AEgyptios Ioſeph uir ſapiẽs & ſanctus.

enim & religionem & ciuiles mores docuit: eſtq; in primis obſeruatu dignũ, virum & ſanctitate, & ſpiritu ſancto præditum duram admodum & ſeueram adminiſtrationis rationem inſtituiſſe, & tam latè patentem AEgypti regionem vniuerſam veluti vnius corporis membra coadunaſſe, vt hinc diſcamus ſeueritatẽ ad retinendam in officio multitudinem in primis neceſſariam eſſe, & probari Deo. Indulgẽtia enim vulgus corrũpi ſolet. Cæterũ qua de cauſa peruenerit in AEgyptum, de conſpiratione fratrum eius, quòd ab illis venditus ſit, præterea & qua fortuna vſus ſit in AEgypto: de his omnibus copioſè in Biblijs. Etenim mirabili hac occaſione in AEgyptum venire eum voluit Deus, vt & in hoc regno inſtitueretur verus cultus Dei, & pateſieret promiſsio de venturo Chriſto. Voluit enim Deus ſemper etiam in maximis regnis prædicari verbũ ſuum: præterea vt per hanc occaſionẽ Deus victus ſubſidium Iacob & eius generi famis tempore ſuppeditaret.

Seueritas in imperio placet Deo.

## Moſes & tyrannis Pharaonis.

Afflictionũ ratio.

QVanquam verò Abrææ poſteris promiſerat Deus poſſeſsionem terræ Ca-

naan, tamen diſtulit promiſſum multo tẽpore, vt haberent interim quo per verbum fidẽ ſuam exercerent: imo etiam grauiter eos antea in AEgypto adfligi permiſit. Nam vt teſtatur Geneſis, Iacob cum filijs ſuis famis tempore in AEgyptum profugit vbi multo tempore egerunt, id quod poſtea adnotabimus. Porrò cum ſine modo & intermiſsione grauaret populum Pharao, & tyrannidem exerceret adeò vt præceperit etiam natos maſculos ſtatim enecari, miſit Deus Moſen, vt ex AEgypto educeret populum Iſrael, qui poſt multa miracula populum ad mare rubrum perduxit. Magna vi perſecutus eſt populum Pharao, cõfiden: ſuiſe voti compotem fore, vt omnes necaret. nam effugij locus non erat: cum hinc montibus, hinc mari concluſi eſſent, & à tergo hoſtis Pharao inſtaret. Sed hic declarauit Deus, quòd vbi extrema neceſſitas incumbit, adeſt ſuis, & audit eos. Nam retrogreſſa eſt aqua, & per miliaria aliquot viã præbuit Iſraeli, vt ſine vllo periculo trãſiret, ſed infeliciter ſubſecutus eſt in mare tyrannus, qui priſtino more fluentibus iterũ aquis abſorptus eſt cũ delectiſsima totius AEgyptiaci populi parte. Propoſuit hic itaque

Deũ ſuis adeſſe.

Vltionis exemplū. Deus mundo nouum exemplum rurſus, velle ſe tyrannos impios, atque adeò omnes contemnentes pietatem iudicare & vlciſci.

## Quo tempore Decalogus præceptorum ſit datus.

QVinquageſimo die poſt diſceßionem Iſraelitici populi ex ÆEgypto, cum in deſerto iuxta montem Sinai iter facerent, decem præcepta promulgata ſunt incredibili magnificentia & maieſtate, nimirum voce audita è cœlo plena metus & terroris. Atq; hoc opus Dei eiuſmodi eſt, vt eo nō aliud ſublimius in terris contigerit hominibus antea. Continet enim doctrina decem præceptorum ſummam ſapientiæ diuinæ, & cōpendio quodam complectitur quicquid legum & conſtitutionum vſquam eſſe poteſt. Itaque operæprecium eſt tempus non ignorare, quo doctrina tam magnifica data eſt diuinitus, nimirū annis à mundo condito bis mille quadringētis quinquaginta quatuor.

Tempus à promiſsione Abrahæ facta uſq; Septingentis nonaginta octo poſt diluuiū. Et Paulus ait, legem datam eſſe poſt factam promißionem anno quadringenteſimo triceſimo. Nam is annorum numerus eſt, iam in-

de ab eo tempore, quo natus Abraham annos ſeptuaginta quinque promiſsionem accepit, vſque ad id tempus, quo per Moſem eductus eſt Iſrael ex AEgypto. Et quod legitur Exodi duodecimo capite, habitaſſe Iſraelem in AEgypto annis quadringentis & triginta, numerari non debet ab eo tempore quo Iacob in AEgyptum profectus eſt, cum iam florebat Ioſeph. Nam non eſſe hunc annorum numerum poſt Iacob tantùm, vel inde facile colligi poteſt, quòd Caath vnà cum Iacob profectus eſt. Porrò is filium Amram genuit, qui filium Moſen habuit. Iam fieri non poteſt, quadringentos annos inter Caath & Moſen fuiſſe. Proinde ſupputandi ſunt quadringenti & triginta anni illi, de quibus in Exodo legitur ab eo tempore quo Abraam primum ex Meſopotamia in Canaam profectus eſt, & poſtea ipſe quoq; in AEgypto eſt verſatus. Et vt rectius Pauli ſententia deprehendatur, colligam annorum numerum paulò exactius. Anni viginti quinque ſunt vſque ad natum Iſaac, ab eo tempore, quo Abraam primum in terrã Canaan venit, quando natus erat annos ſeptuaginta quinque.

ad egreſſum ex AEgypto

Sexageſimo anno Iſaac Iacob genuit.

Nonageſimo ætatis ſuæ anno Iacob, Ioſeph natus eſt.

Decem & centum annis Ioſeph vixit.

Sexaginta quinque anni ſunt poſt Ioſeph vſque ad natum Moſen, & hunc numerum annorum etiam Philo adnotauit.

Annos octoginta Moſes natus erat, cùm ex AEgypto educeret populum. Contracti hi anni in ſummam, conſtituunt annos quadringentos & triginta. Tãti temporis interuallum extitit iam inde, cùm primum promißio daretur Abraæ, vſq; ad id tẽpus quo ex AEgypto profectus eſt Iſrael, & poſtea lex data eſt. Iam verò dedit huic populo Iſraelitico Deus certam politiam & peculiare quoddam regnum, in quo nihil deſiderari poteſt, quod ad verum cultum Dei, ad ſacerdotium, præterea etiam quod ad ciuilem iuſtitiam attinet, vt apertè tandem exiſteret certus populus, qui haberet verbum Dei, & ex quo Chriſtus aliquando naſceretur. Itaq; penes hunc populum ſemper fuit eccleſia, regnũ Dei & verum verbũ vſque ad paſſum Chriſtum: id quod obſeruandum eſt, vt nemo neſciat ſemper fuiſſe Eccleſiam, & reuelaſſe

*Deum iam inde ab initio mundi verbũ ſuũ, & conſeruaſſe illud ſemper apud ſuos.*

## Principes Iſrael.

*AB egreſſu ex Ægypto vſque ad initium regni Saulis, anni fuerunt trecenti ſexaginta nouem, id quod apertè indicat textus 3. Regum 6. Iam verò poſt defunctum Moſen Principes habuit hic populus, qui partim auctoritate prudentium hominum creabantur, partim à Deo excitabantur vocatione peculiari, à quibus res geſtæ ſunt inſignes. atque ita declarauit Deus ſe adeſſe & tueri ſuos fideliter, etiam ſi periculorum fluctibus aliquandiu agitari videãtur. Principes hi conſuetudine Hebraica Iudices dicebantur. Cæterum cùm extent hiſtoriæ eorum in Biblijs conſcriptæ, nos tantùm nomina eorum recenſebimus, vt Chronicorum ordo, & ratio annorum rectius obſeruetur.*

Principes iudices dicti.

| | |
|---|---|
| *Moſes regnauit* | 40 *annos* |
| *Ioſue* | 27 |
| Othoniel | 40 |
| *Ehud* | 80 |
| *Barach cum Debora prophetiſſa* | 40 |
| Gedeon | 40 |

Alii Ioſuæ 32.

*Abimelech* 3 *Is parricidiũ admiſit in fratrẽ ſuũ, & per ſeditionem regnum in ſe tranſtulit: ideóque & ipſe non multo pòſt perpetrati parricidij pœnas dedit.*

Poſt *Iair interregnum 18 annorũ.*

| | | |
|---|---|---|
| *Thola* | 23 | *an.* |
| *Iair* | 22 | |
| *Iephthe* | 6 | |
| *Abeſſan* | 7 | |
| *Elon* | 10 | |
| *Abdon* | 8 | |
| *Sampſon* | 20 | |

*Poſt hos præfuerunt populo hi ſummi Sacerdotes:*

| | | |
|---|---|---|
| *Eli* | 40 | *annos* |
| *Samuel* | 40 | |

## Reges Iſrael.

IVdices *Iſraelitici populi hæreditarij non erant: ideo nec firmum aut certum imperium fuit in hoc populo, præterquam apud ſummos ſacerdotes: ſed præſidij loco ſubinde addidit Deus prudentes principes, eósq; nũc hic, nunc alibi excitabat. Cæterum hanc incertitudinem imperij indignè ferens populus, poſtulauit à Samuele ſummo ſacerdote regem certum deſignari, qui præeſſet regno. Sa-*

Anno mũdi 2870.

muel nihil in re tanta temere facturus, Deũ cõſuluit Significauit Deus offendi ſe vehemẽter hac libidine vulgi in nouo rege petendo, monuitq; Samuelem hoc nomine grauiter puniendũ populum. Interim tamẽ annuit Deus in creando rege & regno inſtituendo & cõtinuãdo. Confirmatur hic regni poteſtas diuinitus, & adminiſtratio regnorũ verbis non obſcuris, id quod in primis ſpectare decet.

Regnorũ ac magiſtratus cõfirmatio à Deo.

Proinde obſerua, quòd non ideo iraſcitur Deus quia improbet regium imperiũ (nã id clare confirmat) ſed indigne fert nouitatis ſtudiũ multitudinis in ea republica mutãda, quam ipſe inſtituerat. Etenim Deus ferre non poteſt immutationẽ imperiorũ, quæ diuinitus ſunt ordinata. Et monemur hoc exemplo, vt quãcunq; tandẽ innouationẽ fugiamus. Sunt præterea in hac hiſtoria multa alia præclara præcepta quæ breuitatis ſtudium me cogit prætermittere. Tantùm vnum hoc repetere volui, confirmari hic à Deo denuo ciuilẽ magiſtratum ac principũ & regum auctoritatẽ, quando loquitur de iure & officio regis.

Mutationes imperiorũ diſplicent Deo.

Saul regnauit annos quadraginta, & propter impietatem periit, & totum eius genus extinctum eſt.

Saul.

Dauid. Dauid imperauit quadraginta annos, & puniuit eum Deus ob admiſſum adulterium, & per ſeditionem à proprio filio Abſalon regno pulſus eſt: ſed reſtituit eum Deus in regnum, ac ſeditionem grauiter puniuit. Abſalon inuſitato quodam genere fati perijt.

Salomon. Salomon annos 40. rex fuit, ſed eo defuncto diſtractum regnum eſt propter adulterium Dauidis.

## Reges Iuda ex linea & genere Salomonis.

Roboam. ROboam rex imperauit annos ſeptemdecim. Et cùm parere nollet conſilijs maiorum in minuendis nõnihil oneribus & exactionibus regni, effecit ſeueritate ſua, vt mutatio regni ſubſecuta ſit. Sequebatur enĩ cõſilia iuuenũ, neq; pro æquitatis ratione quicquã remittere volebat. Defecit itaq; ab eo potiſsima pars regni, & nouũ regnũ in Samaria auſpicati ſunt. id quod vtrinque ingẽtium bellorum occaſionẽ præbuit. Cæterùm in tribu Iuda retinuit imperiũ poſteritas Dauidis, & regẽ Iuda ſecuta eſt tribus Beniamin.

Samariæ regnum.

Abia. Abia regnauit tres annos, & pugna deuicit regem decem tribuum Iſrael.

*Aſa imperauit annos vnum & quadraginta.* Hic *magnam laudē meruit, ꝙ impium cultum Dei, qui contra verbū Dei inſtitutus erat, abrogauerit, adeò etiā vt ne matri quidem ſuæ in hac parte pepercerit: nam & illa peculiarem quēdam cultum* Dei *ſequebatur. Fortunauit hoc nomine eum Deus aduerſus Arabes quos pugna vicit. Tandem etiā punitus eſt à Deo ob conſpirationem quādam, quam relicta fiducia in Deum, inierat.* Aſa pius.

*Sub annum duodecimum imperij huius regis Aſa expleta ſunt tria milia annorum mundi, hoc eſt, media pars totius ætatis mūdi, iuxta Eliæ dictum, quod in ipſo principio libelli adnotauimus. Iā verò poſthac animaduertere licet maximas ſtatim & repentinas mutationes in omnibus imperijs accidiſſe, exorta bella & cædes eſſe: ſiquidem ad vltimū ætatis ſpaciū paulatim vergūt res humanæ.* Media pars ætatis mūdi.

*Quin & hoc quoque conſiderandum eſt, res Iudaicas* Græcorum *& Romanorum factis vetuſtiores eſſe: vnde colligi facile poteſt à Iudeorum patribus originem omnibus alijs populis eſſe, imò etiam antiquiſſimam doctrinam, atque adeò ipſum verbū Dei apud Iudæorum patres extitiſſe.* Iudei uetuſtiſſimi

Ioſaphat ſtudioſus religionis

Elias in media mũdi ætate.

Ioſaphat regnauit annos vigintiquinq;. commẽdatur ob ſtudium religionis, & quòd magna ſedulitate omnia officia regia adminiſtrauerit. Et hoc nomine præclaris eũ victorijs donauit Deus. Elias propheta huius temporibus fuit, qui viuus in cœlum ſublatus eſt: atque ita in ipſo medio ætatis mundi ſpacio exuſcitat prophetam Deus doctrina & miraculis inſignẽ, vt verbum & promiſsio de Chriſto ſubinde innouaretur. Reliqua itaque tria milia annorum mundi ſub hoc Elia inceperunt. Eliæ ſucceſsit Eliſæus propheta. Cæterum de his duobus prophetis, quòd damnarint impium cultum Dei, & quæ miracula fecerint, copioſe in Biblijs ſacris tractatur.

Eliſæus.

Ioram filius Ioſaphat.

Ioram regnauit annos octo: occidi iuſsit maiores & fratres ſuos, & nouæ idololatriæ auctor fuit: quare & ob impietatẽ Deo meritas pœnas dedit: victus à Philiſtæis occubuit, à quibus abductæ ſunt vxores eius & liberi præter Ochoſiam, qui natu minimus erat.

Ochoſias

Athalia,

Ochoſias vno tantũ anno in imperio fuit, & patris exemplo falſum cultũ Dei inſtitui permiſit, quare occiſus eſt. Porro mater eius Athalia, vbi vidit interijſſe ſuum filium, ne ab alijs occuparetur regnũ, occidi iuſsit quot-

quot

*quot reliqui erant ex ſtemmate regio, atque hoc modo à Salomonis poſteritate tranſlatũ regnum eſt: vt hinc diſcamus quàm ſeueriter vlcſcatur Deus peccatũ. In primis autẽ cõſiderare ho: debẽt principes, extirpari à Deo magnorũ principum genus cauſa flagitiorũ.* Vltionis exemplũ.

*Athalia mater Ochoſiæ per violẽtiã retinuit regnũ, & magnã tyrannidẽ exercuit annos ſeptem. Tandem meritas pœnas dedit, quũ ex iuſſu ſummi ſacerdotis iugulata eſt.*

## Nathan & eius poſteri.

*IN catalogo patrũ, ex quibus Chriſtus eſt natus, prætermiſit Euangeliſta Lucas Salomonem. nã Salomonis poſteritas extincta eſt. cæterum nihilominus in regno ſucceſſerũt poſteri Dauidis, iuxta promiſsionem Dei. Porrò habuit Dauid & Nathã filiũ, cuius Lucas mentionem facit. Ex huius genere hi ſequentes reges Iuda fuerunt: nempe* Nathan filius Dauid.

*Ioas imperauit annos quadraginta: inſignis hic pietate fuit, dum Ioïada ſummus ſacerdos viuebat, cui obtemperabat, poſtea ad impietatem & idololatriam defecit, & Zachariam prophetam Ioiadæ filium ante templum occidi iuſſit, cuius & Chriſtus memi-* Ioas. Ioiada. Zacharias propheta.

nit Mathæi 23.cap. Quam ob rem per Syrios puniri voluit eum Deus, qui tandem à miniſtris propriis occiſus eſt.

Amaſias pietatis ſtudioſus. Amaſias rex fuit annos viginti nouẽ, & hic primum pietatis ſtudioſus fuit, & prophetas audiebat: quo nomine fortunatus à Deo proſtrauit Idumæos. At poſtea inſolẽtior factus, nulla cõpulſus neceßitate ex mera libidine animi bellum cœpit, in quo captus eſt, & tandem periјt.

Ozias regnauit quinquaginta duos annos, dictus & Azarias hic eſt. Et is principio pius fuit, & Philiſtæos vicit. Poſtea cùm contra ordinationem Dei ipſe in templo ſacrificare vellet, lepra infectus eſt. Huius ætate vixerunt prophetæ, Oſeas, Amos, & Micheas, qui contra vtrunque regem in Samaria & Iuda docuerunt. Fuit & hiſce temporibus Ionas, qui miſſus erat ad prædicandum regi Aſſyriorum.

Oſeas. Amos. Micheas. Ionas.

Ioathan. Ioathan regnauit ſexdecim annos: is pius erat, & feliciter pugnauit contra Ammon.

Achaz. Achaz ſimiliter annos ſexdecim regnauit: inſtituit falſum cultum Dei, & ex nimia ſuperſtitiõe & peruerſo ſtudio pietatis, ſacella & aras paſſim per totã terram extruxit.

qua de cauſa permiſit Deus ipſum & totum eius regnum grauiter adfligi & expoliari.

Ezechias regnauit annos vigintinouẽ: Rex pius fuit: ſublata idololatria verũ cultũ Dei reſtituit, ſacerdotibus ſuas decimas reddidit. Et quia ſunt hæc vera bonorum principũ facta, ideo præclaras ei victorias donauit Deus. Nã cùm obſideret Hieruſalẽ Aßyriorũ rex, inuocauit ꝓ ſubſidio ferendo Deum, & fuſis ꝑ Angelos Aſſyriis, liberata obſidiõe vrbs eſt. Eſaias ꝓpheta huius regis tẽporibus fuit in ſummo honore, à quo inſtitutus eſt rex in his quæ ad timorẽ Dei pertinẽt. Porrò ſexto anno Ezechiæ, vrbe Samaria potitus eſt rex Aſſyriorũ, & in ſeruitutem redactas decem tribus Iſrael abduxit. Maior hæc pars fuit populi Dei, quæ defecerat à Iuda, & ꝓprium regnũ inſtituerat. Verùm cũ timerẽt ſibi reges Samariæ ne relaberetur populus ad regnum Iuda, quod diuinitus ordinatũ erat, ſi ſubinde ꝓ ſolẽni more frequẽtaret Hieruſalem, ꝓpter ſacrificia faciẽda, & audiendum verbũ Dei, iuxta præſcriptũ legis, inſtituerunt quendã proprium cultum Dei, doctrinã propriam, & ſacrificia contra verbum Dei: atque ita abuſi ſunt prætextu nominis diuini

Ezechias rex pius.

Eſaias.

Samariæ deuaſtatio.

ad priuatam potẽtiam regni ſui retinendã. Contra hunc cultum Dei ſubinde à Deo miſſi ſunt prophetæ in ſalutem & conſeruationem plurimorum: interim autem potentiſſimi quique ſuum falſum cultum Dei, mordicus retinuerũt. Proinde grauiter adflixit hos reges Deus bellis & ſeditionibus, neq; apud vllum genus diu huius imperij dominiũ durauit, adeò etiam vt tandem & reges & populum abduci permiſerit Deus. Meritò nobis hoc exemplum terrorem debet incutere, vt diſcamus timere Deum: nam ſi peculiari ſuo populo, & poſteris Abrahæ, quibus tam præclaræ promiſſiones contigerant, non pepercit Deus, ſed regnum eorum tam ſubitò euertit, & abiecit eos: quis animo tam ſecurus eſt, qui credere poteſt, impunè nos euaſuros? Quin verò mea opinione, ea pars Samariæ typum videtur præ ſe ferre Oriẽtalis & Græcorũ Eccleſiæ: quandoquidem vt Iſrael in Samaria abductus per Aſſyrios nunquã reuerſus eſt, ita & oriẽtalis Eccleſia per Sarracenos & Turcam prorſus eſt deleta. Et quemadmodum poſtea tribui Iuda accidit, ita valde metuo, ne & hæc pars occidentalis ſimile quiddam aliquando experiatur. Me-

Impij cultus inſtitutio non manet inulta.

Exẽplum timoris Dei.

Samaria typus Orientalis Eccleſiæ.

tuendum ſanè eſt, ne atrocius etiam nobiſcũ acturus ſit Deus, ad magnitudinem flagitiorum noſtrorum. Cæterùm voluit tamen interim Deus benedicere Abrææ ſemini præ omnibus gentibus. Quamobrem pius lector exemplum hoc expendere ſecum debet, & precari Deum, vt in miſericordia nos caſtiget, & non planè abijciat.

Durauit hoc regnum annos ducentos quadraginta quatuor tantum. Breuiſſimũ omnino hoc tẽpus erat, præſertim cùm hic populus adeò magnificas promiſſiones haberet, etiam de bonis externis: & interim tamen bellis, & ſeditionibus nunquam caruit. Vſqueadeò peruerſum cultum non ſinit Deus inultũ. Deuaſtatio regni Samariæ facta eſt anno poſt mundum conditum, 3240.

Manaſſe Ezechiæ filius ſucceſſit patri in regno Iudææ, regnauitq; annos quinquagintaquinq;. Reſtaurauit hic falſum cultũ Dei, & præ falſo zelo pietatis proprios filios ſacrificij loco cremauit. Perſecutus eſt prophetas: Eſaiam prophetam ſanctiſſimum ſerra diſſectum occidi iuſſit. tandem ab hoſtibus captus & abductus eſt. Cæterũ cùm agnoſceret peccatũ, & ex animo inuocaret dominum, in

Manaſſe impi⁹ rex

Eſaiæ mors.

Manaſſe exẽplum pœnitentiæ.

gratiã vltro neceptus eſt: & exẽpli loco ꝓpoſuit eum Deus peccatoribus, vt non dubitent Deum propitiũ fore, & remittere velle iram & vltionem, ſi ab impietate reſipiſcant.

Amon. Amon regnauit annos duos: rex impius fuit, quare gladio miniſtrorum ſuorũ periit.

Ioſias. Libri Moſaici reperti. Ioſias regnauit xxxi. annos, abſtulit impium cultum Dei: ſacella & idola diruit: oſſa falſorum prophetarum exuri iuſſit. Huius temporibus libri Moſaici, qui multis iam annis interciderant, iterum reperti ſunt. Exemplum hoc ſanè in primis memorabile eſt, vſque adeò proficere & creſcere impietatem, & traditiones humanas, vt ſacra ſcriptura in tanto ſit contemptu, vt etiam ipſi libri amittantur. Verùm ita proſpiciente Deo, tãdem tamen reſtituitur & profertur. Typus ſyncerioris doctrinæ ſub finem mundi. Typum haud dubiè præ ſe fert hæc hiſtoria nouiſſimorum temporum in Eccleſia, cui ſub ipſum finem ſyncerior cognitio verbi reuelari debet. At verò quanquam Ioſias pius omnino rex erat, tamen ſuo tandem errore non caruit. Etenim cùm iam multo tempore magna pace vſus eſſet, & multa præclarè egiſſet, audacior factus, nihil ſibi infeliciter cedere poſſe exiſtimauit ob pietatem.

Itaque bellũ intulit regi Ægyptiorũ, quãquam pacis conditiones expetenti. Sed quia ſuſceperat hoc bellum ex fiducia humanarũ viriũ, in pugna graui vulnere ictus interijt.

Ioachaz regnauit tres menſes: & in Ægyptum abductus eſt. Ioachaz.

Ioacin regnauit annos xi. Huius temporibus inuaſit totam Iudæam Nabuchodonoſor rex Babyloniæ, cuius tributarius factus eſt, abducti homines multi ſunt, inter quos & Daniel adhuc adoleſcens fuit. Poſtea cùm non ſeruaret initum fœdus Ioacin, reuerſus Nabuchodonoſor eſt, & captũ Ioacin Hieroſolymæ occidi iuſsit, & corpus eius inter alia cadauera ante vrbẽ proiectum eſt, iuxta vaticinium Ieremiæ, qui prædixerat fore, vt quemadmodum aſinus ſepeliretur. Ioacin. & Eliacin. Nabuchodonoſor. Daniel.

Ioachin ſiue Ieconias rex fuit tres menſes. Reuerſus ſub id tẽpus Nabuchodonoſor obſedit vrbẽ, vltro dedidit ſe Ieconias ex cõſilio Hieremiæ prophetæ, cui reuelauerat Deus Ieruſalem vaſtandam eſſe, & abducẽdum populum: cæterùm fore vt non prorſus interiret, ſed reuerſurum aliquando, & Ieruſalem rurſus extruendã eſſe. In Babylone ſeruatus eſt Ieconias à Deo, quòd ꝓphetæ vati- Ioachin. ſiue Ieconias.

cinio paruerat, id quod poſtea adnotabimus. Abducti cum Iechonia in Babylonem ſunt optimi quique, præterea & quicquid precioſæ ſupellectilis & ornamentorum erat in templo Hieroſolymis.

Sedechias.

Sedechias vndecim annos regnauit: defecit à rege Babyloniæ, cui tributum pendere noluit: qua de cauſa reuerſus Nabuchodonoſor obſedit vrbem. Et quanquam ſuaſerat Ieremias, vt dederet ſe Sedechias (nam ita viſum eſſe Deo, vt puniretur Iuda & abduceretur populus) tamen parêre noluit, fretus nimirum promiſsione Dei, non interiturum Iudaicum populum eſſe. Hæc iactabat Sedechias, & peruerſè interpretabantur ſummi ſacerdotes promiſsionem Dei. Nam ſeruare nihilominus poterat populū ſuum Deus, etiã ſi aliquanto tempore abduci & adfligi permitteret. Itaque contempta Ieremiæ prophetia eſt, præſertim cùm iam longo tẽpore differretur, neque reſponderet euentus. Et huc accedebat quòd iam tertiò fuerat Iudæã ingreſſus rex Babylonicus, nihilq́; promouerat in expugnãda vrbe Ieruſalem. Præterea & anni exacti nunc vndecim erant, quibus multi ex vrbe profugerant ſeruata vrbe. In cau-

ſa hæc fuerunt, vt ſperarint humano more pertinaciter nihil minus futurum, quàm eam calamitatem quam prædixerat Ieremias. Erat & vndiquaque munitionibus circũuallata vrbs aduerſus omnem vim hoſtium. Cæterùm Nabuchodonoſor fame confecit eos, cũ ſeſquianno obſideret vrbem: fames tãta fuiſſe fertur, vt ne ab eſu quidem propriæ ſobolis abſtinuerint multi. Adeò pertinax in ſuo propoſito humana natura eſt, vt tanta neceſſitate premente ſubſidium & conſolationem à deo recuſet apprehendere. Nam ſi iuxta cõſilium Prophetæ dedidiſſent ſe, tametſi exiliũ durum fuiſſet, tamen pace ſaltem apud exteros frui licuiſſet. Tãdem cùm fugã moliretur, captus eſt Sedechias, & poſtea in cõſpectu ſuo filios trucidari vidit: ipſi autem oculi eruti ſunt, deuaſtata vrbs Hieruſalẽ eſt: tẽplũ, quod iuſſerat ædificari Deus, exuſtũ eſt: ſelectiſsima pars populi Iudaici eſt abducta in ſeruitutẽ Babylonicã. Meritò ſanè hoc exẽplum commonere nos debet, non diſsimulaturum eſſe Deũ in alijs regnis & principibus, ſed grauiter vindicaturũ eſſe peccata, ſiquidem tanta ſeueritate in hoc regnum vſus eſt, quod ipſe inſtituerat. Teſtatur enim ſcriptu-

Fames Hieroſolymis.

Pertinaciæ humanæ exẽplum.

Sedechiæ mors.

ra, hoc immani genere ſuppliciorum Deum afflixiſſe Iudã ob peccata eius: & quæ fuerint potiſſima peccata adijcit, nimirũ cõtemptus verbi Dei, impius cultus Dei, tyrãnis aduerſus veros doctores verbi & prophetas.

Deuaſtatio Hieroſolymæ, aliis anno 3355.

Deuaſtatio vrbis contigit anno à condito mundo ter milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo tertio.

Anni à Dauid vſque ad hanc direptionem vrbis Hieruſalem, quingenti decem & ſex fuerunt.

Regnum Iuda.

Hactenus manſit regium nomen apud Dauidis poſteros, inter quos fuerũt multi inſignes & præclari reges, vt nullo in regno alio. Nam hoc regnum Iuda peculiariter inſtituerat Deus & præerat illi: ſed quia peccatum inter eos non deerat, ideo puniti ſunt à Deo, & mutatum regnum eſt. Nã regnum Iuda annis ſeptuaginta in Babylone captiuũ fuit: verùm interea tamen ita ſe declarauit Deus, vt deprehenderetur ſibi populum ſuũ & eccleſiam curæ eſſe, & quòd nunquã deſerturus ſit eam. Miſit enim prophetas inſignes, vt Danielem apud Babylonios, qui ipſum etiam Nabuchodonoſor regem conuertit. Nam cùm iudicio Dei ob impietatẽ ſuam

Nabuchodonoſor conuerſus à Daniele

punitus & conuerſus in rabiem ac furorem eſſet, vt nullo diſcrimine à beſtia differret, orauit pro eo ad dominum Daniel, & reſtitutus eſt: poſtea reſipiſcens ab impietate abrogauit idololatrias, & inſtitutus à Daniele verum cultum Dei arripuit.

Poſt Nabuchodonoſor Euilmerodach filius eius regnauit. Is honeſtè & ꝓ regia dignitate tractari iuſsit Ieconiam regem, qui ex mandato Ieremiæ ꝓphetæ vltro ſe dedens in exilium cõmigrauerat. Atq; ita fortunauit hunc regẽ Deus, qui ꝓphetæ verbis crediderat, quãquam periclitari iuſſus fuerat ad tẽpus. Cæterùm hoc modo ſeruatum eſt à Deo ab interitu genus Dauidis mirabili certè facto. id quod pluribus dicemus infra. Euilmerodach.

Euilmerodacho ſucceſsit in regno Balthaſar. Hic pietatis & verbi Dei cõtẽptor erat, veterem & iam anteà abrogatam idololatriam Chaldaicam ex integro reparauit: poculis, quæ ex templo Hieroſolymitano ablata erant, in comeſſationibus vſus eſt: deriſit Deum Iudæorũ, & contumeliæ cauſa cãtari iuſsit, Chaldæorũ Deum verum eſſe & ſuperiorem Deo Iudæorum. Sed quid factum eſt? Adduxerũt hæ blaſphemæ voces interi- Balthaſar

Blaſphemiæ nunquã inulſæ.

tum totius regni. Nã viſibiliter apparuit manus, qua inſcripſit parieti, periturũ eſſe Balthaſar cum toto regno. Contigit euentus eadem nocte, quia Medi & Perſæ obruerunt Babylonios ſubita irruptione, & potiti ſunt regno, occideruntq́; regem Balthaſar. Teſtatur & hoc exemplum, blaſphemias in Deũ non manere inultas.

Monarchiæ primæ finis.

Nunc primæ Monarchiæ tempus finẽ habet vſque ad Perſas & Cyrum regem. Sunt autem inter Abraam natum & Cyrũ regem anni mille quadringẽti nonaginta quinque, quo tempore primùm apud Chaldæos, deinde apud Aſſyrios fuit Monarchia. Poſtea verò cùm diſtrahi cœpiſſet, nũc Aſſyrij, nunc rurſus Babylonij potentia præualuerũt, donec Medi & Perſæ creuiſſent, & tandem Cyrus Babylone potitus eſſet, recuperata iterum Monarchia, & in vnum redacta.

Iudæi uetuſtiſsimi.

Conſiderandũ in primis eſt vniuerſum regnũ Iudæorũ ſub hoc tẽpore primæ Monarchiæ comprehenſum eſſe: vnde cõſtat vetuſtiſſimum populũ Iudæos eſſe, & eorum tãtum certas hiſtorias extare de primis regnis mũdi.

## De Græcis.

NVnc adnotabimus breuiter, qui fuerit rerum Græcarũ ſtatus tẽporibus primæ Monarchiæ: vnde facile colligi poterit, Iudæorum hiſtorias multò vetuſtiores eſſe Græcorũ monumẽtis: ſiquidẽ omnes eorũ hiſtoriæ poſt primam Monarchiã conſcriptæ ſunt. Neq; poſſunt Græci certi aliquid, neq; longius repetere quicquã, quod cõſentiat, q̃ quod Olympiades eorum indicãt. At Olympiades cœperunt anno tricesimooctauo Oſiæ. Id autem eſt, ſi accuratius ad calculũ reuocetur, circiter annos ducentos ante Perſarũ Monarchiam. Sed propter imperitũ lectorẽ Olympiadas miſſas facio, & oſtendã paucis quid tempore primæ Monarchiæ apud Græcos acciderit.

Iudæorũ hiſtoriæ uetuſtiores Græcorum.

Olympiades cœperũt anno primo regni Ioathan.

Græcorũ regio nõ vnũ aliquẽ regẽ habuit, vt aliæ nationes, ſed fuerũt in ea partim principes multi, partim etiã potentes vrbes erãt, & variæ magnæq; cũ principibus mutationes inciderunt. Nam vrbes potentiores factæ ægrè poterant ferre principes, quẽadmodum noſtra ætate in Italia cõperimus, & ego poſtea aliquot exempla referã, quæ cognitu vtilia ſunt, & certa hiſtoriarum teſtimonia habent. nam ante Troianum bellũ parum admodum hiſtoriarum apud Græcos reperitur.

## Bellum Troianorum.

TRoianorum bellum ſub Dauidis tempora geſtum eſt, id quod Virgilio teſte probari poteſt. Nam is ait, ſtetiſſe Albanũ imperium annis trecentis. Sic enim inquit de Albanorum regno: Hîc iam tercentum totos regnabitur annos. Sub finem huius imperij Roma cœpit ædificari, id quod poſtea dicemus. Et ſi vice retrograda annorum numerum conferas inter ſe, iam inde à temporibus conditæ Romanæ vrbis vſque ad initium imperij Salomonis, reperies annos trecẽtos & tres. Neq; verò multo antè fuiſſe bellum Troianorum certum eſt. Diſſentiunt hic quidam hiſtoriarum ſcriptores, qui hoc bellum vetuſtius eſſe adfirmant: cæterùm diuerſum ego multis argumentis probare poſſem, quæ nunc vt compendio ſeruiam, prætermitto. Porrò hoc dignum obſeruatu eſt, occaſionem Troiani belli ex adulterio natã eſſe. Paris enim Troiani regis filius, Menelai principis Græcorum vxorem Helenam abduxerat: id autem indignè ferentes principes & ciuitates omnes in Græcia conſpiratione facta ad Troiam profecti ſunt, & integro de-

*Troiani belli occaſio, adulterium.*

cennio exacto, tandem Ilium vrbem Troianorum expugnarunt, & occiſo Priamo rege, Troianum regnum extinctum eſt. Ex Troia AEneas in Italiam nauigauit in qua eam partem occupauit, quæ Latiū dicta eſt. Auſpicatus hic nouum regnum cum Aſcanio filio, qui & Iulus vocatus eſt, Albā vrbem condidit, in qua imperarunt poſteri AEneæ, vſq; ad id tempus, quo condita Roma eſt. Fuerunt in hoc bello Troiano multi præclari & inſignes principes, quorum nomina aliūde petenda ſunt. Ex Theſſalia Achilles adfuit, à quo Troianorum præſtantiſſimus dux Hector peremptus eſt: & Achilles ipſe tandem per fraudem perijt. Troiani enim deſpōderant ei filiam quandam Priami, & cùm ante altare in tēplo orans procumberet, per dolum à Paride telo transfixus eſt.

AEneas. Latium. Aſcanius qui & Iulus. Achilles Hector.

## Bellum Thebanum.

NON multo ante Troianorum bellum longe atrocius bellum fuit Thebanum. Nam cùm hæreditario iure ceſiſſet regnum Thebanum duobus fratribus, Etheocli & Polynici, cōuenerunt inter ſe hac cōditiōe, vt alternis annis regnarēt. Cæterū cū accepiſſet

Thebani belli occaſio.

Etheocles, Polynices. *imperium Etheocles, contra initum fœdus perpetuò dominari volebat. Coactus itaque Polynices frater Argos ad Adraſtum regem cōfugit, qui cùm tradidiſſet ei in matrimonium filiā ſuam, vi eum in regnum reſtituere volebat, ſed Adraſtus ante Thebas cum principibus alijs cæſus eſt. Etheocles & Polynices fratres concurrētes forte in pugna, ambo mutuis vulneribus occubuerunt. Magnæ huius & lamentabilis cædis occaſionem fratrum diſcordia peperit. Neq; verò adhuc belli finis fuit: nam poſtea alij principes magna manu obſederunt iterum vrbē, & expugnatam tandem euerterunt.*

Adraſtus

## Hercules.

Hercules Tyrinthius. *PAulo ante hæc tempora, id eſt, breui tēpore, priusquam apud Iudæos Saul rex deſignatus eſt, vixit in Græcia Hercules. qui ante alios principes in primis ꝓpter heroicas virtutes commendatur. Parentes eius Amphitryo & Alcmena ex Tyrintha vrbe oriundi fuerunt, quæ ſita eſt non procul ab Argis. Amphitryo autem Thebas profugerat propterea quòd diſcordia orta cū fratre ſuo, occiderat eum, & hac occaſione contigit*

Tyrinthe

tigit

*tigit Herculē apud Thebanos naſci, & primum hic ſuæ virtutis ſpecimen edidit. Nam cum Minyæ, qui tum potentia celebres erāt, & in Orchomeno vrbe regnabāt, oppugnarent vrbem Thebanam, Hercules repulſis hoſtibus tutatus eſt eam, & oppidum Orchomenon cœpit, cuius imperium tum etiam eſſe deſiit. Vrbs ea opulentiſſima fuit, cuius apud Homerum etiam magnæ laudes extāt propter diuitias. Hæc victoria primùm Herculi magnum nomen parauit, adeò vt poſtea alij in Græcia principes ſe vltro ad eum cōtulerint: proinde vbique pacis auctorem ſe præbuit, principibus & vrbibus opem tulit, iniuſte facta vindicauit & coercuit, & erga illos quos adiuuerat magna clementia vſus eſt: neque illis impoſuit vllum onus, quod tolerare non poſſent. Hæc ſunt propter quæ tātam laudem meruit, quantam nemo ex principibus aliis. Poſtea in Aſiam profectus, regem Troianum Laomedonta vicit & occidit: ſed in hac victoria regia planè moderatione animi vſus eſt. Nam ſeruauit regnum, neque voluit delere, ſed eius poſſeſſionē Priamo, vtpote vero hæredi tradidit. Et quia Priamo regnum reſtituit, facile poteſt æſti-*

mari, quo tempore vixerit Hercules. Præter hæc & mare in Italia & Hiſpania tutum reddidit à piratis, eámque ob cauſam in extremo littore Hiſpaniæ & Aphricæ duos ſcopulos erigi iuſsit, qui huius facti memoriã perpetuo teſtarẽtur. Nam & hodie Colũnæ Herculis adhuc appellantur. Habet has inuictiſsimus Cæſar Carolus Quintus tãquam peculiaris inſignis loco hodie, nimirum vt videatur contigiſſe nobis à Deo, quòd ſub hoc tumultuario rerum ſtatu in tota Europa tãquam Hercules eſſe debeat, ad pacem & iuſtitiam virtute ac victrice dextra ſua iterum reparandam. Hactenus de memorabilibus rebus, quæ in Græcia primæ Monarchiæ tẽporibus acciderunt. Sed pauca tamen præter hæc adijciam: ſiquidem conſiderandum in primis eſt in hiſtoriarum lectione, quis fuerit ſtatus regnorum, quæ religiones, quod ius, denique quas artes habuerint, quibus floruerunt. Defunctis Noe filijs, verus quoque intellectus verbi Dei in Græcia interijt: quanquam interim ceremoniarum ritus & ſententias de pietate retinuerunt à patribus, tamen aucta eſt impietas, & ſubinde alia atque alia idololatria erecta. Quiſque enim

Columnæ Herculis.

Status Græciæ poſt filios Noe.

*pro ſua anguſtia & neceſsitate qua premebatur, finxit ſibi peculiarem quendam cultum Dei. Nam quod à poeta dictum eſt, Primus in orbe deos fecit timor, id de impio cultu Dei excogitãdo veriſsimum eſt. Etenim nemo hominum natura tam ferus eſt, qui in neceſsitate conſtitutus, Deum nõ inquirat: & cùm ignorat tantùm fide in Chriſtum quærendum eſſe Deum, prolabitur ad opus aliquod externum, & fingit nouum quẽdam cultum honorandi Dei. Hic fons & occaſio eſt omnium ferè impietatum quæ ſunt in mũdo. Neque verò putabit quiſquam, in eo errore fuiſſe homines vt exiſtimauerint imagines & ſtatuas Deum eſſe: non enim ignorabant id lignum aut ſaxum eſſe: cæterùm in hac fuerunt ſententia, hoc opus & hunc cultum probari Deo, & adorari eũ hoc modo velle: cùm tamen interim nolit Deus ſe extra vnum Chriſtum, per infidelitatem honorari, quocunque tandem opere vel ratione. Itaque nec certi eſſe vnquam potuerũt, num Deus ipſis eſſet ꝓpitius: hoc enim ſine manifeſta ꝓmiſsione Dei, & abſque Chriſto certò ſibi perſuadere nemo poteſt. Caput autem omnis idololatriæ eſt, confidere in peculiari* Idololatriæ caput.

& à ſe excogitato cultu Dei, & interim in afflictionibus tamen dubitare, nũ Deus velit eſſe propitius. Hæc, inquam, dubitatio eſt præcipua pars idololatriæ. Et impius quilibet, bonus alioqui & ſapiens, à vero Christiano & pio hoc maximè differt. Impius ille habet præclaras virtutes ac ſplendida opera, cor autem ipſius dubitat, num Deus ſit illi propitius. Pius autem & Chriſtianus, poteſt quidem illo eſſe inferior quo ad reliquas virtutes: cor autem ipſius certò ſtatuit Deũ ſibi eſſe propitiũ iuxta promiſsiones propter Chriſtum. Atque hoc præcipuè animaduertendũ eſt, & muniendus animus confirmandusq; aduerſus huiuſmodi dubitationẽ. Sed mundus cæco quodam fertur impetu, ac volẽs ſine verbo dei cum Deo agere, inſtituit nouos & peculiares cultus Dei, quilibet pro ſuo arbitrio & ſua neceſsitate. Itaque ſemper manet idololatria in mundo, etiam ſi ceremoniæ externæ & ritus, imagines & ſacrificia aboleantur & immutentur.

Impius quis.

Porrò Græci, homines mira induſtria, & ingenio præditi erant, ideoq; varia & portentoſa admodum ſuperſtitionis & idololatriæ genera excogitarunt, cõtra pericula bel-

Idololatriæ Græcorum.

li,contra morbos,contra tempeſtates, contra ea etiam quæ in matrimonio, vel negociatione poſſent accidere: atq; horum omnium quiſque ſuam quãdam ſtatuã, & ſuas preculas aut ceremonias peculiares habebat. Iouis enim ſtatua aduerſus tempeſtates erecta eſt. Martem ob bellorum pericula colebãt. Iunonẽ honorabant opum parandarum cauſa. Venerem deam ob fœcunditatem prolis. Huius generis alia innumera apud Græcos fuerunt. Vſq; adeò in alium atque alium errorem prouoluitur hominis animus, cum ignorat verum verbi diuini intellectum. Nam eò tandem impudẽtiæ & cæcitatis progreſſum eſt, vt eiuſmodi turpia etiam feſta & ſolennia inſtituta ſint, in quibus matronas & puellas ſtuprare ſumma pietas haberetur. Turpiſsima quæque leguntur paſsim apud autores, quæ ſub religionis nomine in ſolẽnibus Diuorũ apud Gentes in vſum recepta ſunt, quæ flagitium eſt vel meminiſſe. CHRISTVS Dominus noſter coerceat Satanã, ne deleto verbo Dei talis impuritas & abominatio denuò regnet in mundo.

SIbyllæ quoque nobis prætereundæ non ſunt, ſiquidem illarum omnes hiſtoriæ hîc meminerunt. Sibylla autem nomen non eſt certæ alicuius mulieris, ſed vulgato vocabulo vatem aut prophetiſſam ſignificat. Fuerunt autem huiuſmodi mulieres multæ, quædam etiam ſanctorum patrum temporibus, quæ pleniore cognitione doctrinæ patrum inſtitutæ, & intelligentes myſterium veræ fidei, præclaras ſententias reliquerunt, quæ etiamnum extant, de Chriſto, de conſummatione mundi, de iudicio extremo, de vita æterna, quæ ſæpe à Lactantio citantur. Porrò verò ob vetuſtatem Lactantij, arbitror non à Chriſtianis eas ſententias confictas eſſe, ſed reperiſſe eas apud gentes. Poſtea verò & idololatræ mulieres fuerunt, quæ nihilominus de externarum rerum ſtatu, de regnis, & ſimilibus quædam prædixerunt, & hæ fortaſſe, ſine iudicio tamen, ſanctorum patrum dicta ſuis illis reuelationibus admiſcuerunt. Satan etiam, vt Delphis, reſponſa dabat, vbi immane antrum erat: & cum aliquid interrogaretur, fœmina ſuper antrum ſellæ inſidens futura dicebat, ingenti interim vapore & flatu ventorum ex antro exæſtuan-

Sibylla quid.

Sibyllæ idololatræ.

te. Ita memorant Delphis accidiſſe. Poſtea cō ſcripta oracula hæc à ſacerdotibus, tanquam indubitata vaticinia credebantur, & quia ambiguè ſcripta erant, variè poterant detorqueri. Impoſturæ hæ Satanæ fuerunt, quibus deluſit mundum. Delphica reſponſa.

## Homerus & Heſiodus.

PRimum apud Græcos poetæ doctiſſimi tātùm habiti ſunt, qui partim muſici, partim ſacerdotes, medicinæ etiam quidam, & aſtronomiæ peritiſſimi fuerunt. Hi ſapientiam & eruditionem ſuam carminibus & breuibus ſententijs complexi ſunt. Inter eos autem, quorum ſcripta etiamnū extant, principes fuerunt, Homerus & Heſiodus. Caſſius ſcribit vixiſſe Homerū poſt Troianum bellum anno ducenteſimo ſexageſimo, & ſimiliter ante conditam vrbem Romam circiter idem tempus annorum centum & ſexaginta: id quod fuiſſe colligitur ſub id tempus, quo Ioſaphat apud Iudæos regnauit. Egit autem Smyrnæ, quæ in prima Aſiæ parte ſita eſt, vbi vetuſtiſſimi Græcorum habitarunt, qui Iones & AEoles dicti ſunt. Et quāquam non fuerit Homerus in Republica re-

Poetæ apud Græcos.

Homerus Anno mūdi. 3041.

genda potens, tamen apparet cum maximorum principum totius Græciæ conſuetudine vſum eſſe. Nam omnium ferè principum genus & originem rectiſsimè deſcripſit, & libri eius omnium negociorum ciuilium, & heroicarum virtutum planè ſpeculum ſunt. Depinxit enim omnia quæ in regenda Republica accidere poſſunt. Præterea & quod officium ſit principum & ſummorum hominum inter ſe in conſiliis atque in aliјs negocijs quibuſcunque tandem tractandis, ita propoſuit ob oculos graphice, vt videri poſsit in omnibus comitiis, & in maximis quibuſque cauſis imperiorū agitandis eſſe apprimè exercitatus. Proinde nullius vnquam poetæ ſcriptum tam immodicis laudibus vexerunt ſapientiſsimi auctores, quàm Homericum carmen, quod nunquā ſibi Alexander magnus è manibus excidere paſſus eſt, vt haberet quo de officio & virtutibus præſtantiſsimi regis inſtitueretur & admoneretur.

Homeri poemata.

Heſiodus centum annos poſt Homerum vixit, Porphyrio teſte. Parochus fuit apud Heliconem montem, vbi ingens & celebre templum erat. Scripta eius magna ex parte conciones ſunt de bonis moribus. Sunt enim bre

Heſiodus ſacerdos in Helicone.

*ues ſententiæ vim omnis generis virtutum complectentes. Cæterum de Chriſto nihil habent. Nam cœleſtis hæc doctrina Gentibus abſcondita erat. Cōtinent quoque ſcripta huius poetæ veluti iuſtum & perpetuum Calendarium inſtitutum ad curſum Solis, & obſeruationē illorum aſtrorum, quæ anni diſcrimina oſtendunt. Libellus dignus eſt, qui proponatur ediſcendus etiam pueris: & apparet ex eo olim ſapientiſſimos homines in Græcia pueros ſuos ad præclaras has artes cognoſcendas adhibuiſſe. Cæterùm ſpectatæ eruditionis & modeſtiæ vir Heſiodus poeta, miſerè tādem perijt, per quoſdam ex amicis ſuis, qui parum dignā gratiam ei retulerunt pro benefactis.* Heſiodi poemata.

## Condita vrbs Roma.

P*Roca rex Albanus filios duos, Numitorem & Amulium habuit. Iam verò decreuerat pater regnum Numitori filio, vtpote qui natu maior eſſet, tradere: ſed Amulius qui ætate iunior erat, hunc regno expulit, & ſibi imperium vſurpauit, ac ne quid periculi timere ſibi poſſet à poſteris Numitoris, filium eius AEgiſtum per dolū obtrun-* Proca. Numitor. Amulius.

Rhea Syluia. cat, & filiam fratris Rheam Syluiam perpetuo ſterilitatis voto addictã in Veſtaliũ virginum conſortium detrudit. Sed hæc grauida facta gemellos infantes peperit, qui poſtea

Romulus Remus. Romulus & Remus dicti ſunt. Atque vbi factum hoc comperit Amulius, matrem in cuſtodia iuſſit dari, & pueros in profluẽtem Tyberis aquam exponi, vt ſubmergerẽtur. Verùm cùm iam in ripã poſiti eſſent infantes, lupa fortè fortuna acceſſit ex vicinis montibus, quæ eos lactauit, quouſque à paſtore regio reperti ſunt, qui ablatos infantes domum, vxori ſuæ tradidit educandos. Porrò cùm iã adoleſcere cœpiſſent, audiſſentq; olim infantiæ ſuæ inſidias ſtructas ab Amulio eſſe, tum per vim auo ſuo Numitori regnum ereptum, ſtatuerunt perpetratæ tyrannidis vltores eſſe, & per occaſionem obtruncant regem Amuliũ, & auum ſuum Numitorem in regnum reſtituunt. Ita tãdem iniuſtitiam

Vltionis exemplũ. non ſinit impunitam Deus. Poſtea Romulus & Remus fratres in eo loco vbi expoſiti & reperti erant, vrbem ædificarunt. Contẽtione

Romuli & Remi contentio de regno. autem orta inter fratres, cùm ætate & fortitudine pares eſſent, vter imperaret, placuit tandem vt penes deos eſſet arbitrium, ita vt

cui contingeret præclarius auguriũ is domi-
naretur. Primũ itaq; Remo ſex vultures ad-
uolarunt: poſtea Romulo duodecim vultures
fuerunt auguriũ. Iam verò cùm primi augu-
rij nomine regnum poſtularet Remus, Romu
lus multitudinis auium cauſa, rurſus diſsidiũ
inter fratres coortum eſt. Mirum enim quàm
vehementer exagitet hominum animos libi-
do dominãdi, neq; facilè cohiberi ſe patiatur.
Sed quid multa? tumultu exorto tandẽ Re-
mus occiſus eſt, & imperio ſolus Romulus eſt
potitus, à quo vrbs Roma eſt appellata. Hinc
iam apparet, ex poſteris AEneæ conditã eſſe
Rom. vrbem, Syluia enim mater Romuli ex
AEnea originẽ habet. Cæterùm cũ ignora-
retur pater Romuli, ob honeſtiorem prætextũ
culpæ, finxerunt Martem deum Romuli pa-
trem eſſe. Quo pacto autẽ imperium inſtitue-
rit Romulus, & quæ bella geſſerit, Liuius ad
notauit. Ego ſolùm breuiter temporum ordi
nem indicabo, & ſi quæ inſignes mutationes
regnorũ inciderunt, vt quiſq; ſciat quid in le-
ctione omniũ hiſtoriarum potiſsimũ ſit ſpectã
dum: neq; etiã ea prætermittemus, quæ admi
randa cœleſti fato quodã cõtigerunt, vt vide-
re queamus puniri à Deo iniuſtitiã, & qui-

buſ de cauſis mutari ſoleant reſpublicæ & imperia. Pomponius Atticus & pleriq; alij, qui exactiſſimè numerum annorum ſupputant, hi ædificari cœpiſſe vrbem Romanam ſtatuunt initio tertij anni ſextæ Olympiadis, hoc eſt in decimo anno Ioathan regis Iuda, poſt conditum verò mundum 3201.

Roma. Aliis annus hic eſt octauus regni Achas, et mundi 3210. al. 751.

Ante Chriſtum natũ fuerat Roma. 729. an. Quin hoc quoque ſubijcio, quod Varro ſcribit, duodecim vultures typum præ ſe ferre ætatis & durationis vrbis, nimirum mille ducentorum annorum. Nam ſingulos vultures ſeculum, hoc eſt, centum annorum tempus ſignificare ait: neque verò abſurda hæc eſt interpretatio. Nam ab initio conditæ vrbis Romæ vſque ad Honorij & Archadij tempora cùm à Gotthis deuaſtata eſt, fuerunt anni circiter 1300.

Reges imperarunt Romæ 244. annos, teſte Liuio. Euſebius etiam duos annos addit.

Romulus 38 Numa 43

Tullus Hoſtilius 32. hic Albam euertit, & imperatorẽ eorum Metium Suffetium, qui fœderis initi ruptor fuerat digno ſupplicio adfecit. Dedit enim in eo puniendo inſigne documentum hominibus, quo modo p-

Metii Suffetii mors.

ditores puniri oporteat. Nam diſtentum inter duas quadrigas ligari, & equis in diuerſum concitatis diſcerpi ac lacerari iuſsit. Ceſſauit hic regnum Albanum, & contigit hoc ſub tẽpus quo in Iuda Manaſſes regnauit.

Porrò euerſa Alba, veterum Troianorum poſteri, in primis Iulij, ab Iulo filio AEneæ exorti, Romã pfecti ſunt, relicta Alba, qui poſtea potentiores facti apud Romanos, tandẽ totam Monarchiã ſoli receperunt, Iulij Cæſaris temporibus. Proinde ab Homero rectiſsimè prædictum eſt de AEnea, quod poſteritas eius perpetuum imperium habitura ſit: idque haud dubiè de Romanorum regno intelligi debet: nam eorum vltima eſt Monarchia, ſed de his infrà copioſius. Tullo Hoſtilio ſucceſsit in regno & imperauit

Ancus Martius 24 Ancus.

Tarquinius Priſcus 38 Tarqni⁹.

Seruius Tullius 44. Huius tẽporibus Perſarum Monarchia cœpit. Equidem vt breuitatis rationem haberem, ſimul hic Romanorum reges comprehendere volui, quòd ferè omnes ante Perſarum Monarchiã regnarint: quæ dum ſtetit, pauca admodum memorabilia facta ſunt apud Romanos, ni- Seruius. Anno mũdi 3404.

*mirum quorum non magnæ admodum ſub id tempus vires erant.*

Tarqui-nius Su-perbus.

*Tarquinius Superbus 25. Pulſus hic eſt regno ob filij Sexti Tarquinij flagitium, qui Lucretiæ pudiciſsimæ matronæ per vim vitium obtulerat: vnde & pudoris nomine gladio pectus tranſfixit. Facti indignitate moti cognati eius regem expulerunt. Exēplum hoc quoque teſtatur, quibus de cauſis patiatur Deus mutari regna, & quòd velit vindicari tyrannidem. Satis hæc ſunt de initio cōditæ vrbis, & vnde reipublicæ prima immutatio inciderit.*

Exemplũ ultionis.

## SECVNDA Monarchia.

Anno mũdi 3425.

C*Vm Iudæi ſeptuaginta annos in exilio egiſſent apud Babylonios, quemadmodum ſuprà monuimus, punitus eſt à Deo Balthaſar rex Babyloniæ, quòd blaſphemus fuerat in Deũ Iſrael, & templi vſibus deſtinata vaſa prophanarat in regijs comeſſatiõibus. Nam Medi & Perſæ inuaſerunt regnum eius, & vrbe Babylonica vnà cum regnis Chaldæorum & Aſſyriæ potiti ſunt. Meritò itaque ſecunda hæc Monarchia dicenda eſt,*

Balthaſar Babylo-nius.

*quia maxima totius orbis regna iam iterum coaleſcere cœperunt, quibus poſtea à Perſis tota propemodum Aſia eſt adiecta. In primis verò expendere debet hic pius animus, illuſtria illa beneficia & opera Dei, qui vt iuſtitia & honeſtas conſeruetur, denuò vniuerſum mundum in vnum quoddam corpus & legitimum imperium redegit. Nam neceſſe eſſet omnem ciuilitatem & bonas leges interire inter homines, niſi ad cõſeruandas eas eligeret & inſtitueret Deus potentiſſimas Monarchias ſubinde, & fortiſſimos principes, qui eas tueri, & ſi collapſæ fuerint, reſtaurare de integro poſſent.*

*Porrò hæc Perſarũ Monarchia nota fuit Græcis, & quæcunque ferè apud Græcos præclarè & magnificè geſta ſunt, ſub huius Monarchiæ temporibus acciderunt. Atque hinc eſt quòd à Perſis auſpicantur Græci ſuas hiſtorias, quibus parum videtur compertum fuiſſe, quod ante Perſarum tempora in orbe geſtum erat in regnis alijs.*

Hiſtoriæ Græcorũ à Perſis incipiunt.

*Quod ad annorum ordinẽ in hiſtorijs attinet, hic mihi primũ lector monẽdus eſt, hactenus mutuatum me eſſe annorũ ſupputationem ex ſacris literis, quæ ordine iam inde*

*à condito mundo aunorum numerum indicant, vſque ad ſeptuaginta illos annos, quibus Iudæi apud Babylonios in exilio detinebantur. Proinde continentur in Biblijs ſacris certa Chronica annorum vſq; ad Perſarum tempora : cæterùm poſtea nō ita exactè obſeruatur annorum ratio, niſi quòd Daniel teſtatur, annos eſſe nonaginta ſupra quadringentos, ab eo tempore, quo permiſſum eſt Iudæis reparare euerſam vrbem Hieroſolymā, vſq; ad Chriſtum natum. Et in re facili magna hic inter quoſdam contentio eſt, de ſupputandis rectè his annis, in quibus nos nullam eſſe difficultatem oſtendemus. nam Daniel ſignatè admodum tempora aduentus Chriſti expreſsit.*

## Initium Monarchiæ Perſarum.

*PORrò verò vt conſentiat numerus ſuperioribus illis ſeptuaginta annis, numerabuntur à nobis in hac Monarchia Perſarum anni centum nonaginta & vnus. Quanquā enim à Græcis maior hic annorum numerus recenſetur in Monarchia Perſarum, id tamē eò factum eſt, quòd non primùm finitis his ſeptuaginta annis, ſed iam antea circiter an-*

*nos viginti*

*nos viginti numerare cœperant Græci. Atque hoc modo Philonis & Græcorum ſupputatio æquari debet. Iudæi enim auſpicantur annum Cyri poſtea quàm Cyrus vrbem Babylonem deuiciſſet. Cæterùm Græci eos etiã annos adnumerant, quibus iam antea regnauerat, ſed hi ad ſubſequentes annos non ſunt referendi. Proinde vt res clarius intelligatur, iuxta Philonis ordinem: primum ſummos ſacerdotes recenſebimus, poſtea & Perſarum reges ſubijciemus, quemadmodum Græci eos numerant. Porrò verò qui intelligit Cyri regni initium eſſe poſt occupatam Babylonem, is facilè conferre poterit Græcorum numerũ cum his 191. annis.*

Philonis & Græcorũ ſupputatio.

| | | |
|---|---|---|
| *Ieſus ſacerdos* | 36 | |
| *Ioacim filius abſente patre* | 8 | |
| *Ieſus reuerſus* | 20 | |
| *Ioacim iterum* | 48 | |
| *Eliaſib* | 21 | Al. El. 41. |
| *Ioiada* | 24 | |
| *Ioathan ſeu Iohannan* | 24 | |
| *Iaddus* | 10 | Ali. Iaddua. 27. |

*Summa 191 anni. Teſtatur Ioſephus vixiſſe Iaddum, cùm Alexander in Aſiam profectus eſt.*

# PERSARVM REGES quemadmodum à Græcis numerantur.

| | | |
|---|---|---|
| | *Cyrus* | 29 |
| | *Cambyſes* | *7. menſ. 5* |
| | *Darius filius Hiſtaſpis* | 36 |
| | *Xerxes* | 20 |
| Al. Xerxes 21. | *Artaxerxes Longimanus* | 40 |
| | *Darius nothus* | 19 |
| Artaxerxes Longim. 44. | *Artaxerxes Mnemon* | 40 |
| | *Ochus* | 26 |
| Art. Mn. 36. | *Arſames* | 3 |
| Arſ. 4. | *Darius* | 6 |

*Ordo temporum magna ex parte hunc numerum probat. Etenim vt alijs atque alijs temporibus vixerunt hiſtoriarum ſcriptores, ita illorum regum potiſsimum meminit quiſque, qui ſua ætate imperarunt, quemadmodũ Xerxis Herodotus mentionem facit.* Herodotus. *Thucydides Artaxerxis Longimani. Poſt* Thucydides. *hos Xenophon de Dario notho & eius minori filio Cyro, præterea & de Artaxerxe* Xenophō. *Mnemone ſcripſit, & militiam vnà exercuit Xenophon in bellis illis, quæ ſub hæc tē-*

pora gerebantur. Errant itaque valde recẽtiores ſcriptores apud Iudæos, ſtupidi planè aſini, qui non niſi quatuor Perſarũ reges ponunt, omittentes plus quàm centum annos in certiſſima ſupputatione hac annorũ mundi: vnde naſcuntur alij grauiores errores.

In Daniele & Eſdra mẽtio facta eſt regum Perſarum, ſed variant nomina quorũdam à Græcis. Ego verò, vt omnia cognoſcãtur apertius, quæ mea ſit ſententia breuiter ſubijcio. Metaſthenes à quibuſdam reijcitur, quòd pleroſque ex Perſarum regibus nominat aliter, quam Græci. Cæterùm cùm non diſſentiant ab eo Eſdras, & Philo, non reijcio eos reges quos citat Metaſthenes. Dubium enim non eſt Eſdram regnum & res Perſarũ exactiſſimè cognouiſſe. ſiquidẽ inter primores regni & conſiliarios regios eũ vel præcipuum extitiſſe conſtat. Ordinat Metaſthenes in hunc modum reges Perſarum, & hi primi ſunt in quibus variant. cæterũ apud Philonem & Eſdram idem ordo eſt.

Metaſthenes.

Eſdras.

Darius & Cyrus ſimul 2 & poſtea Cyrus ſolus annis viginti duobus regnauit.

Artaxerxes Aſſuerus 20
Darius Artaxerxes Longimanus 37

| | | | |
|---|---|---|---|
| *Darius nothus* | | | 19 |
| *Artaxerxes Mnemon* | | | 55 |
| *Ochus* | 26. | *Arſames* | 4 |
| *Darius* | 6. | | |

*Diſſenſio hæc, mea quidem opinione, facilè dirimi poteſt. De Dario primo, qui ſimul cum Cyro imperauit, nihil quicquam compertum eſt Græcis, quãdoquidem vt Daniel teſtatur, nondum imperauit, ideóque exterarum nationum hominibus ignotum plane fuit nomen eius. Et diſcernit Daniel hunc Darium à Cyro. Darium enim Medum, Cyrum Perſicum eſſe dicit. Iam verò numerant Græci Perſarum reges tantùm, neque admiſcent illis res Medorum, quorũ regnũ iam tranſlatum erat ad Perſas, ideóq; non diſſentiunt Græci ſcriptores ab hiſtoriis ſacris, tametſi Darium prætermittant, ſiquidem numerant tantùm Perſarum reges. Ioſephus ſcribit fuiſſe hunc Darium Cyaxarem Aſtyagis filium, de quo Xenophon ſcribit, quod non impugno.*

**Darius cũ Cyro imperan.**

*Secundus Artaxerxes Aſſuerus eſt, Darius Hyſtaſpis filius, & prætermittitur Cãbyſes, propterea quòd is patre Cyro adhuc viuente, vel non diu admodum poſt defunctum patrem fuit in imperio. Nam habue-*

**Artaxerxes. Aſſuerus.**

runt hunc morem Perſæ, vt belli cauſa in exteras nationes proficiſcente rege, alius antea ſubſtitueretur, qui abſentis regis vice fungeretur interea. Atque hac ratione Cambyſes à Cyro patre rex deſignatus eſt, & præfectus regno, cum bellum inſtitueret aduerſus Scythas, quibuſcum per ſexennium dimicatum eſt, & interea temporis adminiſtratum eſt imperium à Cambyſe, cui ſeptē annos tribuunt Græci, qui intelligi debent de eo tempore quo adhuc vixit pater. Et Aſſueri hiſtoriæ teſtantur ipſum Darium eſſe: ac Philo ſcribit, illas ab eo regiones recuperaturas eſſe bello, quæ defecerant poſtquā Cyrus cum Scythis pugnaſſet infeliciter. Cābyſes.

Tertius dictus eſt Darius Artaxerxes Longimanus. Hunc Græci Artaxerxem Longimanum ſimpliciter vocant: & nomē inde ſortitus eſt, ꝙ dextra illius longior fuerit ſiniſtra: quem Metaſthenes Darium nominat, Eſdras Darium & Artaxerxē promiſcuè: nam hiſce nominibus non aliter vſi ſunt, atque imperatores noſtri vocabulis Cæſaris & Auguſti vtuntur. Cæterùm quòd ſtatim in ordine ſuccedit Dario Artaxerxes, hac de cauſa contigit, quòd cùm Xerxes Darius. Artaxerxes cur Longimanus.

ſtatim in principio ſui regni in Græciam ſe contuliſſet. Artaxerxes interea regnum in oriente adminiſtrauit. Et quia non præſens manſit in oriente Xerxes, ideo eius mentionem non faciunt Iudæi, ſed Artaxerxē pro rege habent quòd in imperio conſtitutus regnet interim dum abeſt Xerxes. Poſthac nulla eſt amplius diſcrepatio, & ad hunc modū Bibliorum & Græcorum hiſtoriæ rectiſsimè poſſunt concordari. Diſſenſio annorum inde oritur, quòd alij reges alijs adhuc viuentibus imperarint: & hinc factum eſt, vt annorum ordinem alij aliter collegerint.

## Cyrus.

Cyrus.

CYrus primus Perſarum Monarcha inter præſtantiſsimos mundi reges & heroas vnus habitus eſt. Etenim præter omnis generis egregias & uerè heroicas virtutes, donauerat eum etiam Deus peculiari felicitate & fortuna in gubernando, & præclaris victorijs de hoſtibus: imò etiam ad pietatem, & verum cultum Dei per Danielem prophetam ei contigit erudiri, vt teſtantur ſacræ literæ. Eius generis principes huiuſmodi à Deo virtutibus exornatos ſuſpicere debemus,

Heroes ut intuēdi.

tanquam inſignia dona Dei: per quæ iuuare mundum, retineri in officio homines, ſeruari modeſtiam & pacem, leges denique inſtitui vult Deus. Quod cùm ita ſit, flagitium planè eſt, vel contemnere, vel paruifacere tales principes, quemadmodum vulgus hominum imperitorũ facit. Cæterùm inter huiuſmodi miniſtros Dei, & præclaros heroas orbis, hic Cyrus meritò referendus eſt. Neque verò generis nobilitas in eo deſyderari poteſt. Ita enim viſum Deo eſt, imperiorum dignitatem per viros ſummis virtutibus & maiorum præſtantia inſignes conſeruari. Et quia tantis honoribus nobilitati ſunt à Deo maximi principes, debent quoque à nobis tanquam præcipuũ aliquod opus Dei honorari: Pater Cyri, princeps Perſarum fuit, oriundus ex poſteris Sem: mater, ex regio ſtemmate Medorũ nata erat. Et ſcribit Herodotus, Aſtyagi regi Medorum per ſomniũ viſum fuiſſe, ex vtero filiæ ſuæ vitem enaſci, quæ propagatione ſua totam Aſiam obumbraret. Conceptum hinc omen eſt, potentiſſimum quendã principem eam parituram eſſe. Itaque cũ iam naſceretur Cyrus infans, timuit Aſtyages ne regnum ſuũ à Medis ad Perſas aliquãdo trãſ-

Cyri Parẽtes.

Aſtyagis ſomnium.

ferretur. Quãobrem præfecto aulæ ſuæ Harpago præcepit, vt exponeret infantem enecãdum. Cæterùm cùm perimẽdum curaret infantem Harpagus, mirabili ſanè fato ſeruatus eſt. Vſqueadeò enim ad remorandum cõſilia diuina irriti ſunt humani conatus & ſtudia. Infans paſtori traditur in montem deportãdus, vt ibi fame interiret: iuſſusq; paſtor eſt non deſerere infantem priuſquam perierit, & renunciare iſtud ipſum Harpago, vt veritatem facti poſſet referre regi, & curare pro dignitate regij generis ſepeliendum puerum. Sed quid fit? Sub idem fortè tẽpus, quo in domum ſuam hunc infantem adfert paſtor, mortuã prolẽ pepererat vxor eius. quæ vbi ex marito ſuo audiſſet exponẽdum hunc infantem, quem præter elegãtiam formæ, regiam etiam indolem & alacritatem quandam præſe ferre agnouit, præterea quòd & ex regio ſanguine ortum habeat, ſuadet ac rogat maritum, vt ſuum mortuum puerũ in huius locum ſupponat, ſibiq; eum tradat pro ſuo educandum. Monet etiam ne cædem in regiam ſobolem committat, maximè cùm ab hoc puero nihil periculi regno poßit imminere, cùm pro paſtoris filio educatus ſit haben-

dus. Ad hæc & regiæ voluntati ſatisfactum eſſe, ſi audiat pro certo puerum mortuum & defunctum eſſe. Acquieſcit paſtor vxoris cõſilio, renunciat Harpago puerum mortuum eſſe. Ille miſsis aliquot qui viderent, curat puerum ſepeliendum: atque hæc omnia regi pro certo indicantur. Interim apud paſtorem alitur Cyrus: & cum paulatim ſuccreſcere cœpiſſet, ſtatim regia indoles, & alacritas ingenij apparuit in puero. Nam magno honore & amicitia proſequuti ſunt eum reliqui pueri coæquales. Quin & puerorũ more regnum inſtituit inter pueros, & ſi quis peccaſſet, hunc caſtigare ſolebat ſerio. Verũ accidit per hanc occaſionem, vbi nobilem quẽdam puerum ob peccatum verberaſſet fortaſſe durius, vt accuſatus ſit apud pueri parẽtes, qui deinde querelam ad regẽ detulerunt. Rex accerſito puero atque interrogato, admiratus eſt grauiorem in eo conſtantiã, & prudentiam in reſpondẽdo, quàm pro pueri ætate. Perculſus illico animo, reputauit ſecũ tempus quo pepererat ſua filia, & perueſtigatis omnibus circunſtantijs ætatis, tempora educationis, agnouit ex filia ſuum nepotem eſſe, quem exponendum olim mãdauerat. Cogni-

tum iam retinuit apud ſe aliquandiu in aula. & cum ob ſingularem probitatis indolē, quæ relucebat in puero, nihil iam amplius ſibi timeret Aſtyages, remiſit eum in Perſiā ad parentes ſuos. Interim tamen ob admiſſum dolum grauiter infenſus rex eſt Harpago, quòd non perfeciſſet mandatum regium in occidendo olim puero. Iubet Harpagi minorem filium in aulam adduci: : quod cum feciſſet Harpagus, iuſsit rex mactatum & deinde coctum filium Harpago neſcienti edēdum apponi: cæterùm cum iam ſatur eſſet, præcepit Aſtyages amputatū caput, pedes, & manus pueri oſtendi coram Harpago, vt videret proprÿ ſe ſui filÿ carnes comediſſe. Harpagus viſo capite, agnouit factum regis, àtque adeò vnde eius eſſet occaſio: ſed ſuppreſſo omni dolore, pro cōſuetudine ſua, ſolita regem obſeruantia & timore coluit, diſsimulans interim grauiſsimè ſe aliquando per occaſionem hāc tyrannidem regis vlciſci velle. Sed poſtea nunquam deſiit Harpagus magno ſtudio ſollicitare Medorum primores & potentiſsimos nobiles ad defectionē ad Perſas, & vt Cyrum regem ſubſtituerent: quin & Cyro quoq; hoc ipſum indicauit: & hor-

Aſtyagis crudelitas īſignis

Harpagus.

*tatur vt inuadat regnum, neque tyrannidem inultam manere ſinat, qua vſus ſit rex in vtrunque. Atque vt lateat inſtitutum, in lepore exenterato epiſtolam occultat, eámque fido nuncio tradit ferēdam Cyro in Perſiam, nihilq́ue nunciari iuſsit per nuncium, niſi vt rex Cyrus ipſe lepori detraheret pellem. Cyrus repertis literis, & cognito conſilio Harpagi, exercitum continuò parat, & proficiſcitur aduerſus Medos. Contrà verò Aſtyages ad reſiſtendum hoſti copias educi iubet, quibus Harpagum imperatorem præfecit: ſed is vbi ventum eſt ad pugnam, & ſe & totum exercitum ſuum vltro dedidit Cyro: itaque amiſſo Medorum regno victus eſt Aſtyages. Cæterùm ſeruauit eū Cyrus, & ꝓ regia dignitate tractari iuſsit. Incidit hæc immutatio in regnum Medorum ob tyrannidem regis, propter quam & tranſlatum eſt ad Perſas totum imperium.*

*Poſt hæc opulentiſsimus rex Crœſus in ſuperiori Aſiæ parte Cyro bellum intulit, cui obuiā aduerſa acie ꝓfectus Cyrus fudit eū: & totum regnum occupauit, & expugnata munitiſsima vrbe Sardis, Crœſum captiuum cœpit. At cùm iuſſu regis cremandus Crœ-* Crœſus rex Aſiæ. Sardis.

ſus iam pyram extructam aſcendiſſet, flebili admodum eiulatu vociferabatur: O Solon, Solon. Admiratus has voces Cyrus, interrogari iuſsit, qua de cauſa tanto dolore has voces ſubinde ingeminaret. Tum ex imo pectore ingemiſcẽs: Solon, inquit, olim apud Athenienſes vir ſapientiſsimus fuit, cui ſummos aliquando, cùm apud me eſſet, honores exhibui, oſtendiq́; ei omnem potentiam & theſauros meos, interrogaui tandẽ, putarétne poſſe vnquã aduerſi aliquid accidere mihi, qui potentia & opibus videbar muntus eſſe aduerſus omnes caſus fortunæ, & in vim hoſtium. Sed ad hæc reſpondit Solon cum obiurgatione: Neminem hominum tam felicem eſſe in hac vita, qui ante obitum beatus ab omni parte dici poſſit, neque tam potentem quenquam eſſe, quem non aduerſus caſus queat debilitare & euertere. Cæterùm tum ſecurũ ſe feliciori ſucceſſu rerum, ait cõtempſiſſe hæc verba, neq; timere potuiſſe hunc tam inſignẽ lapſum, quẽ modò experiretur: & quia nunc primum intelligeret ſententiam Solonis, ideo eius nomen iam ante mortem nominare, & optare ſe omnes homines in ſecũdis rebus, calamitatum, quæ accidere poſſunt, nõ eſſe im-

Solonis graue dictum ad Crœſum.

*memores,ne ob præſentem felicitatem redde-
rentur inſolentiores ad tentandum vel ſuſci-
piendum aliquid,quod exitium per occaſionē
poßit adferre. Hæc vbi audiſſet Cyrus , cle-
mentiæ adfectu erga Crœſum ductus eſt, in-* Exēplum clemētiæ.
*quiens: nolle poſthac ſe durius in Crœſum a-
gere,qui olim potentißimus quoque rex fuiſ-
ſet: nam & ſe quoque hominem eſſe memi-
niſſe,ſibiq; accidere poſſe,vt aliquando alie-
na ope & clementia vtendum ſit. Poſt hæc
adduci ad ſe Crœſum iußit,& vt magnum
principem ſummo habuit in honore, eiuſque
conſilio in gerendis rebus vſus eſt. Interroga-
uit hoc quoque ex eo Cyrus,qua de cauſa cœ-
piſſet hoc bellum,admonitus Apollinis ora-
culo,quem antea dicebatur conſuluiſſe. Ad
hæc reſpondit Crœſus, inquiens: Apollinem
rectè conſuluiſſe his verbis, Noſce teipſum,&
ſuccedet feliciter. Non cōtempſiſſe ſe hoc ora-
culum Apollinis. Nam poſtquàm in ſubſi-
dio ferendo Aſſyrijs ſuccubuiſſent ſui,ſtatuiſ-
ſe ſe porrò tranquillitate & pace frui,maxi-
mè cùm vidiſſet tanta in rebus omnibus con-
ficiendis felicitate & potentia vti Cyrū. Cæ-
terùm cùm à circumiacentibus paßim vrbi-
bus & magnis principibus ob potentiā cum*

peritia rei militaris coniunctam commendatus fuiſſet, iterum ſuperbia & cæca admiratione ſui deceptum ſe eſſe, itaque deſignatum à principibus reliquis imperatorem belli aduerſus Cyrum. Hiſce autem encomijs adductum ſe, ut reſpõſum Apollinis aliter quàm erat acceperit, exiſtimaueritque ſe eum vere eſſe qui prædicabatur, nimirum, quòd potentia non eſſet Cyro regi inferior, atque his demum rationibus contuliſſe ſe ad hæc arma. Sed hactenus ſatis ſupérque de Crœſo. Exẽpla præclara hinc peti poſſunt, adduci ſæpe principes ad bella ſuſcipiẽda ex nulla neceſſitate, & magno incõmodo ſuo ex conſilio & aſſentatione illorum, qui falſò perſuadere & extollere vanis commendationibus eorũ potentiã & virtutes norunt. In Cyro rege præcipuè conſyderandum eſt, quod in tantis ſucceſſibus omniũ rerum ſumma moderatione animi vſus ſit, quódque in tantis victorijs tyrannidem clementia mitigauerit.

*In Cyro quid conſiderãdũ.*

Occupauit itaque Cyrus regiones omnes à Perſia vſq; ad primos Ioniæ fines: deinde regreſſus, Babylonem vrbem obſedit, quæ aduerſus omnem vim humanarum virium munitiſſima habebatur. Verũ Cyrus potitus eſt,

*Babylone quomodo ſit potitus Cyrus.*

idq; hac ratione: Euphrates fluuius per riuos aliquot fluit per vrbem: huius aggeribus effoſſis alio duxit aquarum fluxum, ita exiccato fluuio pedibus tutò in vrbem venire dabatur. Præterea & ſuos proditores habuit, qui indicabant quo tempore maximè ſecuri eſſent Babylonij: atque ita ſilenti nocte, cū nihil minus vererentur, exercitu per fluuium ducto inuaſit vrbem & obtinuit. Euphrates.

Sed quid attinet multis felicitatē Cyri prædicare? cū facilè æſtimari queat opus Dei eſſe, nō humanæ prudētiæ aut viriū, eius imperio tot ac tam potentes vrbes ac reges ſubiectos, quibus nulla ꝓpemodū humana vis videtur reſiſtere potuiſſe. Etenim potētia cœleſti inſtituitur & cōſeruātur ſūmæ illæ Monarchiæ, ad legitimū quendā Reip. ſtatū cōtra volūtatē Satanæ retinendū inter homines. Porrò poſt deuictā Babylonē, tum primum hoc regnum Perſarū Monarchiæ appellationē accepit. Nā monarchatus caput vrbs Babylon erat, & ſub vnū imperiū modò Chaldæorū, Aſſyriorū, Medorū, Perſarū regna redacta ſunt. Adiecta eſt & maxima pars Aſiæ, et ampliſſimæ aliæ regiōes, quas regna hæc cōtiguas habēt. Adminiſtrauit autē hæc regna Babylon monarchatus caput.

Cyrus cũ ſumma laude, adeò vt nullius principis laus, cuius hiſtoriæ meminerint, cùm huius commendatione poßit æquari.

Alii anno 3045. qui eſt capt. 49.

Cœpiſſe hanc monarchiã arbitror poſt occupatam Babylonem ſeptuageſimo anno poſt abductionẽ Iudæorũ in Babylonem. A cõdito verò orbe anno ter milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo tertio, & ante natum Chriſtum anno 501. Vnde æſtimari facilè poteſt, Græcorum hiſtorias, quæ initiũ à Cyro habent, non admodũ ſanè vetuſtas eſſe.

## Liberati ex Babylonica captiuitate Iudæi.

HActenus de Reip. & imperij ſtatu horũ tẽporũ. Nunc reſtat, vt de ſpirituali regno Dei & Eccleſia quædã dicamus Poſtquam Babylonios ſubegiſſet Cyrus, Iudæos omnes ex omnibus regnis ſuis liberos dimiſit, reſtituitq; eos in regnum Iudaicum. Teſtatur hoc exemplum quantæ curæ ſit deo Eccleſia piorum, & quàm eius obliuiſci non queat. Nam vt liberaretur ex ſeruitute Eccleſia, Babylonem vrbem diripi, & interire voluit Deus, dum nullo affectu miſericordiæ erga

Iudæos

*Iudæos vti vellet. Primores autẽ ex Iudæis, qui rem grarunt Hieruſalem, fuerunt Zorobabel Ieconiæ regis nepos, & Ieſus ſacerdos, atque ita relicta eſt ſumma Iudaici imperij apud poſteritatẽ Dauidis, & ſacerdotiũ quoque de integro reſtitutũ eſt. Sed infra à nobis dicetur quid porrò de rebus Iudaicis actũ ſit.*

*Nunc ad Cyrum redeo, cui hanc quoque gratiam donauerat Deus, vt per Danielem prophetam ad cognitionem veræ fidei & cultum Dei verum peruenerit: id quod ipſe in cõfeſſione ſua teſtatus eſt his verbis. Quòd omnia regna ſua hic in terris à Deo acceperit, à quo & iuſſus ſit dirutum apud Heroſolymitanos templum reparare: eſtq́; hac occaſione tum temporis doctrina veræ fidei non apud Iudæos modò, ſed & apud gentes cognita in regno Cyri. Commendatur enim à Gentibus ob ſtudium pietatis, quòd hortatus ſit ſubditos ad timorem Dei: dixiſſe eum Xenophon ſcribit: Quemadmodũ melius eſſet nauigare cum bonis, ita & felicius eſſe cum bonis in republica verſari, & bella gerere.* *Cyrus à Daniele inſtitutus*

## Daniel.

*Dicendum hic meritò mihi eſſet de Daniele, qui ſummus ſub id tempus prophe-*

ta extitit in Eccleſia,ſed eius laudes breui oratione me non poſſe cōplecti fateor: nam nō modò excellentiſſimo ſpiritu præditus fuit in doctrina pietatis,de qua inſignes eius ꝓphetiæ extāt,in quibus & ipſum tēpus aduenientis Chriſti clarè expreſſit,verum etiam in his quæ ad ciuilē adminiſtrationē imperij pertinent.conſiliario eo vtebatur rex Cyrus. Ac certè ꝓphetias memorabiles cōdidit de ſtatu regnorū ſublimium,quæ futura erant.Sed de his omnibus in eius ſcripto:ego hic ea miſſa nunc facio,ne modum videar excedere.

*Daniel cōſiliarius Cyri.*

*Scytharū pugna aduerſus Cyrum.*

Subacta iam Babylone irruperunt Cyro in regni fines Scythæ, homines feri & barbari.Cyrus cōmendato interim Cābyſi filio imperio,ad repellendā vim hoſtiū cum exercitu ꝓfectus eſt. Principio fudit Scythas, & regem Scytharū iuniorē captiuum cepit. Cæterùm ſcribit Herodotus ab immaniſſima gēte Scytharum viciſſim fuſos eſſe Perſas, & in ea pugna cecidiſſe Cyrū ipſum,& reginā Tomyrim amputatū eius caput in vrnā ſanguine humano plenā proieciſſe,dixiſſeq́; cum ſumma exprobratione: Satia te ſanguine modò,quo nunquā antehac expleri potuiſti.Immane hoc factū eſt,quod barbaræ gētis cru-

*Exēplum magnæ crudelitatis.*

delitatẽ magis arguit, quã quod dedecori aut opprobrio Cyro regi eſſe poßit: quippe qui vt tueretur fines imperij ſui iuſtißima arma ad uerſus Scythas ſumpſerit. Oportet enim principem propter vim hoſtium repellendam ad arma capeſſenda non ignauum eſſe. Neque verò hoc prætermittit Herodotus, alios de fato Cyri aliter ſentire: & Xenophon ſcribit, in lectulo cum decumbentẽ mortuum eſſe, & priusquàm moreretur hortatũ filios ſuos fuiſſe ad timorẽ Dei, ad concordiã & amorem inter ſe mutuò ſeruãdum: & multis præterea verbis longaq; oratione monuiſſe, vt meminiſſe velint animas humanas cum corporibus non interire ſimul, ſed manere immortales, & pios defunctos hac vita perpetua quiete apud Deum frui: & contrà, homines impios grauißimas pœnas eſſe daturos. Et his adieciſſe dicitur inſigne argumentũ rationis humanæ de maleficis, qui in vita hac ob cõſcientiã ſcelerum magno intus animi terrore exagitantur, & inde colligi poſſe, animæ ſuam quandã eſſentiam eſſe: & cùm terror hic diuinitus incutiatur, argumento eſſe, Deũ vlciſci velle quicquid iniuſtè cõmittitur. Sed hactenus ſatis de ſanctißimo hoc rege Cyro.

Xenophõ quid de Cyro.

## Quo tempore philoſophi primùm in Græcia fuerunt.

Philoſophi Ionici & Italici

*SVpra monuimus apud Græcos primum omnium Poetas eruditionis nomine celebres fuiſſe: poſtea ſub Cyri tẽporibus aliud doctorum genus cœpit, qui Philoſophi dicebãtur, & horum vno tẽpore ſectæ duplices fuerunt. alij enim Ionici, alij verò Italici dicti ſunt. Ionici in Ionia fuerunt: hi magna diligentia vſi ſunt in Phyſicis rebus & aſtrorũ curſibus inquirendis. Auctor horum Thales fuit, qui primus Græcis in trecentos ſexaginta dies annum partitus eſt. Quanquam enim anteà duodecim menſes habuerant, tamen ſolarem motum ad lunæ curſum referre cogebantur. Thales etiam primus apud Græcos eclipſim prædixit, & puncta æquinoctiorum reperit, quæ artis minimè vulgaris pars erat. Didicerat hæc ille ab AEgyptijs, apud quos anteà ſeruauerat hanc artem* Deus. *Docuit & hic Thales animas immortales eſſe, eſtq́; primus & verus hic auctor Philoſophorum Græciæ.*

Thales.

Pythagoras.

*Altera Philoſophorum pars, qui Italici vocantur à Pythagora ortum habet: nam &*

is ſub Cyri tempora vixit, in ea Italiæ extrema parte, quæ ad Siciliam tendit, & olim Græcia fuit. Temporibus Pythagoræ Romæ Seruius Tullius regnauit. Huius ſchola nõ in Phyſicis aut Aſtronomicis, vt reliquorũ, ſed in arithmetica, geometria, & muſicis fuit occupata. Porrò degebat Pythagoras vitam ſolitariam planè cum ſuis diſcipulis, varijsq; ceremonijs vſus eſt, & multa abſurda docuit de natura animarum, quòd commigrare ſoleant hominum animæ in beſtiarum corpora pœne cauſa. Tractarunt autem Pythagorici priuatim inter ſe ſua dogmata: vetitumq; inter eos erat, ne in publicum efferentur à quoquam, ne occaſione inuſitata doctrinæ plebecula, vel ad diſcordiam, vel ad contemptum communium morum concitaretur: cæterùm non admodum diu huius generis Philoſophi durauerunt. Neque nunc attinet plura de ortu Philoſophorum narrare. Saltem indicare hic volui, ne quis ignorare poſſet, quo tempore cœperint, & auctæ ſint ſcientiæ literarum: poſtea ſuo loco de illis dicemus, qui præ alijs Philoſophiam excoluerint, quorum non multi numero ſunt. Sunt enim perpauci digni, vt tam præclaro philoſophi

*vocabulo nominentur, ideóque non multi eorum à nobis referentur.*

## Solon.

Solō autor Ro. legum.

*SEd quanquàm hic breuitati ſtudemus, tamen Solonem præterire ſilentio nolo. Nam ab eo ciuilis Romanorum Iuris, cuius etiam hodie paßim vſus eſt, origo demanauit. Vixit ſub eadē hæc tempora Solon, ſummaq; familiaritate cum Thalete deuinctus fuit. Atqui cum grauißimæ diſſenſiones eſſent apud Athenienſes exortæ, propterea quòd potentiores vrbis debitores ſuos, qui ſoluendo nō erant, ex priuata libidine in ſeruitutem & mancipia redegiſſent, tota vrbs Athenienſis conſenſit in Solonem, vt is libidinem hanc potentiorem, & reliquos Reipu. turbatos mores in ordinē redigeret & corrigeret. Suſcepit hanc prouinciam Solon vltro, & multas præclaras conſtitutiones & leges edidit, quæ etiamnum extant. Porrò ante Solonem legiſlator Draco fuerat Athenis: huius leges nulla prorſus æquitate temperatæ erant. nam omnia vitia & tranſgreſſiones gladio iuxta eſſe caſtigandas ſtatuerat: atque hinc conſtat à prudentißimo quo-*

Thales & Solon σύγχρονοι.

dam dictum eſſe: Draconis leges ſanguine, non atramento ſcriptas eſſe. Adeò duræ & ſeueræ conſtitutiones principio in mundo fuerunt. cæterùm nihil diuturnum eſſe poteſt, quòd nimis rigidum eſt, quodq́; nullo æquitatis temperamento eſt mitigatum. Solon verò inter hæc diſcrimen ſeu gradus fecit, ſtatuitq́; alia peccata pro ratione grauius, alia remiſſius corrigenda eſſe. Conſtituit & de conferendo cenſu, de ponderibus, deq́; totius anni temporibus. Et in primis hæc lex commẽdatur, quam tulit, Vt quiſque quotannis indicaret magiſtratui magnitudinẽ facultatum ſuarum, & artificij genus, vnde ſibi honeſtè victum pararet: & ſi quis otium ſectaretur, eum propulſandum ex vrbe eſſe.

Draconis leges.

Solonis lex de exigẽdis urbe otioſis.

## Cambyſes.

Regnare cœpit Cãbyſes cùm pater Cyrus contra Scythas profectus eſt. Patris imperio AEgyptiorum regnum adiecit. Plurimum autem à patris virtutibus degenerabat. Cùm Prexaſpes inter delectos conſiliarios vnus liberius monuiſſet eũ, dixiſſetq́; laudari eum à Perſis plurimũ, cæterùm hoc ipſis diſplicere, quòd ebrietatis vitio obnoxius

Cãbyſes.

Prexaſpes.

eſſet, conuocari ille iuſsit primores regni, interrogauitq́; num aliqua in re meritò reprehendendus eſſet. at illi, Nequaquam, reſponderunt. ſed virtute etiam antecellere patrem Cyrum: ſiquidem eius regno AEgyptũ adiectam eſſe. Contra verò Crœſus, cui in primis commendauerat Cyrus Cambyſen filium inſtituendum ad honeſtatem: Nondum inquit Cambyſen æquari poſſe patri Cyro, quãdoquidem non procreatum adhuc ab eo talem filium qualem reliquerit Cambyſen Cyrus. Placuit tum id venuſte dictum Cambyſi. At verò dimiſſo ſenatu cum nemo principũ culpaſſet aliquid in eo, iuſsit ad ſe vocari Prexaſpen, præcepitq́; vt minorem natu filium ſuum ad ſe adduceret: nam, teſtaturum ſe q̃ pulchre etiam ſobrius videri poſſit, cùm maximè potarit: velle enim ſe iam ebrium arcu collimare in filiũ eius, quòd ſi iaculo cor eius transfigere queat, æſtimari poſſe inter potãdum ſuæ ſe rationis conſilio non carere: ſin verò minus, meritò ſe ebrietati deditum habẽdum eſſe. Sed quid multa? Cùm probè perpotaſſet Cambyſes, iaculatus eſt in puerum tãquam metam deſtinatum, & transfixũ iam excindi iuſsit, oſtenditq́; patri Prexaſpi, rectè

Crœſi facetè dictum.

Cambyſis crudele factum.

transſixum eſſe cor pueri, inquiens, vt inde æſtimaret ſe ebrium non eſſe. Vſqueadeò barbaros, feros & tyrannicos mores inducit hominum animis ebrietas, etiamſi rectè anteà inſtituti ſint: quemadmodum dubium nõ eſt, fuiſſe iam inde à primis annis ad honeſtiſſimos mores educatum Cambyſen regem. Et quanquam ebrius iaculandi peritiã nõ ignorat, tamen rectioribus cõſilijs rationis interim vti non poteſt, & illis virtutibus caret quæ ad modeſtiam & gloriæ ſtudium homines ſolent incitare. Exempla huiuſmodi proponẽda ſunt adoleſcentibus deditis plerunque ebrietati: nam quis exitus ſubſequutus ſit hos mores, paulò pòſt dicemus. Parricidiũ perpetrauit etiam in proprium fratrem Smerdin, quem necari clàm iuſſit, ne regnaret aliquando. Præterea & ſororem germanam in vxorem duxit, cùm tamen ab hoc genere contrahendi matrimonij natura abhorreat. Ebrietas. Parricidiũ Cambyſis.

Porrò euenit, vt cùm vnà cum regina ſorore accumberet inter epulas rex Cambyſes, voluptatis capiundæ cauſa catulum, leonem & acerrimum canem inter ſe cõmiſerit, & cùm leo robore & ferocia ſuperior eſſet, magna vi alter, canis nõ minus acer, ruptis vin-

culis, quibus ligatus erat, fratri cani opem tulit, & victus leo eſt. Delectatus in primis hoc ſpectaculo rex eſt, ob fidelitatem canum inter ſe. Cæterùm eodem facto mota regina, familiariter admodum flere cœpit: & cũ hoc ipſum egerrimè ferret rex, quæreretq; cauſam luctus, reſpondit: Nihil minus ſuo fratri à fratre contigiſſe, q̃ huiuſmodi fidem, qua videret canes à ſe mutuo iuuari. Reſponſum hoc indignè ferẽs rex, illico eam abripi è ſuo conſpectu, & necari iuſsit. At tales mores non diu ſucceſſum habere potuerunt. Loquitur enim Deus in ſcriptura: Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabũt dies ſuos in terra. Proinde nõ multo pòſt graui vltioni animaduertit in eum Deus. Etenim ex Ægypto rediturus in Perſiam, cùm equum iam aſcẽdiſſet, decidẽte è vagina gladio grauiſsimo vulnere in altero latere ſauciatus interijt. Teſtatur hoc exemplum, Deum non ferre diu tyrannos. Nam non longè poſt mortem Cyri ſupra vnius anni ſpatium vixit Cambyſes, neque hæredem regni reliquit: eſtq; hoc modo ſemel totus extinctus. Eſt profectò commiſeratione in primis res digna, intra tã breue tempus regnum Perſarum à poſteritate

Canũ fidelitas.

Cambyſis crudelitas erga ſororẽ reginam.

Vltionis exemplũ. Cãbyſes.

Cyri ſublatum eſſe. Mãſit nihilominus ſumma imperij Perſarum penes ſanguinem Cyri. Nam duxit in matrimonium filiam Cyri Darius, qui alioqui etiam cognationis gradu Cyrum attingebat.

Nemo tam deſperatæ ſpei princeps eſt, qui non aliquando ſaltem honeſti aliquid faciat. Nam exornat Deus officium magiſtratus, efficitque vt ad conſeruationem publicæ adminiſtrationis egregia & vtilia nõnunquam opera neceſſariò fiant. Commendatur in omnibus hiſtorijs Cambyſes ob vnum hoc factum, propter quod laudem meretur. In priori Aſiæ parte præfectum habuit Siſamnem appellatum: hunc audierat pecuniæ largitione corruptum iniquè iudicaſſe: quare occidi eum iußit, & detractam corporis eius cutem in tribunali inſtar pellis extendi voluit, & in locum occiſi iudicis conſtituit Otanem filium eius, collocauítque eum in ſellam iudicis, hac lege atque omine, vt contemplatione paternæ cutis caueret, ne ſimile aliquando ſupplicium ſubire cogeretur. Ac monet hoc exemplum eos qui magiſtratum gerunt, vt meminerint Deum inultam non ſinere iniuſtitiam.

Supplicium iniqui iudicis.

Siſamnes

Otanes.

## Darius rex Perſarum.

Magi. Immodeſtiæ exemplũ.

CAmbyſe profecto in AEgyptum defeceru͂t ab eo Magi apud Suſam, & Magus quidam per dolum, regium ſibi nomen vſurpabat. Dicti autem ſunt Magi illarum regionum ſacerdotes & ſapientes. Cæterùm cùm iam reditum adornaret Cambyſes in regnum, vt animaduerteret digno ſupplicio in ſeditioſos Magos, in ipſo itinere per occaſionẽ, vt iam antea diximus, occubuit. Poſt mortem Cambyſis, trucidatis Magis, primores regni Perſarum imperium occupant, deinde die comitiorum iam dicto, conueniunt cõſulturi de reſtituendo in certum ordinem quendam regno Perſarum. Principes numero ſeptem fuerunt, quemadmodum in Germanico regno ſeptẽ Electores principes ſunt. Deſignati illi haud dubiè fuerunt ex magno conſilio & prudentia, tanquam totius Perſarum regni ſummi conſultores. Iam verò cùm ſeptem hi principes conueniſſent conſulturi in cõmune de ſalute regni, de tribus potiſſimũ rebus inter conſultandũ cõtrouerſia incidit.

Otanes quidam conſuluit, non eſſe porrò deligendos reges, ſed fœdere firmato, princi-

pes iuxta imperare debere, libertate vtrobique ſeruata: nam anteà ſatis compertum eſſe in exemplis, vnum virum tot ac tãtarum rerum dominum facilè inſoleſcere, & in tyrannidem degenerare, quemadmodum Cambyſem feciſſe conſtaret.

Secundus Megabyſus repudiato hoc cõſilio adfirmabat, talem libertatem etiã perniciosiorem tyrannide futuram: nam principes & vrbes, ſi domino careãt, non poſſe nõ abuti hac libertate ad priuatã libidinẽ. Sed ne quid eius fieri poſſet, conſultũ eſſe non vnũ aliquem regem deligendũ, ſed aliquot principes conſtituendos eſſe, penes quos ſumma ſemper regiæ potentiæ permaneret.

Vtriuſque horum ſententiam refellens tertius, Darius dictus, conſuluit vnum regem eligendum eſſe: nam quanquam hîc, ſicut in alijs rebus humanis omnibus multa magnáque incommoda incidere poſſent, tamen nullum imperium ſtabilius aut firmius eſſe Monarchia, hoc eſt, ſi vnus imperet, in cuius manibus totius regni cardo verſetur. Etſi enim tria hæc conſilia ex æquo honeſta & optima planè ſint: tamen ſi conferantur inter ſe, certo certius eſſe Monarchia non aliud pul-

Monarchia optima imperii forma

chrius aut vtilius poſſe reperiri, nimirum quæ ad diuinum & cœleſte regnum accedat propius. Præterea fieri non poſſe, vt diu concordia ſeruetur inter principes liberos. aut ſi ad potentiſsimum regnum adminiſtrandū aliquot deligantur principes in regis locū: idq́; propter diuerſitatem grauiſsimarum cauſarum, quæ ſubinde tam late patenti regno inciderent, in quibus ſemper conſentire inter ſe non poſſent principes. Præter hæc non defuturum quoque eſſe inter hos ipſos principes dignitatis, & dominij ſtudium præ reliquis, quibus vnus tanquam ſubditis vel inferioribus dominari conaretur. Cauſæ hæ fuerunt, quas commemorauit Darius: quibus & calculum ſuum adiecerunt reliqui quatuor principes, ſtatuerúntque tandem pro veteri more regem eligendum eſſe.

Darii electio in regem.

Cæterùm ne quod diſsidium inter principes regni ſuboriri poſſet, ſenſerūt Deo electionis regiæ ſortem committendā eſſe. Placuit vt multo mane conuenirent vnà in equis Principes in certum locum, & cuius equus hinnitum primus ederet, hunc regem fore. Darius reuerſus domum indicauit conſilium principum aulæ ſuæ prefecto, qui facile hoc ſe effe-

ctūrum affirmauit. Etenim ſub veſperum pridie conſtitutæ diei equum Darij & equā in deſtinatum locum adducit, ibique equum equæ admittit, ut mane cognito loco deſiderio equæ abſentis hinniret caballus.

Atque mane conuenientibus principibus hora dicta, & conſtituto loco, Darij equus primus hinnitum edidit: & ne dubitare poſſent in fatis ita eſſe vt regem Darium haberent, continuò in aperto & ſereno cœlo ſine vlla tempeſtate fulgur cum adiuncto tonitru inter hinniendū refulſit. Statim reliqui principes ex equis deſilientes Dario regios honores exhibuerunt. Eſtq́; hac occaſione in faſtigium regni Perſarum euectus Darius, quod ſumma poſtea cum laude adminiſtrauit. Regiones quæ, cum periſſet in Scythia Cyrus, defecerant, magna virtute reſtituit imperio. Quinetiam Babylonem vrbem detrectātem iam imperium Perſarum, poſt longā obſidionem recuperauit, idq́; per hanc occaſionem.

Zopyrus quidam Megabyſi qui ex ſeptem principibus vnus fuerat, filius, præcidi ſibi naſum, aures, & labia iubet vltro, regiq́; propoſiti ſui conſilium indicat, & tanquam profugus ad Babylonios ſe confert: conqueri- Zopyri fidelitas erga Dariū.

*tur de crudelitate regis, qui ideo lacerari ſe tam fœdè iuſſerit, quia conſilium dederit vt desererent vrbem. neque enim ſimulauit aliter quàm ſe regis hoſtem eſſe, & qui conſilij capiundi cauſa profugerit ad Babylonios. Babylonij vltro receperunt eum, & imperator ab eis factus trucidauit aliquot ex militibus* Darij. *ita enim conuenerat cum* Dario, *vt maiorem ſibi fidem apud Babylonios faceret primum, poſtea credere illi omnem exercitum Babylonij, quem tradidit* Dario: *fecitq́; vt totam vrbem recuperaret, quam obſederat iam menſibus ſex ſupra integri anni ſpacium. Porrò ingentem* Darius *rex gratiam habuit huic Zopyro ob fidelitatem. nam prætulit eum poſteà omnibus principibus regni, & oblato malo granato, ait* Darius: *Nihil ſe ſibi exoptare poſſe præſtantius in hac vita, quàm ſi tot Zopyri poſſent contingere, quot grana hoc pomum intus haberet. Significare enim voluit, non poſſe habere regem alium theſaurum digniorem, aut munimenta regni fortiora, quam fidos amicos & conſultores.*

Darii dictum de Zopyro.

## Bella Darij in Græcia.

*Vendicare*

Vendicare etiam ſibi tentabāt Perſæ Macedoniæ & Græciæ regna, quòd Perſarum finibus contermina eſſent. Sed quia tanquam certos limites cuique regno præfixit Deus, quos excedere non poteſt, ideo neq; Macedones, neque Græcos ſuo imperio ſubijcere potuerunt Perſarum reges. Porrò in Græcia ſub id tempus plurimi & maximi quique euentus acciderunt, qui vt numero multi ſunt, ita omnes enarrare ordine longum eſt: recitabo autem quædam, ſed nō niſi ſelectiſſima, & breuiter.

Perſæ legatis ad Amyntam Macedoniæ regem miſſis poſtulabant, vt ſeſe dederet ipſis. Metuens ſibi ob potētiam Perſarum rex Amyntas, ſupplex propemodum vltro quod petitum veniſſent facturum ſe eſſe promiſit, tractauitq; legatos omnibus humanitatis officijs. Et cum ex voto legatorum ſolenne epulum inſtitutum eſſet, poſtulabant conuiuij exornandi cauſa nobiles matronas & filias adduci. Amyntas nihil tale negare audens, vltro adduci iuſſit. Porrò verò quum iam Perſæ bibiſſent largius, impudenter adludere cœperunt ad fœminas ingenuas, adeò vt vehementer tæderet Amyntam, & iuniorem

Amyntas Macedoniæ rex.

Alexāder Amyntæ filius.

regem Alexandrum filium eius, ipſorũ immodeſtiæ: atque ob reuerentiam ætatis, rogauit Amyntam patrem Alexãder filius, vt ſecedens è conuiuio cubitum iret, ſe verò manſurum interea apud hoſpites. Iam verò abeunte patre ſimulans Alexander lætitiã, permiſit iocari Perſas cum mulieribus liberius: tandem petijt, vt ſurgerent paulisper omnes, permitterentq; matronis paululũ ſecedere è conuiuio: redituras enim eſſe ornatiores ſtatim. Permiſerunt hoc ipſum Perſarum proceres vltro. Interea autem curabat Alexander, vt ſelectiſſima forma adoleſcẽtes induti matronali habitu in cõuiuium redirent, & ſub veſte gladios occultarent, quibus inter iocandum trucidarent Perſas, id quod factum eſt. Nam ab his adoleſcentibus Perſæ ad vnum omnes ſunt perempti: eſtq; hoc modo eorum impudentia grauiter punita. Alexander hic refertur inter Alexãdri proauos. Poſt hæc Græci etiam, qui in ſuperiori Aſiæ parte ſub Dario erant, defecerunt, & Sardis oppidum direptum incendio deuaſtarunt, & ad hoc opem tulerũt Athenienſes. Nam Hiſtieus quidam inſignis princeps miniſtrum quendam ad eorum impera-

Sardis.

Hiſtieus.

*torem miſit, & ne res palàm fieret, deraſo crine ex capite ſerui, cui impreſſerat in hanc ſententiam, vt à rege deficerent, poſtea renato capillo, non literas, ſed hunc ſeruũ ad eũdem imperatorẽ miſit, cũ hoc tantũ mãdato, vt capillũ ei detonderet, & caput aſpiceret: quod cùm feciſſet imperator, illico defecit à* Dario. *Verùm auctor hic ſeditionis trucidatus eſt, & laqueo Hiſtieo vita eſt adempta: atq; hiſce remedijs ſedatus tumultus nõ ſerpſit latius. Porrò hæc, & ſimilia alia occaſionem* Dario *præbuerunt, vt ingentes copias, peditum centum milia. & equitum decẽ milia in Græciam miſerit, ad ſumendum ſupplicium de Athenienſibus ob ſeditionẽ. Caſtra poſuerunt ad duo miliaria ab Athenis. Iam verò cùm conſulerent plerique, non eſſe cõtra eundum hoſtibus, ſed, ſi obſidionem tentarẽt, vrbẽ fortiter tuendam eſſe, Miltiades vnus diuerſum ſuadens, oſtendit grauem omnino & intolerabilem vulgo obſidionem eſſe, verum ſubita irruptione facilè opprimi poſſe hoſtes. Sequuti ſunt Miltiadis conſiliũ, quẽ & belli imperatorem deſignarũt. Eductæ copiæ ſunt Atheniẽſium decẽ milium contra hoſtes. nullũ his præſidium acceſſerat ex vrbibus*

Darii expeditio in Græciam.

Miltiadis conſilium.

Platææ. Miltiadis victoria.

reliquis, niſi ex Platæa vrbe tãtum mille viri qui miſſi erant in auxilium Athenienſibus. Atqui paruo hoc exercitu ingens illa Perſarum inſtructiſſima multitudo fuſa eſt, & magnam omnino laudẽ meruit hæc pugna, quæ à ſummo atq; incredibili terrore ac metu totam Græciam liberauit, quo illa nõ aliter perculſa tum erat, quàm ſi noſtro tempore Turca inuaderet Germaniam.

Non prætereundum hic nobis eſt, quam gratiam tandem pro hoc beneficio retulerit Miltiadi multitudo Athenienſium. Nam præter hanc victoriam, & alia eius præclara facta extiterunt erga Rempublicam. Adiecit virtute bellica alias vrbes & inſulas, quibus imperium Athenienſiũ auxit. Sed quia magnæ virtutes inuidia & obtrectatione malorum carere non poſſunt, effectum eſt à quibuſdam apud populũ, vt coniectus in publicum carcerem ſit Miltiades, donec perſolueret Reipublicæ ter centum milia coronatorum. Porrò cùm ſoluendo non eſſet, & iam diuturno ſitu & ſquallore carceris infirmari cœpiſſet, & filius Cymon, vt liberaretur pater, in carcerem deſcendiſſet: tandem mortuo patre, ditiſſimus ciuis quidã filiam Miltia-

Miltiadi mala gratia relata

*dis in vxorem duxit, & expoſita pecuniarũ ſumma liberauit ex carcere Cymonem. Adeóne pro rectè factis parem & dignã gratiam habere bonis viris vulgus ſolet?*

## Xerxes rex.

D*Ario duo fuerunt filij: natu maior ante regnum ſuſceptus fuerat: iunior verò Xerxes dictus, in regno ex matre Atoſſa Cyri filia natus. Is quia ex vtroque parente regio fuit, ſucceſsit patri defuncto in imperio, vt regnum maneret apud Cyri poſteros. Permiſit hoc grandior natu frater magna ſanè modeſtia animi, nulla contentione vſus aduerſus Xerxem fratrem.*

*Porrò fuſis in Græcia Perſarum copiis, nouum de integro exercitũ parauit Darius, ſed dum ille reſtaurare bellum conaretur, morte obit. Itaque Xerxes ſtatim ſub initium ſui regni bellum à patre acceptum inſtruxit, & maxima vi militum Græciam intrauit, adeò etiam vt quorundam ſcripta teſtatum reliquerint, nunquam ſimul tam innumerabiles copias collectas fuiſſe, quàm Xerxis regis. Iuſtinus ait, ſeptingenta milia, ex eius regnis in armis fuiſſe: & de confœderatis exteris, trecẽ-*

Xerxis expeditio in Græciã quanta.

ta milia hominum. Quanquam autē parum videtur credibile tantam fuiſſe multitudinē, tamen hiſtoriæ ſatis teſtantur, & plurimæ pugnæ quoq; quæ ſub id temporis factæ ſunt, ingentem Xerxis exercitum fuiſſe. Et hodie etiamnum experimur in expoſitione Turcica, quantis copijs, ſed armatura leui, Orientales gentes ducant exercitum. Quinetiam Daniel teſtatum reliquit, regem ex Perſia maximo apparatu militum contra Græcos ventu- rum. Legitur etiam collecto iam vnum in lo- cum tanto exercitu, Xerxes ſubortis lachrymis magno animi dolore dixiſſe, Calamitoſiſsimā planè eſſe ſortē humanæ vitæ: nam ex tot milibus hominū ne vnum quidē ſuperſtitē eſſe poſſe annos centum. Additur his, Xerxem cum iam anguſtias maris pontibus ſterneret, ſuborto fremitu tēpeſtatis, iuſsiſſe verberari mare. Pertinet huc etiam quod nō immeritò proditū eſt, inter proficiſcendū, flumina ab eius exercitu bibēdo exſiccata eſſe. Cæterùm ꝓdigia quoque viſa ſunt, quæ monuerunt regem, vt deſiſteret ab incœpto propter futurum infortunium. Etenim equa in exercitu leporem peperit, quo fuga ſignificabatur. Apparuit & Cometa Ceratias dictus, ꝙ in-

Vitæ breuitas.

*ſtar cornu incuruaretur. fuit & eclipſis ſolis. Quemadmodum enim hiſtoriæ teſtantur, nõ ſine ſubſequenti incõmodo aliquo huiuſmodi ſigna conſpiciũtur, nimirum per quæ iram ſuam minatur* Deus: *ideoq́; contẽni non debent, ſed incitamento nobis potius eſſe, vt timeamus* Deũ. *Nam videre hic licebit, quãtæ mutationes rerum publicarũ, & omnium ſtatuum orbis poſtea ſint ſubſequutæ.*

*Xerxes primũ terreſtri prelio cũ adoriri vellet Græcos, quorum eſt regio circũquaque clauſa, vt ad eam aditus non pateat, niſi per mare, aut per mõtis anguſtias quaſdam, quæ ad eas ſeruandas ab ingreſſu hoſtiũ deſtinata erant aliquot milia Græcorum, eorum maxima pars fugit illico, volentibus iam tranſire Perſis, ſolum remanſerunt quadringenti Lacedæmonij, qui magna virtute ad reſiſtẽdum hoſtibus vſi ſunt: & quanquam numero longè pauciores, & viribus infirmiores eſſent, quàm vt repellere poſſent tantam vim hoſtium, tamen eam fortitudinem in pugnãdo declararunt, vt circiter viginti milia Perſarum ab ipſis ſtrata ſint. Nam opportunitate loci in anguſtiis montis freti, ab incurſu & oppreſſione multitudinis hoſtium*

Græcorũ regio clauſa.

Lacedæmoniorũ uirtus.

tuti erant, neque per inſidias circundari poterant. Interierunt in hoc conflictu duo fratres Xerxis, ſed vnà quoque cũ rege ſuo Leonida quadringenti illi Lacedæmonij extincti ſunt. Laudatur factum in primis ob magnanimitatem & fortitudinem pro tuenda patria, quòd numero tam exigui tantæ ſe multitudini opponere non ſint veriti: & quanquam victoria potiti non ſunt, tamen vehementer hoc conflictu hoſtium vires debilitatæ ſunt, & audacia imminuta.

Superioribus in hac pugna Perſis, mirum quanto tota Græcia terrore perculſa ſit, & in ea parte Græciæ pleræq; ſtatim vrbes Xerxi ſe vltro dediderunt. Quin & apud Athenienſes Cyrſilus quidam, ſiue, vt Herodotus ait, Lycidas, conſuluit vt & Athenienſes ſe darent ſub poteſtatẽ Xerxis: nam nullo modo ſufficere ſe poſſe ad reſiſtendum potentiſſimo hoſti. Themiſtocles contrà ſuaſit patriæ libertatem tuendam eſſe. Nam ſi Perſis in Græcia dominari contingat, periclitari omnẽ honeſtatem morum, ius & omnes bonas virtutes perituras eſſe: Perſas acturos eſſe pro omni animi libidine in vxores & liberos eorum, quemadmodum iam conſtaret feciſſe

Cyrſilus.

eos in illos, quos ſubiectos ſuo imperio tunc haberent: proinde honeſtius eſſe in libertate mori, q̃ vltro tales dominos admittere.

Receptum ab omnibus vno conſenſu hoc conſilium Themiſtoclis eſt, vt fortiter defenderent ſe contra hoſtes. Cyrſilo ob peßimum conſilium infenſi Athenienſes lapidibus eũ obrui iuſſerunt, & ſimiliter vxorem eius fœminæ lapidarunt, quòd maritus eius huiuſmodi conſilium propoſuiſſet, quod ſi fuiſſent ſequuti, omnes liberos ſuos in turpitudinẽ adduxiſſent. Commendatur hoc factum virtutis, & exemplum memorabile eſt, mori eos maluiſſe pro libertate patriæ, ne dederent ſe nationi exteræ, quæ ſtatum vrbis & omnem politiam & honeſtatem euerteret. Cyrſilus lapidibus obruitur.

Athenienſibus Delphis Apollinis oraculum conſulentibus reſponſum erat, Athenienſes victoriã ligneis muris habituros eſſe: quod Themiſtocles de nauium præſidio interpretatus eſt, hortatúſq; vt relicta vrbe in naues vxores & liberos ſuos ducerent: nam viribus & tantæ multitudini Perſarum, vrbem non poſſe tandem reſiſtere: in mari autem nõ admodum inſtructos Perſas eſſe. Probatum conſilium hoc eſt, & imitatæ id ſunt Oraculum de ligneis muris.

reliquæ vrbes, Sparta & Corinthus, quæ inſtructa claſſe anguſtias maris circa Salaminā inſulam occuparūt, ne circūueniri à multitudine nauiū, quas habuit Xerxes, poſſent.

Cùm audiſſet Xerxes claſſem à Græcis adornatam, intellexiſſètque magnū ſibi periculum inſtare, ſi mari Græci liberè vterentur, ne data opportunitate in regnū irrumperent, conſultum eſt Xerxi, vt contrà nauali prælio laceſſeret Græcos. Id factum eſt. Verùm victoribus Græcis, maxima Perſarum pars fuſa eſt, & plurimæ naues ſunt ſubmerſæ. Hæc victoria animum vniuerſæ Græciæ reddidit, & debilitauit Xerxem. In pugna rex ipſe non adfuit, ſed cum paucis nauibus in littore remanens, conflictus ſpectator tātùm fuit. Gloria victoriæ ab omnibus Græcis Themiſtocli delata eſt, quòd eius cōſilio inſtructa pugna, tota Græcia ſeruata ſit.

Themiſtoclis techna.

Inter alias multas technas, quibus in hoc bello vſus eſt Themiſtocles, aſtutum hoc cōſilium recenſendum duxi. Poſt pugnam cum perculſus animo Xerxes eſſet, cogitauit Themiſtocles facilè adduci poſſe regem, vt relicta Græcia prorſus in Perſiam reuerteretur cum reliquo ſuo exercitu. Itaque ſupplicem ſe

ſimulãs,tanquã gratiæ ineundæ cauſa apud Xerxem,per nuntium indicari ei iubet,Græcos conſilium agitare interrumpendi pontis quem per mare anteà fecerat:ꝓinde,niſi velit grauiori ſe periculo obijcere,illico è Græcia fugiendũ ei eſſe,priuſquã tranſeũdi occaſio intercluderetur. Ille audito hoc nuncio fugæ ſe ſtatim parat. Cæterùm vbi iam fugiẽs offendiſſet pontẽ diſsipatum vi tẽpeſtatis, nauicula traiecit, extremo etiã diſcrimine vitæ, propter concitatum uehementia fluctuũ mare. Inuertit hoc modo Deus ludi aleã, vltúſque ſuperbiã eſt. Et propoſitum hic habent exemplũ magni principes, vnde diſcere debent,nõ fidendum eſſe priuatæ potentiæ, ſed in timore Dei & fiducia ad Deum maximas quaſq; res ſuſcipiendas eſſe. Ridiculum hunc finem habuit, quæ terrorẽ omnibus incutiebat illa expeditio,quã tanta potẽtia & multitudine inſtructã induxerat Xerxes in Græciam,non aliter atq; noſtris tẽporibus ſumma ignominia Viennam vrbem relinquere Turca coactus eſt,qui cum exercitu ducẽtorum milium hominũ venerat in Germaniã.

Nõ eſſe fidẽdũ potentiæ.

Cæterũ decedens Xerxes reliquit in Græcia Mardoniũ ducẽ,cũ ter centũ milibus militũ:

Mardonius dux.

idq́; hac de cauſa, quia Mardonij cõſilio adductus rex contra ſententiam & volũtatem reliquorum principum in Græciam conceſſerat. Et cùm non reſpondiſſet euentus pollicitationibus Mardonij, propterea metuens ſibi, ne domum fortaſſe reuerſus capite truncaretur, ob infelicem exitum ſuſcepti belli, poſtulauit vt cùm exercitu militum relinqueretur in Græcia, ad tentandum omnem caſum fortunæ, an fortè per occaſionem res Græcorum debilitari poſſent. Permiſit itaque rex Xerxes hanc rem ipſius fortunæ. Ac primum cœpit Mardonius amicè pertentare Græcos, vt tolerabilibus cõditionibus pacis propoſitis vltro ſe dederent. Verùm ob euentum victoriæ animoſiores Græci detrectabant prorſus omne dominium Perſarum, & repudiato fœdere poſtulabant, vt vi & pugnando ſe tuerentur. Cæterùm diripuit atque exußit Mardonius vrbem Athenienſium, & Thebas vſque progreſſus eſt. nam ad Perſas defecerãt Thebani. Cùm autem inſtructo iterum terreſtri exercitu centum milium virorum Athenienſes, & Lacedæmonij aliquoties cum Mardonio pugnando congreßi eſſent, tãdem commeatus inopia coactus Mardonius finẽ

bello imponere decreuit. Erat apud Perſas Macedoniæ rex Alexander, cuius ſuprà mẽtionem fecimus: hic ſub veſperam indicauit Græcis, vt ad ſubſequentem diem armarent ſe: nam conſtanter ſtatuiſſe Mardonium extremam pugnam committere: idq́; factũ eſt. ſuperati Perſæ ſuccubuerunt, trucidato etiam Mardonio: id quod reliqui cõſultores Xerxis regis ante ſuſceptum bellum prædixerant. Cæterùm hic exitus fuit tantæ expeditionis: & finito hoc bello Græciæ ciuitates potentia & amplitudine imperij augeri cœperunt, ſubiectis multis inſulis Perſarum, quas ſuo regno adiecerunt. Porrò potentiores facti Græci inſolentiores eſſe cœperunt, & præ dominandi libidine etiam ab inteſtinis ſeditionibus & bellis non abſtinuerunt, & mutuis cladibus victi, compulſi tandem ſunt exteris ſe principibus dedere, deleto omni ſtatu ſuæ Reipu. & virtutibus quibus anteà florebãt. ſed de his paulò pòſt dicemus nonnihil. Alexãder

Operæprecium autem in primis eſt, Themiſtoclis exemplum nouiſſe, qui cum is eſſet, cuius conſilio & fortitudine tota Græcia ſeruata fuerat, quo nomine & ſummæ eius laudes præ reliquis omnibus ducibus, quos da- Themiſtocli ob bene merita mala gratia relata

riſsimos habuit Græcia, referũtur, tamen ma lam gratiam ſui ciues ei retulerunt. Nã vrbe expulerunt eum. Hãc gratiam habet multitudo pro ſummis virtutibus: imò & Satan ipſe dementat homines, vt tam ſublimia dona Dei non agnoſcant. Proinde optimos & excellentes viros tolerantia in primis præditos eſſe oportet: ſiquidem fieri nõ poteſt, quin moleſtias & omnem ingratitudinem experiantur in hoc vitæ ſtatu. Confugit Themiſtocles poſtea ad Artaxerxem, apud quẽ ſummo eſt in honore habitus, ſimilis per omnia ſummis eius principibus & cõſultoribus regni. Dixiſſe quoq; ferunt Artaxerxem, non poſſe malum aliquod grauius optare ſe ſuis hoſtibus, quàm vt hac dementia excæcati, huiuſmodi ſapientes viros à ſe alienarent.

Themiſtocles ad Artaxerxẽ.

## Artaxerxes Longimanus.

XErxe defuncto, filius eius Artaxerxes regnauit: cuius dextra manus ſiniſtra longior fuit, vnde factum illi cognomen Longimani eſt. In primis laudatur hic rex ob ſingularem prudentiã & manſuetudinẽ morũ, & pacis ſtudiũ: propterea huius hiſtoriã hîc non recenſeo longius, vt tandem ad Iudaicas

Longimanus.

res reuertamur, ne ignoremus quis interea ſtatus in eccleſia & ſpirituali regnauerit.

## Zorobabel princeps Iuda.

*SVprà indicauimus, in Biblijs ſacris nominari quendam ex Perſarũ regibus Aſſuerum: hic verò fuit* Darius *Hyſtaſpis, & vt ego opinor, hic Darius Aſſuerus eſt, qui Eſther regina potitus eſt. Herodotus etiam* Artiſtona *Artiſtonæ mentionem facit, quam habuit* Atoſſa. Darius *præter Atoſſam reginam: & teſtatur Artiſtonã illam vald e amatam fuiſſe à* Dario, *quã apparet Eſther fuiſſe. Philo etiã ſcribit hiſtoriã Iudith ſub tẽpora huius* Darij *regis contigiſſe: & Arphaxad, cuius hiſtoria Iudith mentionem facit, imperatorẽ Aſſyriorum fuiſſe, poſtquàm à* Cyro *victo iam à Scythis, defecerant. Hanc ſententiã Philonis non improbo, verùm, vt ego quidẽ arbitror, iã antea fuerat impleta hiſtoria Iudith, prius quam in Babylonem tranſlatus eſſet Iuda, atque adeò ante Perſarum Monarchiam, Nam Arbaces Medorum rex ante Perſa-* Arbaces. *rum Monarchiam fuit & Niniue deleta eſt tempore regni Perſarum, & occupantibus Monarchiam Perſis, neq; Niniue, neque*

*Medi ſuum regem habuerũt. Cæterùm permitto hîc cuique ſuam tueri ſententiam.*

Longimanus *Poſt* Darium *Hyſtaſpis ponit Philo Longimanum, prætermiſſo Xerxe rege: ſed haud dubiè nõ alia de cauſa, quàm quæ ſuprà indicata eſt, quòd profectò in Græciam Xerxe, Longimanus interea regnum adminiſtrauerit in Oriente. Et hic ille* Darius *Longimanus eſt, qui iterum Iudæis donauit libertatẽ templi extruendi. Quanquam enim à Cyro permiſſum erat Iudæis redire Hieruſalem, ad occupandam terram, & ad regnum & cultum* Dei *inſtituendum, tamen interea temporis poſt mortem Cyri per finitimos impeditum eſt quo minus ædificatio ſuccederet, iam inde vſque ad ſecundum annum Artaxerxis Longimani, quem Philo* Darium *Longimanum vocat. Is ſecundo ſui imperij anno publico edicto præcepit, vt Hieruſalem & templum repararetur. Hæc occaſio fuit, qua reſtitutus ſuæ libertati Iudaicus populus, regni adminiſtrationem, cultum* Dei *de integro rurſus inſtituit, & templum & vrbes ædificauit denuò. Et quanquam ſuos hactenus reges non habuit Iuda, tamen principibus interim ex poſteritate* Dauidis *vſus eſt, vſq; ad*

*ea tẽpora,*

ea tempora, quibus Machabæi regnare cœperunt. Primum Zorobabel imperauit, cuius poſteri quam fortunam habuerint, & quo pacto tandem à poſteritate Dauidis totum regnum tranſlatum ſit, dicemus poſtea. Nam ita à prophetis prædictum erat, vt ſub id tēpus naſceretur Chriſtus ex ſanguine Dauidis, quo iam antea alienatum regnum Iudaicum exteri principes ſibi vſurparent. Ann. mūdi, 3426. Chriſti aduentus.

## Septuaginta Hebdomadarum ſupputatio ex Daniele.

REuelatum eſt diuinitus Danieli de aduentu Chriſti, & quanto tempore populus Iudaicus durare deberet. Extat in hac prophetia præclarum in primis teſtimonium, ad confirmandam certitudinem fidei noſtræ, aduerſus Iudæos, qui contendunt nōdum veniſſe Chriſtum, & alium quēdam Meſsiam adhuc venturum expectant.

Porrò temporis præfiniti à Daniele facilis ratio eſt, & in primis iucundum eſt ex ea cognoſcere, ſub id tempus certò veniſſe Chriſtū, quod præſcripſit Daniel. Nā & ſi variè ſupputent alij, tamen ſi ab ordine hiſtoriarum non recedas, nulla inſignis diſſenſio reperietur,

propter quã poſsis dubitare. Et certè ad exactiſsimam temporis ſupputationem prodeſſet, eas quæ contigerunt Eclipſes repetere ex Ptolemæo, & ex illis ſingulos annos ordine colligere: verum eſſet is non vnius hominis labor. Et aduigilarent meritò in his rebus Epiſcopi collatis ſumptibus, vt tam inſigniũ ꝓphetiarũ intellectus clarè in Eccleſia extaret. Equidem hoc loco ex potioribus hiſtorijs annorum numerum decerpam, & eorũ rationẽ quàm maximè perſpicuam reddere conabor.

Danielis locus de 70. heb.

Daniel ait: Septuaginta hebdomadæ cõcluſæ ſunt ſuper populum iſtum, & præcipuè iuxta mãdatũ de reædificanda Hieruſalem, erũt ſexaginta nouẽ ſeptimanæ vſq; ad regnũ Chriſti, & tum Chriſtus interficietur.

Principio cognoſcendũ eſt annuas hebdomadas hìc ſignificari, vt vnaquæque hebdomada ſeptem annos conſtituat, id quod facilè probari poteſt. Proinde efficiunt ſeptuaginta hebdomadæ annos 490.

Secundo ait Daniel, Chriſtus interficietur poſt 69 hebdomadas: ſed ita, vt dimidiata ſeptimana doceat, & poſtea occidatur. Signatè quidem & tempus & officium Chriſti expreſſum eſt hoc modo.

*Tertio, Sexaginta nouem hebdomadæ ſupputari debent ab anno ſecundo Longimani. nam tum miſit Deus Zachariam & Aggæum prophetas, vt conſolarentur & certò confirmarent populum, de reparanda Hieroſolyma in poſterum ſine aliquo impedimento. Et de hoc verbo, hoc eſt, de hac reuelatione, verba angeli intelligēda ſunt, quādoquidem tum certa promiſsio contigit populo, de ſucceſſu reparationis templi Iudaici.*

*Præterea eodem etiam hoc anno præceperat Longimanus publico edicto, ne impedirentur Iudæi ab inſtituto opere ædificandæ vrbis & templi, quemadmodum antea factum erat. Sed hæc omnia in Eſdra leges.*

*At verò ad hanc ipſam dilationem temporis in reparando templo Ioannes reſpexit cap. 2. cùm ait quadraginta ſex annos in extruendo templo abſumptos eſſe: nam is annorum numerus eſt, à ſecundo Cyri anno vſque ad ſextum Longimani annū quo abſolutum eſt templi opus.*

*Iam verò colligitur ex Machabæorum libro, & ex Ioſepho. ab initio Alexandri poſt vltimi Darij obitum, vſque ad natum Chriſtum fuiſſe annos trecentos & decem.*

A nato Chriſto vſque ad eius baptiſmum, anni triginta.

Summa, ab initio Alexandri vſque ad baptiſmum Chriſti, anni 340.

His adde illud tempus à ſecundo anno Longimani vſque ad Alexādrum poſt vltimi Darij mortem: qui ſunt, vt Metaſthenes numerat, anni 145.

Summa, à ſecundo Longimani anno vſque ad baptiſmum Chriſti, 485 anni.

Itaque 69 hebdomadæ annuæ conſtituunt rectè annos 482. Vnde cognoſcis baptizato Chriſto ſexagintanouem hebdomadas annuas completas fuiſſe, & in hebdomada ſequenti docuit Chriſtus, & in eadem dimidiata hebdomada interfectus eſt: nā anno quarto poſt acceptum baptiſmum crucifixus eſt Chriſtus. Porrò ſequenti hac ſeptimana addita ad 69, erūt hebdomadæ 70. atq; hæc ratio eſt temporis præfiniti à Daniele. Nam poſt mortem Chriſti, Iudæi non ſunt amplius populus Dei, & templum eorum poſtea fuit abominatio, id quod clarè teſtatus eſt Daniel.

Præter hæc ſunt in hac prophetia aliæ præclaræ doſtrinæ, & cōſolationes afflicta-

rum mentium, de officio & regno Chriſti, quod prædicaturus venerit remiſsionem peccatorum: ſed hæc omnia explicare hic nō vacat, neque eſt huius inſtituti.

Ego ſanè quanta potui diligentia inquiſiui rationem 70 hebdomadarum Danielis: neque reperio, quod magnopere poßit diſsidere: ſi hiſtoriarū præſcriptum ſequaris. Nā & ſi Metaſthenē nolis imitari, tamen Græcorum ratiocinatio rectiſsimè quadrat. Etenim iuxta numerum Græcorum inter Alexandri obitum, & Auguſti initium, anni ſunt ducenti octoginta, id quod firmiſsimis argumentis probare poſſum. Iam ſi Perſarum annos ſumas, poſt ſecundum Longimani annum apud Græcos, idem quoque reperies.

Poſt Alexandrum vſque ad natum Chriſtum 322.

Poſt natum Chriſtum vſque ad baptiſmum eius 30.

Adde Perſarum numerum à ſecundo anno Longimani 132 apud Græcos.

Summa, 484. Adeò adamuſſim concordant Græcorum hiſtoriæ cum eo tempore quod in Ioſepho & Philone reperitur, vt apertè deprehēdere poſsis, à Daniele tempus

de aduentu Chriſti aptiſsimè præfinitum eſſe. Equidem non dubito teſtaturos mihi eruditos, & prudentes viros, vtranque hanc ſupputationem quam poſuimus, teſtimonijs hiſtoriarum optimè poſſe comprobari. Et niſi longum eſſet, alias quoque plures ſupputationes adducere poſſem, quæ cum his item conſentirent, vt dubium non ſit, Danielem tempus aduẽtus Chriſti rectiſsimè attigiſſe. Quin & conſolationis non paruam vim habet, etiamſi temporis ratio ad ſingula minuta minus quadret, vt certò diſcamus tempus prædictum à Daniele, iam diu præteriſſe. Itaque palã in errore ſunt Iudæi: vtpote qui nullis rationibus probare poſſunt, tẽpus illud nondũ eſſe elapſum, ſiue hebdomadas de diebus, ſiue annis volẽt intelligere. Sed de his ſatis.

Tabula annorum mũdi, quæ indicat tempus præſcriptum à Daniele.

| | | |
|---|---|---|
| | 1656 | vſque ad diluuium. |
| | 293 | ad natum Abraam. |
| | 423 | ad Moſen natum. |
| | 81 | ad egreſsionem ex Ægypto. |
| | 480 | ad extructum templum Salomonis. |
| Al. 133. | 138 | ad regem Ioas. |
| | 291 | ad Ieconiæ tranſlationem in Babyl. |

11 ad deuaſtationem Hieruſalem per Nabuchodonoſor. Al. 21

70 captiuitas Babylonica.

191 Perſarum Monarch. poſt capt. Babyl.

7 Alexander poſt Darium.

146 Græcorum regnum vſque ad Iudam Machabæum.

127 Machabæorum regnum apud Ioſephum.

30 Herodes. In 30 anno Herodis natus eſt Chriſtus.

1532 à nato Chriſto Domino & ſeruatore noſtro.

Ex hac tabula facilè colligitur annorum ratio in Daniele. Apud Græcos verò tempus poſt obitum Alexandri ſic reperio.

114 Olympiade obijt Alexander.

184 Olympiade Auguſti imperium cœpit poſt Iulij mortem.

Anno Auguſti 42, Chriſtus natus eſt. Anno 3 qui eſt mũdi 3922.

Conſtituunt hæc poſt mortuum Alexandrum circiter 320 annos.

Numerus hic non ita multum diſſentit ab alijs ſuprà poſitis, & à peritis facilè poteſt concordari.

## Eſdras.

Eſdras biblicos libros collegit.

INtericcto aliquo tẽpore poſt euulgatum dictum, permiſit Artaxerxes Eſdram ſacerdotem ex aula ſua redire Hieroſolymam. Et meritò huius facienda mentio eſt in hiſtorijs: nam ſacræ ſcripturæ libros diſperſos iam in ordinem redegit, & collegit iterum. Id enim opus dignum fuit officio veri Epiſcopi. Nam ſine ſacris literis ſyncera religio, & verus cultus Dei retineri non poteſt.

Pelopõneſiacũ bellum.

Temporibus huius Artaxerxis Lõgimani ingens bellum Peloponneſiacum, quod inter ſe geſſerunt Græci, exortum eſt: in quo funditus tandem vrbs Athenienſis euerſa eſt. Durauit hoc bellum ferè vſque ad finem Perſicæ Monarchiæ: ideoq; Perſarum reges, qui reliqui adhuc ſunt, breuiter ſuo ordine recenſebo prius.

## Darius Nothus.

Artaxerxes. Mnemon

DArius nothus regnauit poſt Longimanum: neq; verò Longimani filius fuit, ſed eius ſororem coniugem habuit. Duos filios habuit, Artaxerxem, quem Mnemona vocant, & Cyrum natu minorem, Arta-

xerxes in imperio patri ſucceſsit: Cyrus in Ionia potentiſsimus factus eſt. Cyrus.

## Artaxerxes Mnemon.

MOrtuo Dario vſurpare cœpit ſibi regnũ Cyrus: nam præterquam quòd in potẽtiſsimo ducatu dominabatur, iam etiam ad res omnes gerendas habilis erat, & bello in primis delectabatur: ideoq; magna vi armabat ſe cõtra fratrem ſuum. Ad hæc matrem ſibi magis obnoxiam habuit, quàm frater Artaxerxes, qui ingenio modeſto & humano erat. Cæterùm iniquum hoc inſtitutum Cyri nõ fortunauit Deus. nam in pugna qua aduerſus fratrem congreſſus erat, occubuit. In pugna hac declarauit ſe Artaxerxes nõ muliebrẽ eſſe: grauiter tamẽ à Cyro vulneratus eſt, & in alterũ equũ deſiliјt: vt agnoſceret à ſolo Deo victoriam ſibi poſtea contigiſſe. Cyri cum fratre bellum.

## Ochus.

OChus filius Artaxerxis humani ſanguinis ſitientiſsimus fuit: nam præterquam quòd magnam tyrannidem exercuit, etiam proprios fratres interemit. Vrbem Sidoniam condidit, & Ægyptum ad Perſarũ Mo- Ochus. Tyranni exẽplum.

*narchiam iterum adiecit, ſed non diu admodum ſeruauit deditionis fidē. Tandem à ſuorum præfecto quodam interemptus eſt.*

## Arſames.

A*Rſames Ochi filius fuit, hic puer adhuc rex eſt factus à duce exercitus, qui Ochū patrem eius interfecerat. Verùm vbi iam adoleſcere cœpiſſet Arſames, timens ſibi dux exercitus ob perpetratum ſcelus, & hunc Arſamen per inſidias interemit, & poſtea fœdere inito cū Codomano principe Armeniæ, ei regnum tradidit, & Darium apellauit. Cum hoc itaque Arſame totum genus clarißimi herois, & regis Cyri extinctū eſt, & regnum Perſarum tranſlatum à poſteris Cyri ad exterum principem deuenit. Neque verò hoc ſolum dignum commiſerationis eſt, tantam potentiam & honorem, atque adeò tam ſublimia dona Dei intra tam paucos annos deleta fuiſſe, ſed multò magis, quòd poſteri ſtatim degeneres facti nulla planè virtute Cyrum patrem expreſſerint, id quod in Ocho apparet, cuius tyrannica facinora occaſionem præbuerunt, vt totum genus Cyri interiret.*

Cyri genus extinctum.

## Darius vltimus.

*Lienus hic erat à Cyri genere, ſed ab Ocho rege princeps Armeniæ factus fuerat ob inſignem virtutem in rebus bellicis, propter quã & ab illis qui occiderant Arſamen, in regem electus eſt, ne Ochum, cuius beneficio dux fuerat creatus, vlciſceretur. Verùm hac occaſione & ſpe delati regni excæcatus, omnium beneficiorum quæ acceperat ab Ocho, oblitus eſt, & regno accepto* Dariũ *ſe appellari voluit, ne quid regiæ dignitati deeſſet. Sed ingratitudinis & perfidiæ inſignes pœnas dedit: nam poſtquam ab Alexãdro victus eſt, omnibus ſuis regionibus & regno amiſſis, vitam pariter & totam Monarchiam Perſarum perdidit. Sed copioſius hæc tractabimus in principio tertiæ Monarchiæ, & quando de Alexandro dicemus.* — **Darius ultimus.** — **Ingratitudinis exemplum.**

## Bella ciuitatum Græciæ.

*Ntea monuimus Græcos poſt profligatos Perſas, potentiores & inſolentiores eſſe factos: plerũque enim ampliſſimos ſucceſſus ſuperbia & inſolentia ſolent comitari. Itaque tempore huius Monarchiæ ingen-*

tia & diuturna bella inter ſe geſſerũt: quibus funditus tandem tota Græcia confecta perijt, adeò vt poſtea cuiuis etiam irruptioni facilè patuerit. Quinetiam pro honeſtiſsima adminiſtratione qua in republica vtebãtur, & legibus, turpitudo & corruptiſsima morum ratio ſucceſsit. Et quem non multis modis commiſeratione adficeret illarum rerum lectio, quòd tot tantaq; incommoditates, tãq; diuturna & impia bella ex cauſis planè leuiſsimis exorta ſint? Exẽpla ꝑfectò nõ admiratione tantùm ſunt, ſed etiã obſeruatu in primis digna, quæ monere homines poſſunt, ne facilè ob quamuis leuem cauſam, & nõ niſi ſumma neceſsitate cogente bellum ſuſcipiãt: quãdoquidem inter Græcos ex occaſione faacili exortũ bellũ nullo modo aut ratione ſedari potuit, donec tãdem exteri populi irruẽtes in Græciã, vtranque partẽ oppreſſerunt.

Maxima bella ex leuiſsimis cauſis.

Porrò totum hoc bellum deſcribere huius inſtituti non eſt: nam de eo integra volumina à Thucydide & Xenophõte, ac poſtea ab alijs etiam deſcripta extant. Vnũ autem commemorabo præter alia, quem caſum Athenieñſium vrbs in hoc bello paſſa ſit, & quas calamitates tulerit, ſimulatq; in hoſtiũ

poteſtatem venerit. Et rurſus quomodo tandem quorundam bonorum virorum virtutibus,moderatione ac patientia iterum reſtituta ſit. Quemadmodum enim audacia & inſolentia labefecerat vrbis ſtatum,ita patiētia,& māſuetudo morū rurſus reparauit eā.

Initium belli alienam planè cauſam habuit quam vitare facile potuiſſent Atheniēſes: cum Corinthij Corcyræ hoſtes eſſent. ea opem petijt ab Athenienſibus,& impetrauit eò facilius,quia Athenienſes,qui iam potentes in mari erant, ſperabant confœderatione Corcyrenſium,quorum item magna in mari potentia erat , dominos ſe fore totius Græciæ: Contrà apud Lacedæmonios dum ſubſidium quærerent Corinthij,atque hoc modo diuulſa Græcia eſſet, Lacedæmonij Perſis ſe adiungunt,à quibus pecunia iuuantur & commeatu,ſed perfidia interim vtuntur Perſæ,ne nimium Lacedæmonij potentia augerentur. Et durauit hoc bellum,vt Xenophon teſtatur,octo & viginti annos, à Longimani temporibus vſq; ad Artaxerxem Mnemona,& multæ vrbes in hoc bello miſerè perierunt. Miram autem omnino viciſsitudinē fortunæ in huius belli exemplis eſt videre.

Pelopōneſiacū bellum.

Nam Alcibiade duce Athenienſium, grauiſsimè cæſi ſunt Lacedæmonij, anno quarto ſupra vigeſimum, & item vigeſimoquinto, adeò vt nulla reliqua ſpes eſſet ad priſtinum aliquando robur redeundi. Verùm ſequenti ſtatim anno mutata huius fortunæ alea eſt. Alcibiade enim ex inuidia improborum pulſo ex vrbe, cæſi ſunt Atheniẽſes à Lyſandro, iuxta vrbem AEgospotami, vbi initio huius belli mirabile omnino monſtrum acciderat. Viſus enim erat ingens ignis in aere, ſpatio dierum ſeptuagintaquinque. Poſtea grande ſaxum ſupernè in vrbem delapſum eſt. Poſt hanc pugnam graui obſidione vrbs Athenienſium cincta eſt. Plurimi fame confecti perierunt. Pertinaces tamen in ſua ſententia ad deditionem inuitati, hac lege, vt turres & munimenta vrbis euerterent, pacis conditiones recuſarunt: publico etiam decreto facto, vt ſi quis ſuaderet ineundum concordiæ fœdus cum hoſtibus, is occideretur: quemadmodum nuper ante annos duos apud Florentinos contigit. Porrò exactis quinq; menſibus, fame coacti Athenienſes, legatos in hoſtium caſtra miſerunt pro pacis conditio-

Lyſander

Portentũ.

ne impetranda. De qua cùm deliberatum eſſet in concilio fœderatorum, conſtanter ſuaſerunt Corinthij & Thebani, vt funditus Athenienſium ciuitas dirueretur, & de omni ditione eorum publica paſcua fierent. Id verò improbarunt Lacedæmonij, inhoneſtum eſſe rati, omnem illorum beneficiorum memoriam ſemel abijcere, quibus iuuiſſet hæc ciuitas totam Græciã aduerſus Medos & Perſas. Præterea quoq; non poſſe huius vrbis tam præclarum ſtatum euerti ſine incredibili pernicie Græcorum omnium. Nam Græciam duobus oculis videre aiebant, quorum alter Sparta, alter verò Athenæ eſſent. Proinde cauendum eſſe, ne Græcia monocula redderetur. Itaque decretum tandem eſt, vt ſeruatis Athenis, mœnia & turres modo diruerẽtur, & certa adminiſtratio Athenienſibus præſcriberetur, iuxta quam viuerent, pace vtrinque ſeruata. Dediderunt ſe his legibus Athenienſes vltro, & deiecti muri ſunt magno triumpho. nam ad fiſtulæ cantum choreæ etiam ducebantur. Nauium quas habuerunt pars exuſta, pars quoque abducta eſt. Acciderunt hæc ſub finem anni vigeſimi ſeptimi, quo luctuoſum hoc bellũ durauerat.

Græciæ duo oculi, Sparta & Athenæ.

Anno mū di 3562.

Interea tamen nihilominus timebant ſibi Lacedæmonij ab vno Alcibiade,qui ad Perſas confugerat, poſt eiectionem ſuam ex vrbe.Petierunt itaq; Lacedæmonij à Perſis, vt Alcibiadem occiderēt.id quod fecerũt Perſæ per inſidias:quanquam receperant Alcibiadem hoſpitij iure,& qui in fide Perſarũ collocauerat omnem ſpem ſuam. Verùm ita comparatum vulgò inter homines eſt,vt quò ſe fortuna, eodem & hominum fauor ſoleat inclinare.Cauere enim ſibi omnino debet is à perfidia etiam amicorum,cui res minus ſecundæ ſunt,& cuius iam ob æmulationẽ virtutis tædere cœpit homines. Alcibiades hic virtutibus bellicis inſtructiſsimus erat, ſed animo irrequieto,& qui pacis initæ ante multos annos inter Lacedæmonios & Athenienſes rumpendæ auctor fuerat, eratq; in tota Græcia tot & tã varijs technis vſus,vt vulgò etiam ferretur: Si duos in Græcia Alcibiades naſci contigiſſet, totam funditus neceſſario collapſuram fuiſſe. Cæterùm huiuſmodi conatus fortunari non poſſunt : ideoq; & hunc demũ exitum vitæ ſortitus eſt Alcibiades. At vero cùm iam bella ciuitatum finem haberent,clades ipſa iam primum cœpit apud

Alcibiades occiditur.

Alcibiades bellica arte clarus,ſed irrequietus.

pit apud

*pit apud Athenienſes. Nam cùm Athenienſium vrbs ſeditioſis viris plena eſſet, cõſtituti ſunt à Lacedæmonijs viri trigĩta, quos Tyrannos appellabant: quibus cõmiſſa poteſtas eſt, vt ſine iure & iudicio de ſeditioſis nebulonibus ſupplicium ſumerẽt: & ne quis per tumultum opponere ſe poſſet huic poteſtati, magnum præſidium militum in arce collocatum eſt.*

*Triginta tyranni Athenis.*

## Reſtitutio Athenarum poſt euerſionem.

*SEueritate hac vſi ſunt Lacedæmonij ad coercendos motus publicos, idq́; vt facerent ſumma eos neceſsitas cogebat. Triginta illi viri in neminem primũ, niſi in ſeditioſos, ſua poteſtate vſi ſunt: poſtea tamen quidã inter eos exulcerati veteri odio potentiſsimos vrbis quoſq́; moderatos & bonos viros interfecerunt, quemadmodum & noſtris temporibus ſimilia nos exempla cognouimus. At cùm diſpliceret hæc tyrãnis vni etiam ex eorum numero, Therameni nomine, viro ſtrenuo & æquo, eum quoque vt reliquis terroris exemplum incuteretur occidũt: quinetiam interfectorum bona ablata, inter ſe diſtri-*

*Theramenes occiſus.*

buebant. Fugerunt ex vrbe ciues optimi quique Thebas & Argos: vbi ex commiſeratione tam indignæ calamitatis recepti ſunt, etiam contra mandatum Lacedæmoniorum, quo cautum erat, ne quis exules & profugos Athenienſes hoſpitio exciperet. Erat inter exules hos vir ſtrenuus olim in Repub. Thraſybulus: is adiunctis ſibi reliquis profugis ex patria, & clanculario ſubſidio Thebanorum, caſtellum prope Athenas occupat: & poſtea Athenas profectus prælio commiſſo vincit XXX tyrãnos, & vrbem recipit. Reſtituti ab hoc Thraſybulo ciues profugi ſunt: & quod ad politicam adminiſtrationem, iudicia, & leges attinet, renouatus eſt totius Reipub. ſtatus pro more veteri. Magnam in primis laudem meruit Thraſybulus ob animi moderationem, quòd poſt tam inſignem victoriam multis etiam ex hoſtibus parcere maluerit, quàm ꝑ ſummo iure eos trucidare. Et cùm conſyderaſſet nullum exercendæ cædis finem vnquam fore, ſi erepta ſingulorum ciuium bona ſuis veris hæredibus redderẽtur, nimirum quæ iam ad tertium vel quartum poſſeſſorem deuenerãt, hoc omnes inter ſe fœdere adſtrinxit, ne quis

Thraſybulus.

ἀμνησία ſancita.

poſtea vllius vindictæ, vel iniuriæ illatæ recordari vellet: ſua cuique tenēda, & pace publica ſeruata, ſua quenque ſorte contentum eſſe debere. Ea demum moderatione tranquillitas Reipub. reparata eſt. Eſtq; inſigne hoc exemplum, beneuolentia & ignoſcendo ſtabiliorem cōcordiam in huiuſmodi perturbatione ciuili fieri, quàm manifeſta vi & ꝑ ſummo iure agendo omnia.

Poſtea hoc ſucceſſu rerum & Lacedæmonij elatiores facti ſunt: nam Perſas quoque à quibus adiuti antea erāt, ex Aſia pellere volebant. Verùm Perſæ ducem ſui exercitus tum conſtituerunt Cononem, qui ab Athenienſibus in tumultu ciuico profugerat. ab hoc cæſi ſunt Lacedæmonij. Indignè ferentes Lacedæmonij ſuum caſum, omnem culpam in Thebanos transferebant, ꝙ exules Athenienſes hoſpitio excepiſſent: ideoq; in regiones eorum irruerunt, vnde noui belli occaſio nata eſt, in quo victi Lacedæmonij planè perierunt, & Thebanorum potentia aucta eſt.

Conō dux Perſarum creatus.

Finito hoc bello, cœperūt Thebani aliud bellum aduerſus Phocenſes, quos prorſus debellarūt, & ſuperſtites relictos in exiliū ire

Philippus Thebanos fudit.

coegerunt. Tādem Philippus Macedoniæ rex fudit & domuit Thebanos. Atq; ita primū Athenæ, deinde Sparta, poſtea Thebæ deletæ ſunt, illáque omnis potentia Græcorū labefactata eſt. Porrò verò cum initas pacis conditiones cum Philippo rege nō ſeruarent Athenienſes & Thebani, coactus Philippus eſt ad occupandam totam Græciam, inuadere. Hæc breuiter de luctuoſis bellis Græciæ dixiſſe ſatis ſit, quæ geſta ſunt poſt Xerxem annos centū & triginta, intra quos ferè, parum temporis paci datum eſt. Fuſiſſimè deſcripta hæc bella ſunt à Thucydide & Xenophonte, & alijs pleriſque. Nos itaque ſatis eſſe putauimus, ſi Athenienſium exemplum quod vel præcipuum in ea hiſtoria eſt, cognoſcendum proponeremus.

## Philoſophi.

Hippocrates.

INter ea tempora dum hæc geſta ſunt, bonæ artes etiam floruerunt. Hippocrates medicus vixit à Longimani temporibus vſque ac Ochum quatuor & centum annos. Et præterquam quod magnifecit eum tota Græcia, ſummo quoque in pretio habitus eſt Macedoniæ regibus, apud quos bonā etiam

ſuæ ætatis partem conſumpſit. Soranus ſcribit ad regem Perdicam accerſitum Hippocratem, quòd phthiſi laborare regem multi opinarẽtur, & ope aliorum medicorum iam deſtitutus eſſet. Cæterùm vbi veniſſet Hippocrates, animaduertit Perdicam non debilitate viriũ corporis, ſed amore & intrinſeco animi dolore contabeſcere. Nam ancillam patris ſui miſerè deperibat, & quoties videbat eam, & mens & color pariter mutabãtur in rege. Deprehendit hoc modo Hippocrates cauſam morbi, eiusq; pellendi remedium dedit. Ad hæc tempore quo peſtis graſſabatur, ingentem ſyluam exuri iuſſit contra aerem infectum, vnde peſtis contagio ſerpebat, & ſeruauit hoc pacto à peſte totã Theſſaliam incolumẽ. Quin & miraculis naturalibus clarus fuit. Supra ſepulcrũ eius multo tempore apes fuerunt, quorum melle curabantur pueri ægroti, ſi eo fuiſſent inuncti.

Soranus.

Perdicas curatus ab Hippocrate.

Sub Artaxerxis Mnemonis tempora Socrates fuit, qui ex inuidia aduerſariorũ in carcere necatus eſt. Inſimulabatur, ꝙ noui dogmatis in vrbe auctor eſſet. Sed ita ꝓſpiciente Deo, nõ multò poſt dignas pœnas aduerſarij dederũt. nam & illi vlciſſim occiſi ſunt.

Circa annũ mũdi 3530.

Eudoxus. Plato. Ariſtoteles

Poſt hos fuit Plato, item Eudoxus Aſtrologiæ peritiſſimus, qui & hanc artem ex AEgypto in Græciam attulit. Poſt hunc Ariſtoteles fuit. Hoſce ego primas inter Philoſophos tenere arbitror, & ex his etiã mea quidem ſententia, præcipui ſunt Eudoxus & Ariſtoteles, nimirum qui nõ verborum aut orationis inani ſplendore, ſed rerum ipſarum ſtudioſi extiterunt. Etenim in huiuſmodi doctrinæ genere tractando verſati ſunt, quod vtiliſſimum in primis eſt, partim ad rerum naturalium vires cognoſcendas, partim etiã ad diſcendum, qua ratione honeſtè viuere oporteat. Eſt autem iucundiſſimum omnino, perſpicere quomodo in noſtra ipſorũ natura omnis generis virtutes propoſuerit nobis Deus. Natus erat Ariſtoteles non ex infimæ conditionis hominibus. Patrem habuit Nicomachũ, virum magnæ admodum

Nicomachus.

auctoritatis apud Amyntam Macedoniæ regem. nam medicus eius fuit. Originem habuit ex Hippocratis genere: atque ea de cauſa poſtea Ariſtoteles apud regem Philippum Amyntæ filium ea fuit in admiratione, vt filium ſuum Alexandrum in eius diſciplinam tradiderit erudiendum, qui inſti-

tutus eſt ab Ariſtotele ad Philoſophiæ ſtudia, vt ad dicendum & conſultandum prudentior efficeretur. Hactenus ſatis de Græcorum rebus, quæ ſub huius Monarchiæ temporibus acciderunt.

## Roma.

EXpulſis ex vrbe regibus, mutatus reipublicæ ſtatus eſt. Imperium penes ſenatum eſſe cœpit, & quotannis conſules duo ſimul deſignabantur, quorum auctoritas in eo magiſtratu annua tantùm erat. Conſules Romani.

Mutatio hæc reipublicæ contigit temporibus Cyri primi Monarchæ Perſarum, anno poſt creatum mundum ter milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo, & poſt deuictam à Cyro Babylonem, anno ſeptimo. Al. 3456.

At verò præter magna & innumera negocia alia quæ acciderunt Romæ, etiã horrendæ ſeditiones & mutationes in republica factæ ſunt, in quibus exẽpla proponuntur, ꝙ magnæ vrbes atque reſpublicæ ſine magnis motibus raro conſtent. Cæterùm ea forma, vt ſumma poteſtas penes duos conſules eſſet, durauit ad Iulij vſque tempora, qui Monarchiam ſibi vſurpauit. Interuenerunt autem

inter initiũ cœpti conſulatus, & Iulij domi-
Al. 46. nium, anni quadringẽti ſexaginta quinq;.

Lõgum omnino eſt hiſtorias Romanorum hic referre. Tantum indicare volo duorum inſignium euentuum tempus, qui Romæ huius monarchiæ temporibus contigerunt.

Leges Romanæ

Anno trecenteſimo ſecundo poſt conditam vrbem Romanam, hoc eſt, non diu poſt bellum Xerxis, ſub ipſum initium regni Lõgimani, controuerſiæ & diſsidia exorta ſunt apud Romanos. Nam cum certo quodã iure, & legibus nondum vterentur Romani, præter meritum ſæpe opprimebantur homines in iudicio, & extra iudicium: quid enim iuris eſſet, nemo ferè intelligebat certo. Et cũ hoc nomine tumultuaretur multitudo, ſtatutum eſt, vt certum quoddam ius conſcriberetur. Mirum eſt quantum momenti habeãt leges ſcriptæ ad publicam pacem & concordiam ſeruandã in rebuſpublicis, id quod clarè teſtatur hoc exemplũ. Delecti ad hoc Decemuiri ſunt, qui miſsi in Græciã, mores & iura maximarum vrbium perquirentes deſcriberent. Ac vſi ſunt ad colligendas meliores leges Hermodori Epheſini, & aliorum philoſophorum cõſilio. Conſcriptæ duodecim

Decemuiri in Græciã miſsi.

12. Tabulæ.

tabulæ ſunt, quæ pro curia Romæ publicè ſuſpenſæ habebantur. Hæc origo eſt ſcripti iuris Romanorum, quod à Græcis primũ mutuati ſunt.

Dominati ſunt Decemuiri annis tribus: nã neceſſe erat, vt quotidie leges declararentur. Cæterùm inter Decemuiros abuſus ſua poteſtate Appius eſt, qui Virginij ciuis filiã ap- Appius.
pellari iuſſit, tanquam alterius mancipiũ, vt hoc prætextu iuris eã ad ſe pelliceret, & ſtupraret: quod vbi animaduertiſſet pater, vidiſſetq; ob potentiã Appij filiã liberari nõ poſſe, occidit eã ipſe in iudicio, ne tanto ꝓbro domus eius contaminaretur. Poſtea collectis militaribus copijs ſubſidiũ parauit aduerſus Appium tyrannũ. Tum depoſitis ſuo officio Decẽuiris, nouus magiſtratus conſtitutus eſt. Decẽuiri depoſiti.
Appius captus, & in carcerẽ coniectus ſeipſum interemit. Teſtatur hoc exemplũ tyrannidẽ & iniuſtitiam inultam nõ manere.

Anno à condita vrbe trecẽteſimo ſexa- Roma à Gallis & Germanis capta.
geſimo, irrupit in Italiam exercitus ex Gallis & Germanis collectus, à quo exuſta Roma eſt. Camillus autem, quem antea ex vrbe eiecerat populus, boni viri officio functus eſt: Camillus.
nam omni prorſus diſſimulata iniuria, quã

præter meritum paſſus erat, collectis ex ipſa vicinia copijs inopinatò oppreßit Gallos & Germanos in vrbe, ſeruata ab obſidione arce, & ciuibus omnibus qui reliqui erant. Cladem hanc paſſa eſt vrbs temporibus Artaxerxis Mnemonis, & ſub idem ferè tempus à Lacedæmonijs Athenæ captæ & deuaſtatæ ſunt.

Germanorũ prima mentio in hiſtoriis.

In hac hiſtoria primum omnium mentio fit Germanorum: & fuit hoc non omnino quadringentis integris annis ante natũ Chriſtum. Porrò ab his Germanis Mediolanũ, & aliæ pleræq; vrbes tum in Italia cõditæ ſunt.

## TERTIA MONARCHIA.

Anno poſt creatũ mũdum 3634 cũ Perſarum regnum duraſſet annis centum vno & nonaginta, hoc eſt, annis trecentis & viginti ante natum Chriſtum, cœpit tertia monarchia, quam Græcorum Monarchiam apellamus: eſtq; nunc dominiũ orbis ex oriẽtalibus oris in Occidentem, & ex Aſia in Europam tranſlatum. Et cœpit ab eo tempore deficere Aſia ſenſim magis ac magis, non

Græcorũ monarchia

in his ſolùm quæ ad imperij potētiam pertinent, ſed etiā quod ad modeſtiā morū, virtutes, gubernationē Reipub, & omnes bonas dotes attinet. Et quanquā per Romanos hæc quodammodo correcta & reſtituta ſunt, tādem tamen Barbari ipſi irruerunt in Aſiā, & depopulati ſunt eam, adeò vt hæc pars orbis, quæ amœnitate ſitus, ſapientia & probitate hominum, ac potentia imperiorū præſtantiſsima fuerat, tunc propemodum tota in turpitudinis ſentinam & latrocinij ſpeluncam verſa ſit. Et rurſus ſumma illa dona Dei in occidente modò ſunt, cùm mundus ad conſummationem ſui paulatim declinat.

Initium hæc monarchia habet ab Alexādro Macedonum rege, quem meritò nos Magnum appellamus. Nam non modò imperij potētia, ſed omnibus alijs heroicis virtutibus ita claruit, vt pauciſsimos admodum in orbe ſecūdos ei fuiſſe principes dixeris. Cōmendatur à prophetis Hieremia & Daniele, vt qui acerrimus & feliciſsimus imperator fuerit. Daniel hircum depingit à quo victus aries proſternitur, & ipſe exponit clarè, hircū Græcorum regē eſſe, Perſarū arietem. Porrò virtutes & præclaræ victoriæ, quibus exorna-

Alexāder Magnus, anno mūdi 3628.

Hircus, Alexand. Aries, Darius.

tus à Deo fuit Alexander, occaſionẽ præbuerunt quibuſdam, multas & valde ineptas fabulas de eius generatione confingendi, ſed illas ego prætermitto. Cæterùm certum hoc eſt, magnas & felices principes à Deo regi & ſeruari, & eos à Deo tantùm virtutibus illis & donis exornari. Vult etiam Deus conſeruari imperiorum maieſtatem apud eos, qui maiorum ſplendore & generis claritate nobiles ſunt. Atque ita natum conſtat Alexãdrum Macedoniæ regem. Patrem Philippũ, & matrem Olympiadem habuit. Et ea nocte qua conceptus eſt Alexander, ferunt viſum eſſe per quietem Philippo, reginæ Olympiadis vtero ſigillũ impreſſum, cui leonis effigies inſculpta erat. Significari autem hoc ſomnio interpretabantur, Olympiadem reginam grauidam è Philippo potentiſsimum regem parituram eſſe. Porrò fuerũt vterq; & Olympias ex ſummo & nobiliſsimo illius temporis in tota Græcia genere nati. Philippus enim, ſi vetuſtiſsimis hiſtoriarum monumentis credendum eſt, ex Hercule ortum ducit, Olympias verò ab Achille. Hi maiores ſunt, ex quorum illuſtriſsimo ſtemmate clariſſimus heros Alexander natus eſt.

Alexand. maiores.

*Paternum genus Alexandri.*

*Hercules*
*Hyllus*
*Cleodæus*
*Ariſtomachus*
*Temenus*
*Perdicas*
*Argæus*
*Philippus*
*AEropus* al. Europus.
*Alcetas*
*Amyntas*
*Alexander*
*Amyntas*
*Philippus*
*Alexander magnus.*

*Et natus eſt Alexander magnus circiter annos 800 poſt Troianorum bellum.*

*Primus hic Macedoniæ rex fuit, cuius originem Herodotus deſcri*

*Genus Olympiadis matris Alexandri.*

*Achilles*
*Pyrrhus*
*Moloſſus rex Epiri, & Pielus, vterque ex Andromache natus.*
*Ex Pielo ducuntur à Pauſania in Atticis reliqui ſequentes reges Epiri.*
*Tarymbas*
*Alcetas*
*Neoptolemus & Arymbas.*

Olympias Neoptolemi filia mater Alexandri.

Hæc Alexandri genealogia eſt ex certiſsimis hiſtorijs collecta, quæ teſtatur originem Alexandri ex ſummorum hominum poſteritate extitiſſe.

Philippus occiſus ob flagitium impunitũ.

Interfecto autem Philippo, propterea ꝙ flagitioſum facinus potentis cuiuſdam viri, qui ingenuum puerum quendam turpiter vitiauerat, inultum permiſerit, ſtatim & Illyrij & Græci à Macedonibus defecerant, verſabatúrque in ſumma neceſsitate regnũ Macedonicum. Nam occiſo patre Philippo, natus erat Alexander annos tantùm viginti. Erat hoc initio numeri Græcorum, Olympiadis centeſimæ & vndecimæ. Cæterùm Alexander ſuſcepta adminiſtratione imperij primum ſubegit iterum Illyrios, deinde Thebas profectus eſt. Nã Thebani præſidium militum, quod in arce eorum collocauerat Philippus, obſidebant, inito etiam fœdere cum Perſis, qui regnum Macedonicum inuadebant. Interea temporis dum obſidet Thebas Alexander, legatos ad eum mittunt Athenienſes pacis impetrandæ cauſa. Benignè recepit hos Alexander. Pertinaces

Alexãdri magni res geſtæ.

interim Thebani neque veniam precabantur, neque pacis conditiones poſcebant. Et cũ ante oppugnationem proclamatum eſſet ex iuſſu Alexandri, quicunque ſeſe vltro dedere vellent ex Thebanis, & vrbe iam exire, eorum vitam ſaluam fore: contrà proclamare iuſſerunt Thebani, quòd qui Græcorũ libertatem cum ipſis & Perſarum rege ſeruatam vellent, contra tyrannum Alexandrum, hi ad ipſos concederent. Exacerbato hac contumelia animo Alexandri, oppugnatur vrbs, & tota diripitur, ac poſtea reſtituta non eſt. Prima hæc magna vrbs eſt, quam domuit Alexander. Plerunque enim contingere videmus à Deo potentes Monarchas in perniciem maximarum vrbium. Direptæ Thebæ nec poſtea reſtitutæ.

Porrò vbi pacem iam in Græcia feciſſet Alexander, profectus in Aſiam eſt, cũ exercitu peditum quadraginta milium, equitum verò tantùm miliũ quatuor: vbi exiguæ copiæ reliquæ erant, miſſæ iam antea à patre eius. Parua hac manu Perſas aggreditur, & maximas pugnas committit, multáſque potẽtes vrbes vi occupat, inter quas Sardis, Miletus, & Tyrus erãt, in quarũ expugnatione maxima ſæpe pericula ſuſtinuit Alexander. Alexand. expeditio in Aſiam. Sardis. Miletus. Tyrus.

Victum etiam in pugna Darium regē in fugam conuertit. & matrem, coniugem reginam, filias & natum captos humaniter, atque vt dignum erat regium genus, tractauit. Reginam natu grandiorem, matrem appellabat: puerum oſculabatur, non aliter ac ſuum filium. Mirum ſanè quantam ob has virtutes laudē meruit Alexander in tota Aſia, & apud Darium ipſum, adeò vt vltro ſe offerret ad ineūdas pacis conditiones, paratum dicens ſe etiam mediam regni ſui partem tradere. Ad hæc reſponſum ab Alexādro eſt: Orbem hunc duobus ſolibus regi non poſſe. Verùm ſi ſponte ſe & regnum ſuum dedere vellet, benignè recepturum ſe eum in gratiam. Sed iterū inſtructo exercitu victus eſt Darius, & inter fugiendum cōfoſſus eſt à proprio ſuo miniſtro & duce Beſſo. Superueniēs Alexāder grauiter admodum vulneratum & penè exanimem reperit Darium, eiúſque miſertus eſt, & promiſit ei non fore impunitam iſtam tam inſignem perſidiam Beſſi in proprium dominum. Quare captum poſtea Beſſum inter duas arbores è ſublimi detractas ligari iuſſit, quibus magno impetu iterū in altum tendentibus grauiſſimo cruciatu dilaceratus

Alexand. humanitas.

Darius uictus.

Beſsi perfidia.

laceratus eſt. Hac ratione in Aſia Monarcha factus eſt Alexander, & porrò reliquas regiones & vrbes occupauit, Babylonem, Suſam, &c. Initium autem huius monarchiæ Alexandri fuit poſt obitum vltimi huius Darij, hoc eſt, initio ſeptimi anni, poſtquam regnare cœpiſſet Alexander.

Initiũ monarchiæ Alexãdri

Poſt hanc victoriam inſolentior factus Alexander, luxu potandi cœpit diffluere. Aliquot ex principibus & conſiliarijs ſuis necari iuſsit, ex quorum numero fuit præſtãtiſsimus & ſapientiſsimus dux, ætate iam confectus, Parmenion. Ad hæc, ira commotus præclarum ducem ſuum Clytum in cõuiuio interfecit, propterea quòd Philippum patrem prætuliſſet Alexandro filio. Verũ mutatis moribus fortuna quoque mutata eſt, quanquam interim animo adhuc irrequieto, Indis etiam & Scythis bellum intulit: verùm non multo tempore vixit poſtea. Obijt enim anno trigeſimo ſecundo, & menſe vndecimo ſuæ ætatis. Imperauit poſt defunctũ patrem Philippum, non amplius annis duodecim & ſeptem menſibus, & intra tam parui temporis ſpacium tanta tamq; innumera bella confecit, adeò vt tanta multitudo hominum,

Parmeniõ Clytus.

etiam in ſumma omnium rerum tanquillitate tot regiones & regna potuiſſet vix peragrare. Regnauit apud Babylonios poſt Darium quinque tantùm annos, & menſes vndecim. Docent tales hiſtoriæ agi magnos reges & principes cœleſti quodam numine.

Alexander multis & præclaris heroicis virtutibus præditus erat, quarum exempla proponere hîc non vacat ob compendij ſtudiū, quo vtimur in his Chronicis. Vnū ſaltem recenſeo ex omnibus. Quoties in iudicio actor aliquis cauſam dicebat abſente reo, alteram tantùm aurem præbere dicenti, & alteram manu occludere ſe dicebat Alexander: vt ſignificaret, alteram ſe ad reum audiendum conſeruare ſaluam, & vtranque partem ex æquo audiendā eſſe: id quod pertinet ad officium boni principis & veri iudicis. Dedit hic magnis principibus inſigne exemplum Alexander. nam alteram tantùm, ſed vtrãque partem admittendam eſſe ad dicendam cauſam: quemadmodum & apud Athenienſes id iurarè ſolebant deſignati iudices, iuxta ius ſcriptum ſe pronunciaturos, & partis vtriuſque cauſam audituros ex æquo.

Alexand. inſigne exemplū boni principis.

Athenienſiū iudices quid iurauerit.

## Moderatio & pietas qua vſus eſt Alexander erga Iudæos.

*EXtructa iam Hieroſolyma iterum, ſumma in pace vixerant Iudæi ſub pijs illis Perſarum regibus. Porrò obſidente Alexādro Tyrum urbem, opem petijt à Iudæis, à quibus reſponſum eſt, nulla ſe hoc ratione honeſta facere poſſe, vtpote qui Perſis ſubditi eſſent, quíque plurima, & ea minime vulgaria ab ipſis beneficia accepiſſent. Audita hac excuſatione iratus eſt Alexander, & victa tandem Tyro profectus eſt cum exercitu contra Hieroſolymitanos. Cæterū Iaddus ſummus ſacerdos, ſumpto ſacerdotali ornatu, & ætate graues viri alij egreßi ſunt vrbe obuiā Alexandro, pacis petendæ cauſa. Viſo ſacerdote in eo ornatu protinus deſilijt ex equo Alexander, & in genua ante ſacerdotem procūbens, vltro pacem addixit. Mirati principes omnes ſunt tanta humilitate vti Alexandrum erga ſacerdotē peregrinæ gentis, ideoq; quia indignationem animi tam paulo momento remiſiſſet. Parmenio qui ob ætatem & prudētiā regi intimus erat, quæſiuit ex eo qua motus reuerentia ſupplicem*

Alexādri profectio contra Iudæos.

Iaddus ſummus ſacerdos.

Alexand. reuerentia erga ſacerdotem Iudæorum

*adeò ſe præbuiſſet ſacerdoti. Ad quæ reſpõdit, in Macedonia vidiſſe ſe in ſomnis imaginem ad illius ſacerdotis ſimilitudinem ob oculos verſari, monuiſſeq; vt in Aſiam ꝓficiſceretur: & opem ꝓmiſiſſe, atq; illi eidem Deo, qui tum apparuerat, honorem hunc à ſe eſſe exhibitum. Tum verò in vrbem pacifice profectus eſt Alexander, audiens etiã reuerenter ſacerdotes de religionis doctrina diſſerentes, qui & Danielis prophetiã docuerunt eum, quòd Græcorum rex in Aſia, & apud Perſas dominaturus eſſet. Vnde non parum confirmatus eſt Alexander. & magna libertate donata Iudæis, templum etiam ingẽtibus & præclaris donis locupletauit. Reuerſus Babylonem eſt, iuxta vaticinium Hieremiæ. Seruauit hac ratione infirmam eccleſiã ſuam* Deus *illis temporibus, quibus ob tam inſignem mutationem imperiorum orbis, in omnibus ferè regionibus bella fuerunt.*

## Diuiſio regnorũ poſt Alexãdrũ.

*Roxane uxor Alexand.*

R*Oxanen filiam principis cuiuſdã in Perſia duxerat in matrimoniũ Alexãder, quæ grauida erat cum moreretur rex. Mortuo Alexandro, cùm hæres regni verus alius*

non eſſet, quàm regia proles, conſilium inter ſe agitabant principes, de regno rectè adminiſtrando. Principio viſum eſt, certos gubernatores deſignare, donec regina peperiſſet: quòd ſi maſculus naſceretur, illius ex hæreditaria ſucceßione regnum fore. Contra verò à quibuſdam, inter quos Perdicas fuit, frater Alexãdri Arideus, homo formidoloſus, & dubiæ ſanitatis, in regis locum ſuffectus eſt, & in hanc ſententiam maxima pars cõſenſit. Cæterùm nihilominus coacti ſunt principes conſtituere, à quibus regnum adminiſtraretur: ſed inter gubernatores primus Perdicas erat, idq́; ſub nomine fratris Alexandri, quo prætextu hoc interim moliebatur, vt totum regnũ paulatim occuparet, idq́; technis primum honeſtis, deinde aperta etiam vi cœpit tentare.

Contentio principũ poſt mortẽ Alexãdri

Perdicas Aridicus frater Alexand. Perdicæ dolus.

Ambiebat enim ſororem Alexandri Cleopatram, ſperabatq́; hac via regnum ſe facilè poſſe obtinere. Cæterùm Antipater, qui in Macedonia imperabat, olfaciens hũc dolum Perdicæ, nuptias illas impediuit: quare operam vicißim ſedulò dabat Perdicas, vt captus Antipater in carcerem mitteretur. Hæc ferè ſummatim occaſio fuit belli, quod

Cleopatra

Antipater

inter principes Alexandri exortum eſt. Perdicas enim ſuas habuit factiones: contra hunc viciſsim conſpirauerunt Antipater, Antigonus & Ptolemæus. Ptolemæũ autem primũ inuaſit in AEgypto Perdicas, vbi à proprijs militibus ſtatim interfectus eſt. Digna hæc pœna fuit, quam primus ſeditionis auctor inter principes Alexandri meruerat. Atqui verò finis huius tragœdiæ fieri non potuit, neq; pacis ſpes vlla erat, niſi quoque cõplices Perdicæ antea eſſent oppreſsi: imò etiam ſperari non potuit, vnquam conſtantem concordiam fore in mundo, cum mortuo Alexandro veluti capitis expers eſſet mundus. Neque enim in tanta perturbatione omnium rerum aliud apparebat, q̃ omni prorſus ciuilitate & adminiſtratione ſubuerſa, perpetuã latrocinij exercendi licentiã fore inter homines.

Antigonus. Ptolemæus.

Vſque adeò legitima imperia in orbe cõſtare non poſſunt, niſi à Deo inſtituantur, & cõſeruentur. Viſum autẽ Deo erat, ex Alexandri regno quatuor potentes principes exoriri. Sic enim fore prædictum erat à Daniele, nimirum, vt hirci illius qui Alexandrum ſignificabat, vnico cornu pereunte, quatuor alia cornua enaſcerẽtur: id quod exponit an-

Ex Alexãdri regno 4 regna exorta.

gelus de quatuor regnis poſt Alexādrum inſtitutis. Verum dignū inprimis admiratione hoc eſt, voluiſſe Deum hæc regna illis principibus contingere, qui ſanguinis gradu Philippo & Alexandro coniuncti erant. Interim Perdicas, qui alienus erat à regio genere, priuatur hoc honore. Ita enim ferè comparatum eſt, vt is qui citra legitimā vocationem ambit functiones publicas, & ingerit ſe ſua ſpōte rebus magnis gerēdis, reijciatur à Deo, velut Abſaloni & pleriſque alijs videmus cōtigiſſe. Porrò diuiſa hæc regna ſunt inter eos principes, qui antea paßim in regno ab Alexandro præfecti erant conſtituti.

Vocatio legitima ſectanda

Seleucus Syriæ rex factus eſt.

Ptolemæus AEgypti rex creatur.

Antigono Aſiæ regnum contigit.

Caſſander Macedoniæ & Græciæ imperauit. Crudelia bella inter hos reges geſta ſunt propter Monarchiā, quam quiſque ambiebat. In Macedonia autē longe calamitoſißima clades commiſſa eſt. Caſſander honeſtißimam reginam matrem Alexandri necari iußit, quæ admirandam planè pudicitiæ ſignificationem, & conſtantiam oſtendit inter moriendum. Nam vultu intrepido,

Caſſādri tyrānis.

prӕter morem mulierum, vltro obuiam progrediens, carnifici caput prӕbuit amputandum, & cùm prolaberetur humi, manu veſtes obſeruauit, ne qua parte corporis detegeretur inhoneſtius. Roxanem verò capi, & ſeruari iuſsit Caſſander. Ac perfidiam hãc probè vltus eſt Deus, quando poſt mortem Caſſandri duo eius filij Antipater & Alexander, mutuis ſe bellis vexarunt, propter regnum Macedoniӕ. Alter eorum Antipater, Lyſimachum, qui iuxta Helleſpõtum regnabat, ad ſe pertraxit, cuius filiam quoque in vxorem duxit. Alter verò frater Alexander, opẽ à Demetrio impetrauit, qui Antigoni filius erat. Vterque autem à ſuo complice, à quo ſubſidium ſperabat, interfectus eſt Antipater à Lyſimacho ſocero, Alexander verò à Demetrio. Tandem regnũ Macedoniӕ Demetrio Antigoni filio ceßit. Nã honeſtus pariter & fortunatus in rebus gerendis princeps fuit. Ab hoc Demetrio ortũ habent reliqui omnes Macedoniӕ reges, vſq; ad ea tempora, quibus vltimus ex eius genere à Romanis captus eſt, & in quo finem habuit regnum Macedoniӕ.

Alexãdri mater necatur.

Demetrius Macedoniӕ rex

Obiter hîc, & veluti in tranſcurſu hi-

ſtoriam ſubijcio, ex qua conſiderare facilè poterit non imprudens lector, in Græcia, poſtquàm mutuis ſe bellis confeciſſet, & externorum principum patrocinio iam vteretur, omnem honeſtatem bonorum morũ vnà cum imperio & republica periſſe. Nam Demetrius hic, cuius nunc mentionem fecimus, cum verſaretur frequenter apud Athenienſes, tam impudenter adulati ſunt ei, vt Deum appellarent, & adoratione diuinos ei honores exhiberent: vt & in ſacris ſolenni cantico vterentur: Reliquos deos omnes dormitare, ſolũ Demetrium verum eſſe Deum, & pro ipſorum ſalute excubare. Teſtantur hæ impiæ & horrendæ voces, omnem prorſus verecũdiam & pudorem Athenis extinctum fuiſſe. Reliquum nunc eſt, vt prætermiſſis Macedoniæ regibus, regum eorũ nomina recẽſeam, qui in Syria & Ægypto regnarũt. Nam hæc regna inter quatuor illa fuerunt potentiſsima: & nouiſſe horum regum ordinem in ſacris literis etiam prodeſt plurimum, in quibus crebra illorum mentio fit. Nam interceſſerat populo Iudaico magna admodum conſuetudinis & negociorum ratio cum his duobus regnis.

Atheniẽſiũ impudens adulatio.

## Syriæ Reges.

Seleucus. SEleucus natus eſt in Macedonia, princeps, in cuius fœmore natiuum ſignum apparebat in anchoræ modũ, quod omnes poſteri eius habuerunt. Babylonem vrbem vi cepit: poſtea Antigonus & Demetrius filius eius, Aſiæ reges, ab eo victi ſunt. Antigonus cõfoſſus eſt, Demetrius in carcere periit. Poſt hæc Seleucus Lyſimachum fudit. Cæterùm poſt hanc victoriam menſe ſeptimo interfectus Seleucus eſt à Ptolemæo Cerauno, Ptolemæi Philadelphi fratre. Horrenda exempla hæc ſunt de euectione & lapſu tãtorum regum, quæ meritò ad timorem Dei incitare nos debent, ne humanis conſiliis & noſtra prudẽtia res magnas adminiſtrari putemus.

Antigonus. Demetrius.

Antiochus Soter. Antiochus Soter, Seleuci filius defuncto patre in Syria regnauit.

Antiochus Theos. Seleucus Callinicus. Antiochus Hierax. Antiochus Theos filius huius, Laodicen primum coniugem habuit, ex qua duos filios ſuſtulit, Seleucum Callinicum, & Antiochum, qui cognomẽto Hierax dictus eſt. Tradidit huic poſtea in vxorem filiam ſuam Berenicen Ptolemæus Philadelphus. Atq; mortuo Antiocho compulit Laodice Seleucum

*filium ſuum, vt regnum occuparet, & nouercam Berenicen caperet. Sequutus matris conſiliũ Seleucus, obſedit nouercam, & magnificis tandem promiſsis ad vltroneam deditionem pertraxit: verùm non ſeruata fide, crudeliter admodum optimam reginam iuſſit necari. Erat enim apertè vaticinatus Daniel, reginam AEgyptiorũ tale aliquid paſſuram apud Aſſyrios, atque hoc ipſum vindicaturum eſſe regem AEgyptiorum. Nam deſignato hoc flagitio, Ptolemæus Euergetes Berenices frater in Syriam profectus, exturbauit è regno Seleucum, & multis vrbibus direptis redijt in AEgyptum. Poſtea collectis viribus cùm repetere vellet Seleucus regnũ, opem poſtulauit à fratre ſuo Antiocho Hierace: erat autem hic ætate iuuenis planè, ſperauitque hac occaſione totum ſe regnum occupaturum. Etenim pace facta inter Ptolemæum & Seleucum, inuaſit Hierax regnum fratris Seleuci, vſus ad hoc opera externorum militum. Nã Galatæ, quos Brennus ex Germanis regionibus in Græciam perduxerat, longius iam in Aſiam profecti fuerant, inuitati ſtipendijs illorum regum, inter quos varia tum bella gerebãtur. Donati hi Galatæ*

Berenice.

Ptolemæus Euergetes.

Galatæ Brẽno duce, in Græciam ex Germania perducti.

ſunt terris tum in Aſia quas inhabitabant. Inde Galatæ ſunt dicti: quibus Euangelium prædicauit Paulus apoſtolus. Neque verò dubium eſt Germanos fuiſſe. Nam vno vocabulo Germani & Galli à Græcis Celtæ dicebantur, & ex mutatione vocis ꝑ Celtis Galatæ nomen factum eſt. Porrò auxilio Galatarum vicit Antiochus fratrem ſuum Seleucum, ſed ab Aſiæ rege viciſsim Antiochus cæſus eſt, magna etiam parte regni Syriaci amiſſa: tum profugere ad regē Ptolemæum Euergetem coactus eſt, & cum ita ab eo reciperetur, ne quò diſcederet, fugam adornauit, ſed deprehēſo conſilio hoc interfectus eſt. Hoc fatum ſortitus eſt tandem Antiochus Hierax. Sub idem fermè tempus frater eius Seleucus ab equo delapſus, periȷt. Calamitoſam hanc fortunam, & infelicē exitum habuerunt hi duo fratres, qui multa, & nefanda facinora deſignarant.

Antiochus Magnus. Ptolemæus Philopator.

Antiochus Magnus regem AEgypti Ptolemæum Philopatorem bello infeſtauit, ſed repulſus eſt. Poſteà verò mortuo Philopatore, rediȷt cum exercitu in AEgyptum: ſed puerum Ptolemæum Epiphanē in ſuam tutelam receperunt Romani, quibus à patre

commendatus erat. Occaſio hæc fuit ingentis belli, quod multis annis inter Romanos & Antiochum geſtum eſt. Sequtus eſt Antiochi partes Hannibal, qui imperatorem aliquãdiu in hoc bello egit, & multæ præterea regiones Græciæ Antiocho adhæſerunt. Cæterùm aduerſa pugna aliquoties debilitatus, pacis conditiones coactus eſt quærere. Relicta tum illi à Romanis eſt ea tãtum pars regni, quæ vltra Taurum montem ſita eſt: ad hæc, obſidis loco coactus eſt mittere Romã filium ſuum Antiochum Epiphanem. Tãdem verò cùm diriperet Antiochus opulentiſſimum templum Beli in Syria, oppreſſus eſt promiſcua multitudine colonorum, qui ipſum vnà cum comitibus ad vnum omnes interfecerũt. Hunc exitum habuit Antiochus Magnus.

Anthiochi & Romã. belli occaſio.

Hannibal

Antiochus Epiphanes Romæ obſes.

Beli templum in Syria.

Hieruſalem ab Alexandri temporibus vſque ad Antiochum Magnum ſic ſatis bona pace vſa eſt. Verùm exorto bello inter hos duos reges, cùm inter vtroſque ſiti eſſent Iudæi, oppreſſi & infeſtati nonnihil ſunt ab vtraque parte. Et quanquam Hieroſolyma eatenus AEgyptijs magis adhærebat, tamẽ ſubiecta neque Syriorum, neque AEgyptiorum imperio fuit. Cæterùm imperatorẽ Sco-

Hieroſolymæ ſtatus ſub Antiocho.

Scopa dux

Ptolemæi Epiphanis

pam miſit Ptolemæus Epiphanes aduerſus Antiochum Magnum, qui vrbes aliquot Syriæ, & partem Iudææ occupauit. Verumenimuerò hunc cùm oppreſsiſſet prope Iordanem Antiochus, porrò vſque ad Hieroſolymam ſe contulit. Supplices tum Iudæi vltro ſe ei dediderunt, inito etiam inter ſe & regem publico fœdere: atque hac de cauſa pace eos frui permiſit Antiochus, & opem tulit ad reparandam ædificationem vrbis Hieruſalem. Atque hoc modo, quanquàm periculũ in hoc bello inſtare videbatur propter viciniam, tranquillo tamen rerum ſtatu ſub hoc Antiocho vſi ſunt Iudæi.

Seleucus Philopator.

Antiochus Magnus tres filios reliquit, Seleucum cognomento Philopatorem, Antiochum Epiphanem, & Demetrium. Mortuo patre regnauit Seleucus paucos annos, alij duo fratres Romæ obſides detinebantur. Antiochus Epiphanes cùm cognouiſſet mortem patris, clam profugit Roma, & in Syriã reuerſus, rex eſt creatus. Nam Seleucus inutilis erat ad gerendum imperium, neque vixit etiam multo tempore poſt obitum patris.

Porrò fuit hic Antiochus Epiphanes vir miræ calliditatis & audaciæ, & didicerat

*probè exemplo Romanorum accommodare ſe tempori, & moribus omnium. Facilè enim omnes cũ quibus erat perferre ac pati: ſapiẽtem apud ſapiẽtes egit, & rurſus apud diſſolutos adoleſcentes ijs ſtudijs obſequebatur, quibus illi delectabãtur. Popularitate & beneuolẽtia vulgus ſibi obnoxium faciebat, & quoties ſumptuoſius epulum inſtituebat, magnas ſummas pecuniarũ ſpargi iubebat. Ob diſſolutos mores eius factum ei nomẽ eſt Epimanes, ꝑ Epiphanes. Epimanes enim inſanũ ſignificat, nobilem verò Epiphanes.* Antioch. Epiphanes. dictus Epimanes.

*Initium regni eius cœpit poſt mortuũ Alexandrum anno cẽteſimo trigeſimo ſeptimo. Et cùm occuparet tunc hæreditaria ſua regna, in AEgyptum profectus eſt. Nam circiter hoc tempus Ptolemæus Epiphanes obierat mortem. Habuerat is reginam Cleopatram ſororem Antiochi Epiphanis, qui hac ſpecie vſurpare ſibi AEgyptiorum regnum cœpit, quaſi tutorem ageret regis pueri Ptolemæi, qui Philometor dicebatur. Neq; aliud præſe ferebat quàm omnem ſignificationem humanitatis & beneuolentiæ erga nepotem ſuum, & voluit vt Memphis, & maximæ aliæ vrbes ſe dederẽt regi iuniori, vt ſub hoc* Ptolemæus Philometor.

prætextu paulatim ad ſe totum regnū pertrahere poſſet. Iam verò confectis rebus omnibus, reliquit regnum, & Hieroſolymam profectus eſt, idq́; ex rogatu Iaſonis, qui per Antiochum ſummi ſacerdotij dignitatem affectabat. Ita enim tum comparatum apud Iudæos erat, vt potentiores ſummum ſacerdotium conſequerentur technis, per conſpirationes externorum regum, occiſis interim & oppreßis illis qui veri ſucceſſores erant. Qua de cauſa iterum punitus eſt à Deo hic populus grauiter. Prima hæc expeditio fuit Antiochi in Hieroſolymam: in qua expeditione ſummum ſacerdotem conſtituit, & diripuit templum, multóſque interfecit. Contigit hoc anno ſexto imperij Antiochi, id quod fuit poſt mortē Alexandri anno centeſimo quadrageſimotertio.

Iaſon.

Antiochi expeditio in Hieroſolymam.

Antiochi expeditio in Aegiptum.

Deinde poſt annos duos, hoc eſt, anno centeſimo quadrageſimo quinto poſt obitū Alexandri, denuò expeditionem parauit Antiochus in ÆEgyptum. Nam vrbes dediderāt ſe iterum regi iuniori, qui & opem à Romanis petierat. Iam verò cum inuaderet AEgyptum Antiochus, miſſus à Romanis legatus Popilius eſt, qui nunciauit Antiocho populi

Popilius legatus

Romani

Romani nomine, vt cederet ex AEgypti finibus, neque iuniorem regem Philometorem bello infeſtaret. Nam ſtatuiſſe Romanos, ſua ope in regno eũ conſeruare. Ad quæ reſpõdit Antiochus, ſe deliberaturum ſecum quid eſſet facturus. Cæterùm nullum deliberandi ſpacium concedere volebat Popilius, ſed haſta ſua circulo circum Antiochum ducto, iubebat fateri eũ iamiam, prius quàm excederet circulo illo, cederéne vellet ex AEgypto, an non. Territus hac ſeueritate & conſtantia Popilij Antiochus (nouerat enim & metuebat potentiam Romanorum) vltro ſe ceſſurum promittebat. Itaque coactus eſt denuò cum ſumma ignominia deſerere AEgyptũ. Verùm ob doloris impatientiam animi indignatione inflammatus, iterum ad Hieroſolymam contẽdit. Atque hæc altera eius expeditio erat in Hieruſalem. bis enim ibi fuit: & tum multo crudelius, quàm antea tyrãnidem ſuam exercuit: mandauit enim vt gẽtium idola colerent Iudæi: exuri Bibliorum libros iuſsit, & magnam partem perditiſsimorum hominum reliquit ad poſsidendam vrbem Hieroſolymitanam, præſidij loco: qui crudelibus admodum ſupplicijs affecerũt eos,

Roma ad Antiochũ miſſus.

Exemplũ ſeueritatis Rom.

Antiochi expeditio in Hieruſalem.

Antiochi tyrannis aduerſus Hieroſolymitanos.

qui à fide ſua deficere noluerunt, & vſi ad hoc ſunt opera illorum, qui iam antea à Iudæorum religione deſciuerant. Quin & templum quoque prophanatum eſt: nam impoſitum eſt ex gentium ſuperſtitione idôlũ quoddam. Sed quid opus eſt verbis? Conati ſunt verbum Dei, & vniuerſam legem extirpare, & in eius locum gentium mores inducere. Neque verò temerè, ſed ex magna quadam prudentia ceperat hoc conſilium Antiochus. Videbat enim ob religionem reſiſtere ſæpe Iudæos gentium regibus, volebátque ea de cauſa religionis diuerſitatem ſublatã eſſe. In hunc modũ ludunt humanæ cogitationes in diuinis rebus, & pro ſua volũtate ac iudicio religionem inſtituere volunt.

Antioch. Antichriſtum adũbrat.

Proinde ſub imagine & exẽplo huius Antiochi ſimul depinxit Daniel Antichriſtum, & ſignificauit regnũ huiuſmodi fore in quo affligantur Chriſtiani, & deleatur verbum Dei, ac viciſsim religio inſtituatur in ſpeciẽ, quæ aduerſetur verbo Dei, per quam occaſio contingat ad potentiã, & ampliſsimas opes conſequendas.

Mahometica religio cur plauſibilis

Perinde ac Mahometem falſam religionem, & eius prætextu nouum regnum inſtituiſſe conſtat. Et videtur ea reli-

gio non prorſus abſurda eſſe, ac blanditur in primis rationi humanæ. Nam prætermiſsis omnibus ferè ſublimioribus ſentẽtijs & articulis fidei, eam ſolam doctrinam retinuit, quæ de bonis moribus præcipit. Mirũ ſanè, quàm hoc ipſum adblandiatur rationi humanæ: quare & irrepere facilius ſolet in animos hominum, quàm doctrina de fide.

Porrò de tyrannide Antiochi in Machabæorum libris ſcriptum eſt, & teſtatur Daniel commeruiſſe has pœnas populum Iudaicum ob peccata. Interim autem dum affligit ſuum populum Deus, non tamen extinguit eũ prorſus. Exuſcitauit enim Iudã Machabæũ, qui collectis paruis copijs, Antiochi duces inuaſit, & præſidio Dei fuſis hoſtibus, recuperauit templum tertio anno, poſtquã ab Antiocho idolum in eo poſitum fuerat. Iudæ Machabæi uirtus.

Daniel complexus eſt totum hoc tempus afflictionis Iudæorum bis mille & trecentis diebus, qui conſtituunt annos ſex, & ſex mẽſes, & præterea dies aliquot. Nam durauit perſequutio à tertio anno Antiochi, vſq; ad octauum, & menſes aliquot. Hac quoque diuiſione temporis vſus eſt Daniel, vt in templo ſtaret idolum mille ducentos & nonaginta

dies, qui annos tres & ſex menſes conſtituũt. Et recuperatum eſt templum poſt cẽtum & quadraginta octo annos poſt mortem Alexandri. Fuit hoc 348 anno poſtquam ex Babylonica ſeruitute manumiſſus erat Iuda, & 152 anno ante natum Chriſtum.

Antiochi pœna ob impietatẽ

Porrò verò commeruit ſua impietate & blaſphemia in Deum Antiochus, non ſui ſolùm generis perpetuum interitum, ſed euerſionem totius regni Syriorum. quandoquidem poſt mortuũ Antiochum, bello ſemper certatum eſt inter vnũ & alterum, & nonnunquam inter plures de ſucceßione in imperio. vt palam cernere liceat in hoc exẽplo, ex quibus principijs cauſæ ſoleant exoriri, propter quas regna euertantur, quemadmodum & hodie nos in Hungarorum regno accidere videmus.

Obijt Antiochus Epiphanes in ea profectione, quam denuò contra Iudæos adornabat, ad vlciſcẽdum acceptum damnum. Poſt eius mortem frater eius Demetrius Roma profugit, & occupauit regnum, occiſo iuniore Antiocho, cui cognomen Eupatori erat, filio Antiochi Epiphanis.

Antioch. Eupator.

Alexander dux ſeditione concitata ad-

uerſus Demetrium occidit eum.

Demetrius duos filios reliquit, Demetriũ & Antiochum Sedetem. Porrò ab hoc Demetrio viciſsim cæſus eſt Alexander. Poſtea coorta ſeditio eſt auctore Triphone quodam contra Demetrium, qui expulit eum è regno: ſed reuerſus iterum in regnum Demetrius eſt, & gladio tandem transfixus perijt. Antiochus Sedetes cæſus eſt à Parthis. Demetrius. Antioch. Sedetes.

Porrò Demetrius hic filium habuit Antiochum Gryphum, Antiochus Sedetes filium reliquit Antiochum Cyzicenum. Inter hos certatum eſt de ſucceſsione regni Syriæ, & vterque occiſus eſt. Poſtea horum filij parentum exemplo nõ minori contentione dimicarunt propter imperium Syriæ, & mutuis ſe bellis adeò confecerunt tandem, vt coacta ſit Syria exteris ſe regibus dedere. Adiunxit enim ſe Tigrani regi Armeniæ. Eſtque hoc modo Syriæ regnum tranſlatum à Seleuci poſteritate ad peregrinos principes. Tandem verò cæſo Tigrane à Põpeio redacta eſt Syria ſub poteſtate Romanorum. Hactenus ſatis de regno Syriæ. Tigranes à Põpeio occiſus.

## Reges AEgypti poſt Alexãdrũ.

Ptolemæus Lagi filius.

PTolemæus Lagi filius primus fuit, de quo apud Pauſaniam eſt, qui eum nothũ fuiſſe ſcribit ex Philippo patre Alexandri.

Ptolem. Philadelphus.

2 Ptolemæus Philadelphus. Magnæ laudes prædicantur de hoc rege ob pacis ſtudiũ, atque adeò etiam quòd omni genere artiũ delectatus ſit, & optimam Reipub. formam inſtituerit. Contulerunt ſe ad hunc ex omnibus terris viri ſapiẽtes, quos benignè & liberaliter fouebat. Bibliothecã habuit, qua nulla alia in toto orbe erat instructior, & ea de cauſa notitia ei interceſſit cum Iudæis. Nam cum ſtudioſè inquireret de omnium gẽtium, religionum, & artium origine, deprehendit omnium gentium Iudaicum populum vetuſtiſſimum eſſe, & quòd ille ſolum certiſſimas historias haberet de mundi creatione. Itaque petijt à Iudæis mitti ad ſe ex Hieroſolyma viros ſeptuaginta duos, quorum opera in ſuã linguam ex Hebræo Biblia ſacra transferrẽtur. atque per hanc occaſionem Biblia peregrinis linguis reddita ſunt primum. Et non dubium eſt quin eadem hac ratione ad verã fidem conuerſus ſit Ptolemæus.

eius bibliotheca.

Biblia trãslata.

3 Ptolemæus Euergetes Syriam inuaſit, & vltus eſt mortem Berenices ſororis ſuæ.

4 Ptolemæus Philopator, qui vicit Antiochum Magnum. Poſtea diſſolutior factus puellam quandam miſerè deperire cœpit, adeò vt & reginam ſuam occidi iuſſerit, ob amorem tranſlatum in puellam. Ptolem. philopator.

5 Ptolemeus Epiphanes, quẽ inuaſit Antiochus Magnus, cui poſtea tradita eſt ab Antiocho filia in vxorem.

6 Ptolemæus Philometor: hunc oppugnabat auunculus Antiochus Epiphanes, ſed tuentes Romani Ptolemæum, præceperunt Antiocho cedere ex AEgypto, id quod ſupra indicauimus. Ptolemæus Philometor.

7 Ptolemæus Euergetes, qui reſtituit Demetrium profligatum in ſuum regnum. Ptolemæus Euergetes.

8 Ptolemæus Physco, qui fœda crudelitate beſtia magis q̃ hominem referebat. Duxit ſororem ſuã, & filios ex ea ſuſtulit: poſtea occiſum puerum matri edendũ propoſuit, tãdem regno expulſus eſt. Reliqui ſequentes ſimili fœditate fuerunt inſignes, vſi quaſi canino cõgreſſu, & tyrannide longè crudeliori.

9 Ptolemæus Alexander. Pto. Alexander.

10 Ptolemæus Latyrus. Pto. Latyrus.

11 Ptolemæus Auletes, quem Gabinius reſtituit. Pto. Auletes.

Ptol. Dionyſius. Cleopatra

12 *Ptolemæus Dionyſius, qui Pompeium occîdi iuſsit, & poſtea Iulio quoque perfidus fuit: quare expulit eum regno Iulius, & donauit id ſorori Cleopatræ, quæ ſeipſam tandem occidit, cùm Antonius quem detinebat, victus eſſet ab Auguſto. Poſtea AEgyptus Romanis ceſsit: eſtq; hoc modo nobiliſsimum genus Ptolemæi extinctum.*

## Iudæi.

*ANtea monuimus poſt reditum Iudæorum ex Babylone apud poſteritatẽ Dauidici generis ſummam imperij permanſiſſe: tantùm regiæ appellationis dignitate carebant, & principes ſolùm vocabantur. Et regnarunt vſq; ad Antiochi tẽpora: & meminit eorum Lucas in genealogia Chriſti.*

1 *Zorobabel* an. 58
2 *Reſa Miſeolam* 69
3 *Ioanna Ben Reſa* 53
Al.Iu. 31. 4 *Iudas primus Hircanus* 14 *temporibus Alexandri.*

*Poſt Alexandrum,*

5 *Ioſeph primus* an. 7.
6 *Abner Semei* 11
7 *Eli Matathia* 12

8 Aſer Maath 9
9 Nagid Artaxat 10
10 Hagai Eli 8
11 Maſlot Naum 7
12 Amos Sirach 14
13 Matathias Siloa 19
14 Ioſeph iunior 58 al. 60.

Is magnam habuit familiaritatem cum Ptolemæo Euergete, & Arſes vocatur apud Euſebium.

15 Ianna 2. Hircanus 16. Magna is bella geßit aduerſus Arabas, & victoria ſæpe vſus eſt. Porrò cùm ab Antiocho Epiphane in arce quadam obſeſſus eſſet, neque præſidio ſe longius tueri poſſet, tamen dedere ſe noluit, ſed fortiter dimicãdo in pugna reſtitit hoſtibus, donec interemptus eſt. Poſtremus is fuit in populo Iudaico princeps ex regio ſtemmate Dauidis. Poſt hunc regno præfuerunt Machabæi, qui ex ſacerdotali genere fuerunt. Cæterùm poſt hos tranſlatum eſt Iudaicum regnum ad Herodis genus, quod ex gentibus erat, ſed receperat circunciſionẽ. Id verò prædixerat Deus, vt ſceptrum & maieſtas imperij tolleretur à Iuda & ſucceſſoribus Dauidis ſub aduentum promißi Chri-

Ianna Hircanus

Chriſti aduentus.

ſti. Neque verò alienatum fuerat regnum à poſteritate Dauidis ſupra centum & ſexaginta annos, antequam naſceretur Chriſtus, adeò vt necdum hominum memoriam exceſſerit, quod genus imperauerat. Ad hunc modum recẽſentur à Luca principes Iudaici populi vſq; ad vltimũ Ianna Hircanum, & poſt hunc reliquos etiã numerat, qui nõ imperarunt vſq; ad Chriſtũ. Proinde ſubijciã breuiter de Machabæis & genere Herodis.

## Machabæorum genus.

Matathias. MAtathias hortatus eſt filios ſuos, vt reſiſterent Antiocho, & regnarunt hi ordine per ſucceſſionem vt principes.

Iudas Macha. 1 Iudas Machabeus primus, fudit Antiochi Epiphanis duces, & templum intra triẽnium recuperauit, præclaríſque victorijs vſus eſt. Cæterùm quamprimum fœdere inito cõſpiraſſet cum Romanis, cæſus interijt. Etenim non vult Deus nos niti humano præſidio, ſed vt ſui fiducia agamus. Regnauit annos quinque.

al. regnauit ann. 6.

Ionathas. al 18. 2 Ionathas regnauit annos decem & nouem: ſequutus is eſt Alexandri partes, qui in Syria ſibi imperium vſurpabat. Poſtea per-

ſide admodum à Triphone occiſus eſt. Infelicem exitum ſortitus eſt: nam ſubſidio improborũ, & ſeditioſorũ hominũ fretus erat.

3 Simon regnauit annos octo: vicit Antiochum Gryphum: cæſus tãdem eſt per proditionem à proprio genero. Simon.

4 Simonis filius Ioannes Hircanus fuit, imperauit ille annos vigintiſex. Huius temporibus obſidebat Hieruſalem Antiochus Gryphus, ſed pecuniæ largitione placatus, deſeruit vrbem intermiſſa obſidione. Poſtea obtinuit Samariam Hircanus. Ioannes Hircan. al. an. 31.

## Reges Machabæi.

ARiſtobulus Hircani filius, regnauit vno anno, & regio diademate coronari voluit. Primus hic rex eſt in Hieruſalem, poſt reditum Iudæorum ex Babylone. Occidit fratrem ſuum Antigonum, quòd vereretur ne is regnum ambiret. Ariſtobulus.

2 Alexander iunior Hircani filius regnauit annis 27. regnauit poſt eum Alexandra vxor eius annos nouem. Hic Iamneus aliis dicitur.

Alexãder duos filios reliquit, Hircanum, & Ariſtobulum. Quanquam autem natu maior Hircanus eſſet, tamẽ pulſus è regno à

Antipater Idumææ princeps. fratre Ariſtobulo eſt, qui per violentiã præripuit fratri regij nominis dignitatem. Cæterum ab Antipatro principe Idumææ, & patre Herodis, & ab Areta Arabiæ rege adiutus eſt Hircanus contra Ariſtobulum. Neque verò minus fuit tum in Iudæa barbarus ſtatus rerum gẽtium more, q̃ in aliarũ gentiũ regnis. Poſtea ſimulatq; Pompeius cepit Hierusalem, ſummum ſacerdotem cõſtituit Hircanum, & captum Ariſtobulum vnà cũ duobus filijs Alexandro & Antigono, Romam perduxit. Porro verò in itinere dum proficiſcuntur Romam, elapſus eſt Alexander, & reuerſus in Iudæam, potens iterum factus eſt. Tum verò fudit eum Gabinius imperator Romanorũ in Syria, & poſtea ex iuſſu Scipionis truncatus eſt Antiochiæ. Antigonus dimiſſus eſt Romæ à Iulio. verùm ab Antonio multo tempore poſt occidi iuſſus eſt Antiochiæ, tertio anno ſimulatq; Herodes cõſtitutus rex fuit. Et functus eſt ſummo ſacerdotio Hircanus. Si totum eius tempus ad calculum reuoces, annos triginta quatuor: tandem ab Herode occiſus eſt. Horrendum omnino eſt videre ferè in omnibus hiſtorijs, non interire modo clariſſimas familias inter homi-

Areta Arabiæ rex. — Pompeius — Gabinius.

*nes, verùm poſteros plerunque ſanctiſſimorum hominum degenerare prorſus à probitate maiorum, & in omnem turpitudinem flagitiorum prolabi.*

## Quo tēpore Phariſæi & reliquæ ſectæ apud Iudæos exortæ ſint.

*CVM iam ob tyrānidem & bella Antiochi lacerari & diuelli cœpiſſet principatus & ſacerdotium apud Iudæos, vt non dicam interim Machabæos gentium regibus adhæſiſſe, qui pro ſuo arbitrio principes & ſacerdotes aut ſtatuebant, aut deponebant, quibus quiduis potius quàm religionis ſtudiū curæ erat, fieri non potuit quin ſectæ & variæ diſſenſiones in Iudaica religione exorirentur. Ita enim accidere neceſſe eſt, cùm vel caremus certo capite in religione, vel cum capita eccleſiæ negligunt pietatis ſtudia, & gentium prophanarum exemplo externam potentiam tantùm quærunt.* Machā.

*Sectæ exortæ triplices ſunt. Primi Phariſæi dicti ſunt, hoc eſt, ſegregati, à voce phares. Vſi ſunt hi (nam doctiores reliquis fuerunt) quibuſdam humanis cōſtitutionibus ſuper legē Moſis, quibus à reliquo populo ſe-* Sectæ triplices in Iudæa exortæ. Phariſæi.

gregabantur. Fuit tamē paulò ſanior & rectior horum doctrina quam aliorum. Nam docuerūt immortalitatem poſt hanc vitam, & quòd vlciſci velit Deus peccata: crediderunt quoque venturum eſſe Meſsiam in ſalutem credentium, & peccatoribus iudicē. Cōmiſſa etiam huius ſectæ viris eſt Reſpub. præ alijs, quibus potentiores quoque erant.

Sadducæi

Secunda ſecta Sadducæorū erat. Hi præclara admodum & inſigni appellatione nominis impietatem ſuam occultabant. Nam Saddic iuſtum eſt, Sadducæi iuſti ſeu ſancti. Ita plerunq; comparatū eſt in mundo, vt qui peſsimi omnium ſunt, honeſtiſsima vocabula ſuis cupiditatibus prætexant. Docuerunt, nullam vitam eſſe poſt mortem. Legem in hoc ſolum tuliſſe Deum, vt honeſtè & tranquillè viuamus, accipientes interim in hac vita iuſtitiæ præmia à Deo. Interpretati ſunt ſcripturas planè pro iudicio rationis humanæ, neque volebant audire aliud: & quod ad vitæ mores attinebat, Epicurei prorſus fuerunt. Quinetiam potentia tandem aucti, non parum negocij Phariſæis fecerunt. Eſtq; horrendum in primis auditu in peculiarem populum Dei ethnica planè dogmata irrepſiſ-

Sadduc. Epicurei

ſe: adeo vt publicè etiam tradere non ſint veriti, & adſerere conſtanter, poſt hanc vitam aliam vitam non reſtare.

Eſſei, quos Anabaptiſtæ referunt.

Eſſæi tertij fuerunt, qui cùm conſiderarẽt & Phariſæos, & Sadducæos ſub honeſto prætextu titulorum ſuas cupiditates ſectari, neque ferè quicquam facere quod dignũ eſſe poſſet eorum profeßione, proinde viſum ipſis eſt, factis vitæ ſeueritatem declarare, & dici ſe Eſſæos, hoc eſt, operarios voluerunt. Aſſa enim, vnde Eſſæi dicuntur, operari ſignificat: quemadmodũ hiſce temporibus & Lutheranos & Papiſtas damnant Anabaptiſtæ, & vtriſque ſanctiores ſtudent videri. Eſſæi enim per omnia ferè Anabaptiſticã vitam egerunt: abſtinuere à matrimonijs, & omnia inter ſe communia voluerunt eſſe. Fuit omnino hæc ſtulta quædam & craßiſſima Monachatus ſuperſtitio, & quæ longo tempore durare non potuit. Ad eundem ferè modum & hodie in tres partes diuulſa eſt Eccleſia: nã & ſecũdus ille aduentus Chriſti in foribus eſt. Anabaptiſtæ Eſſæos referũt, & in vtraque altera parte Phariſæi quidã, quidam Sadducæi ſunt. Etenim ea quæ apud Iudæos geſta ſunt, typũ Chriſtianæ religionis

ſignificabant. Exortæ hæ ſectæ ſunt primum inter Iudæos ſub Ioanne Hircano Simonis filio, ante natum Chriſtum 125 anno.

## Herodis genus.

Antipater præfectus Iudææ.

CVM Iulius Cæſar plenum vndique diſcrimine bellum gereret in Ægypto, fideliter admodum ei ſubſidium præbuit Idumææ princeps Antipater, & ob memoriam huius beneficij conſtituit eum Iulius præfectũ Iudææ, quæ tunc cogebatur peregrinis & aduenis principibus in ſuo regno obedire. Opposuerunt ſe primum magna vi Iudæi, indignißimè ferentes Idumæi hominis imperiũ: adeò vt veneno tandẽ per Iudæum quendã, cui Malcho nomen erat, necatus interierit.

Herodes Hieruſalem cœpit al. 186. anno. 2.

Herodes vltus eſt mortem patris Antipatri, & ſucceßionem regni Iudaici impetrauit ab Auguſto & Antonio, Olympiade centeſima octogeſima ſecunda: id verò fuit poſt Alexandrum ducentis nonaginta duobus annis. Hæc occaſio fuit per quam recepit Iudæa aduenas reges ex Idumæa, & poſt lõgam obſidionem coegit Herodes Hieroſolymitanos ad deditionem: neque verò parũ ſanguinis fuſum eſt, priuſquàm vltro ſe ſubijcerent

rent Iudæi Herodis imperio. Porrò trigeſimo anno Herodis natus Chriſtus eſt. Chriſtus natus. al. 43.

Maximæ hæ ſunt ferè & præcipuæ viciſ- ſitudines regni ſummatim comprehenſæ, quæ acciderunt in Iudæa huius Monarchiæ temporibus, vſque ad vltimam Monarchiam, & tempora nati Chriſti.

Quanquam autem ſatis conſtat reges Iudaicos poſt natum Chriſtum ex Herodis genere fuiſſe, tamen ſingulos ordine ponam, vt cognoſcere queat lector facilius quomodo alij ab alijs nati ſint, & ſucceßione quadã imperium legitimè adminiſtrauerint vſque ad deuaſtationem vrbis Hieroſolymitanæ: tametſi quod ad iuſtum hiſtoriæ ordinem attinet, nondum ꝓgreſſus eò ſum. nam reſtant mihi adhuc eæ res geſtæ Romanorũ recẽſendæ, quæ ſub tẽpora Græcorũ Monarchiæ contigerũt.

Herodes primus, qui & Aſcalon dicebatur, filios plures habuit, inter quos tres, Ariſtobulum, Alexandrum, & Antipatrum, ipſe occîdi iußit, ob cõſpirationẽ, quam contra patrem inierant. Cæterùm poſt hunc vixerunt, Archelaus, Herodes, cui cognomẽ Antipas erat, & Philippus: inter hos diuiſio regni contigit. Herodes Aſcalonita.

Archelaus à patre Herode in regem electus teſtamento. Verùm noluit confirmare hanc voluntatem patris Auguſtus: ſed conſtituit eum principem, ſub hac tamen ſpe, vt rex deſignaretur, ſi honeſtè regnum adminiſtraret. Imperauit itaque annos nouem, & magna tyrannide vſus eſt: ſuffecit & deſtituit ſummos ſacerdotes, & rapuit germani fratris Alexandri vxorem. Tandem accuſatus eſt propter flagitia apud Auguſtũ, qui priuauit cũ imperio, & ſupplicij loco relegatus eſt in Galilæam, vt reliquã ætatem ſuam ibi in exilio trãſigeret: poſtea verò ea Iudææ pars à Romanis præfectis adminiſtrata eſt, primum per Cyrenium, poſtea à Pilato.

Archelaus ab Auguſto relegatus

Herodes Antipas cognominatus, frater Archelai, conſtitutus erat à patre Herode princeps Galilææ. Abſtulit is fratri Philippo viuenti cõiugẽ legitimã, quod hac occaſione cõtigit: Herodes Romam proficiſcitur, & inter eundum diuertitur forte fortuna ad fratrem Philippum, qui in prima Iudææ parte habitabàt. Intercedẽte itaque familiaritate Herodi cum Herodiade, quæ filia Ariſtobuli, & Herodis Agrippæ ſoror erat: conueniunt inter ſe, vt reuerſus Roma eam adducere ſecum

Herodes Antipas fratri cõiugem abduxit.

vellet, idq́; factum eſt poſtea. Flagitium hoc reprehendit Ioannes Baptiſta, qui hac de cauſa truncatus eſt. Cæterùm non abſtulit tandẽ id impunè Herodes. nam à Caio Caligula Leoniam apud Galilæos in exilium cũ Herodiade relegatus eſt, quæ coegerat eum, vt Romã proficiſceretur regni impetrandi cauſa: ſed re omni infecta eam quoque imperij partem amiſit, quam antea poſſederat. Regnauit in Galilæa annis vigintiquatuor. Ioannes Baptiſta.

Herodes Agrippa Ariſtobuli filius fuit, de quo diximus antea: fuit enim primi illius Herodis filius, & occiſus à patre eſt. Porrò fuit Herodes Agrippa captus Romæ Tiberij temporibus, poſtea in ſumma gratia apud Caium Caligulã fuit: impetrauit enim ab eo primũ fratris ſui Philippi partẽ, & regij nominis appellationem, poſtea & eam quoque terram, quã Herodes Antipas habuit. A Claudio Samariã & Iudæam obtinuit, & hac occaſione vnius iterum imperio tota Iudæa ſubiecta eſt. Ab hoc Herode Iacobus apoſtolus maior occiſus eſt: id quod & in Actis extat capite duodecimo. Regnauit annis 7. Herodes Agrippa. Iacobus Apoſtol.

Agrippa Herodis Agrippæ filius ætate planè puer erat, cùm moreretur pater, quam-

obrem iterũ tunc Romani prætores Iudæam adminiſtrarunt. Poſtea verò donauit Agrippæ Claudius eam Syriæ partem, quæ Chalcicum regnum dicitur: donauit & eam partem, quã Philippus poſsidebat prope Iudæã. Donatus quoque à Nerone eſt aliquot vrbibus Iudææ. Tẽporibus huius Agrippæ deuaſtata Hieruſalem eſt, & mentio illius fit Actorum 21. Regnauit annis 27. Philo ſcribit filium huic Agrippæ fuiſſe, qui vnà cum Ben Coſban imperauit, qui regium ſibi imperium vſurpabat in Iudæos, & magnã ſeditionem concitauit in Syria, & Iudæa, tempore Adriani Cæſaris. Totũ hoc genus eſt Herodis, vſque ad euerſionem vrbis Hieroſolymitanæ: quod ideò congeſsimus breuiter, vt perſpicuè cognoſci queat, quo ordine in regno ſucceſſerint. Id verò nouiſſe in Biblijs ſacris neceſſariũ inprimis eſt. Anni ſunt iam inde à primi Herodis temporibus vſque ad deuaſtationem Hieruſalem 103.

Agrippa cuius tempore deuaſtata Hieruſalem.

Bẽ Coſbã

## Roma.

IN tertia Monarchia commemorauimus breuiter interitum Perſarũ, ſucceſſum & caſum quoque Græcorum, Iudæorum etiam

*varias mutationes & inquietudines. Nunc reſtat, vt ſimili breuitate referamus tempora maximorũ bellorum, quæ Romanis iam inde ab Alexãdro geſta ſunt. Creſceret enim opus in immenſum, ſi integras hiſtorias vellem enumerare. Suprà monuimus aliquoties in hoc ordinatas eſſe ſummas Monarchias diuinitus, vt magni & potentiſsimi principes domarentur, & ius aduerſus magnam tyrannidem conſtitueretur. Videre enim hoc eſt in omnibus Monarchijs, quæ non alia ꝑpemodum ratione auctæ ſunt, quàm ꝗ potẽtiſsimos reges ſubegerunt. Sic enim Romani ſimulatque in Italia potentiſsimi eſſe cœperunt, inuaſerunt primum Hiſpanos & Carthaginienſes, atque diuturna difficillimáque bella geſſerunt: quanquàm interim & ipſi non ſemel grauiſsimè cæſi quoque ſunt.*

Monarchiæ cur potiſsimũ à deo ordinatæ.

## Carthaginienſe bellum.

*Occaſionem belli aduerſus Carthaginenſes Sicilia præbuit. Nam Hieron rex ſubſidium & opem petijt à Romanis contra Carthaginienſes, qui cum longo tempore iam occupatam tenerent magnam Siciliæ partẽ, varios ſubinde motus excitabant. Itaq; an-*

Hieron. Carthaginienſe bellum.

Qui eſt mũdi 3691.

Regulus captus à Carthaginienſibus.

no à condita vrbe quadringenteſimo octogeſimo, Romani primum expeditionem pararunt contra Carthaginienſes: durauitq; hoc bellum annos 22 continuos. Primam autem cladem planè miſerabilem perpeſſi ſunt Romani, cũ Regulus captus eſt. Porrò Regulus hic à Carthaginienſibus Romam miſſus eſt ad agendum in ſenatu de captiuis dimittẽdis: tum enim & ſe liberum fore, ſi à Senatu id impetraret: ſin verò minus, pro data fide Carthaginem ſe reuerſurum conuenerat. Regulus ſimulatque Romã venit, ipſe in Senatu ſuaſiſſe fertur, ne paterentur pro ſe captiuorũ permutationem fieri, ſed cogitarent potius ſe virum atate ſenem, & corpore infirmũ eſſe, qui viuere diu amplius nõ poſſet. Quid verbis opus eſt? Sequutus eſt tandem eius ſententiam Senatus, & ille Carthaginẽ redijt, vbi varijs nouíſque tormentorum modis excruciatus eſt: & inter reliqua eius tormenta hoc quoque traditur, quòd præciſis oculorum palpebris punitus ſit perpetuis vigilijs. Commẽdatur primum huius viri præcipuus erga Rẽpublicam amor, nimirum cuius vtilitatẽ priuatæ ſuæ & ſuorum ſaluti antepoſuit. Laudatur & fides in eo, ꝙ redijt Carthaginem,

Reguli ſupplicia.

Reguli amor & fides in rẽpub.

præſertim cùm non ignoraret, crudeliſsimæ ſibi ſupplicia parata eſſe. Tādem verò coacti Carthaginienſes ſunt pacis cōditiones petere à Romanis. Apud inſulā Eguſam grauiſſima pugna commiſſa eſt, & à Romanis tredecim milia Carthaginienſium cæſa ſunt, & trigintaduo milia capta. Atqui verò petentibus Carthaginienſibus pacem, captiui vltro à Romanis dimiſsi ſunt ſine pecunia. Cōtigerunt hæc poſt Alexandrum, cum in AEgypto Ptolemæus Euergetes dominaretur. Pugna apud Eguſam.

## Hannibal.

ANno ab vrbe Romana condita 536 ſecundum bellum Punicum aduerſus Romanos ab Hannibale incœptū eſt. Occaſio huius belli orta eſt ob Hiſpaniā, quā cum amiſiſſent aliquando Carthaginienſes, nunc eam ſubegit iterum Hānibal. Neque verò vnquā maiorem cladē paſsi ſunt Romani quàm in hoc bello. Nā vſque adeo omnis fortuna aduerſata illis eſt, vt profectus in Italiam Hannibal ter fuderit eos, & quanquam in prioribus duabus pugnis maxima Romanorū pars cæſa eſt, tamen ne conferri quidem potuit ad tertiam pugnam, in qua circiter quadraginta

Punicum bellum ſecundum An. mūdi 3747.

Occaſio ſecundi, Punici belli in Hiſpania.

*Romanorum milia perierunt, pleriq; etiam capti ſunt. Incuſsit hæc clades tantum terrorem vrbi, vt multi ex nobilitate collecti conſultare cœperint, vt deſerta vrbe Romana in Græciam profugerent. Cæterùm vbi hoc Scipio iunior audiſſet, acceſsit ad eos, hortatus ad conſtantiam in tuenda patria: & addidit, Si quem ſentiret ex patria fugam moliri, cum ſuo ilico gladio periturum. Itaq; coegit iuuentutem nobilitatis, vt ſacro iuramẽto inter ſe obligati promitterent non ceſſuros ſe ex vrbe, ſed vltro ſe velle quamuis etiam fortunam, patriæ cauſa, perferre. Porrò idem hic Scipio finem huius belli fecit, poſtquã durauerat annos ſexdecim. Nam vicit in Aphrica Hannibalẽ, & coegit Carthaginienſes ad pacem petendam: & ea lege inita pax eſt, vt Carthaginiẽſes dederent Romanis Hãnibalem. Cæterùm elapſus ille pfugit ad regem Antiochum Magnum, quem incitauit ad ingens & formidabile bellum inſtituendum contra Romanos. Sed Antiochus rex cæſus eſt, id quod antea diximus. Facilè admodum ex his colligi poteſt, quo tẽpore ſecũdum hoc bellũ Punicum geſtum ſit, nimirum annos viginti ante Iudam Machabæum.*

Scipio iunior.

Hannibal profugus

Alii numerant an. 50.

## Bellũ Romanorũ in Macedonia.

SVB annum quingenteſimum & quintum ſupra quinquageſimum, bella primũ in Macedonia exorta ſunt. Primũ cum Philippo, idq́; cauſa fœderis initi cum Hãnibale contra Romanos. Erat enim Philippus rex magnopere infenſus Romano nomini. Nam videbat emergere eam vrbem in excidium omniũ regum, & potentiſsimorum quorũq; Monarcharum, adeò etiam vt dixiſſe eum aliquoties ferant, timere ſe tempeſtatem ex Italia aliquando venturam in Græciam, præ cuius vehementia omnes illæ clades, quas à Perſis & ab alijs illatas perpeſſa eſſet Græcia, ludus & iocus planè dici poſſent. Proinde cùm à Romanis bello peteretur, non imprudenter pacis conditiones poſtulauit, & cõcordiæ fœdera inijt cum Romanis. Poſtea verò Perſeus filius, vt qui audacior & animo irrequieto eſſet, expeditionem inſtruxit, contraxitq́; cum multis regibus fœdera, & eas Romanorum vrbes inuaſit, quæ in Græcia erant. Ac cæſi ab eo grauiter ſunt primum Romani. Verùm non multo poſt hãc pugnã, vltro pacis conditiones petijt: ſed has dare

Macedonicũ bellũ Philippus an. mũdi 3766.

Perſeus filius Philippi poſtremus Macedoniæ rex.

Paulus AEmylius

recuſarunt Romani, & Paulũ AEmylium miſerunt in Macedoniam, à quo victus eſt Perſeus & captus vnà cum matre, vxore & liberis. In hunc modum domiti ſunt à Romanis reges. Poſtremus hic Perſæus inter reges Macedoniæ fuit, eſtq́; in hoc generoſa illa & nobilis ꝓſapia Demetrij, de qua diximus antea, extincta. Porrò huius Perſæi filius Romæ ſcriba factus eſt, & regnũ Macedoniæ poſtea ſemper à Romanis imperatoribus adminiſtratum eſt. Exortum autem hoc bellum cum Perſeo eſt, non multò antè cùm Antiochus Epiphanes Iudæos inuaderet.

Anno 3 qui eſt mũdi 3795.

## Deuaſtata Carthago.

Punicum bellum tertium.

al. 604.

ANno altero poſt ſexcenteſimum à cõdita Romana vrbe, tertium atque adeò vltimum bellum, cum Carthaginienſibus inceptum eſt, ex hac occaſione: Malè conueniebat Carthaginienſibus cum circumiacentibus vicinis ſuis (vt ſolent plerunque inter vrbes & principes diſſenſiones incidere) petierunt autem hi auxilium à Romanis aduerſus Carthaginienſes. Poſt lõgam verò diſceptationem in Senatu Romæ diſputatum eſt, an prorſus deuaſtanda Carthago eſſet, ſiqui-

dem irrequieta in pace viuere nõ poſſet. Suaſerat enim Scipio Naſica, ne dirueretur Carthago: primúmque, quòd inhoneſtũ eſſet exercere Romanos tantam tyrannidẽ, tantũq; populum tam crudeliter trucidare. Ad hæc quòd inutile quoque eſſet: nam ſine hac vrbe in officio Aphricã retineri non poſſe: niſi forte in ſolitudinem prorſus eſſet vertẽda. Tertiò, neceſſarium in primis eſſe, habere Romanos aduerſantem ſibi huiuſmodi vrbem, à qua ad alacritatem incitarentur: alioqui futurum, vt bella inteſtina inter ſe mutuò concitarent, ſi foris hoſtem non haberent quem vererentur. Cõtrà verò Cato inter reliqua argumenta, hoc vel præcipuum adduxit, conſyderare ſe Romanos degenerare ſenſim à virtutibus & fortitudine maiorum. Quamobrem ſi perſiſtens in ſuo ſtatu vrbs potentiſſima Carthago cognoſceret ignauiam, ſecuritatem, ſocordiam atque debilitatem Romanorum, nihil certius eſſe, quin iterum pro imperio affectando eſſet certatura, & oppreſſura Romanos, ſubiecturáque ſuæ poteſtati. Igitur ne id fieret, vtiliſſimum & neceſſarium in primis eſſe, Carthaginem deleri.

Scipio. Naſica.

Neque verò in hanc ſententiam certi ali-

quid adhuc decernere voluit Senatus: ſtatuit autem & Catonem ſenem, & alios quoſdã vnà cum eo mittendos Carthaginẽ, vt explorarent rem omnem, num quid periculi à Carthaginienſibus eſſet metuendum, vt tum demum ſerio, quid factu optimum eſſet, conſultarent. Sed quid multa? Reuerſus Cato, multo plus periculi metuendum eſſe à Carthaginienſibus nunciauit, quàm vnquam antea. Nam quanquã regnis exuti eſſent Carthaginienſes, tamen conſyderare ſe facilè, & potentem & ferocem pariter vrbem eſſe, quæ quieſcere non poßit, niſi ſenſim tentaret aliquid, quo ſe vlciſceretur. Ad hæc attulerat ſecum Cato eximiæ magnitudinis ficus recẽtes, quas publicè oſtendit in Senatu. Et cùm quæſitus eſſet, vnde apportaſſet eas ficus, reſpondit: Intra triduũ eò nauigari poſſe, addiditq́; Creſcunt in terra hoſtium veſtrorum. vſqueadeò non longè ſiti ſunt hoſtes veſtri, & qui adfectant imperium veſtrũ. Permotus multis his perſuaſionibus Senatus, decreuit, vt Carthago bello peteretur, & funditus deleretur, ne eius reparãdæ ſpes eſſet poſtea. Porrò huic bello conficiundo deſignatus eſt imperator Scipio iunior, Pauli AEmilij fi-

Scipio iunior. P. AEmilii filius.

*lius, & quarto anno poſt continuam per ſex dies oppugnationem capta eſt Carthago. Et quanquam omnibus liberam fugam permitteret Scipio, tamen miſeranda clades cõmiſſa eſt in vrbe cùm diriperetur. Poſtea ex iuſſu Scipionis igni incenſa vrbs, per ſexdecim integros dies perpetua conflagratione arſit. Hæc eſt miſerabilis illa ruina Carthaginis nobiliſsimæ vrbis, in qua ſemper ferè tam multi præclari principes imperium tenuerunt, de quibus ꝓ dignitate dicere breuitatis ſtudiũ nos non ſinit. Stetit Carthago circiter ſeptingentos annos. Poteſt ſanè pius lector cõtemplari in primis horrendum exemplum vltionis diuinæ in tam potentis & præclaræ vrbis adeò crudeli euerſione. Fertur etiam poſt incendium equo acceßiſſe Scipionem ad locum vrbis, vidiſſéque miſerum caſum in direpta & extincta Carthagine, atque motum commiſeratione adfectu largiter admodum fleuiſſe, & ſubieciſſe tãdem hæc verba: Miſerari ſe caſum vrbis tam præclaræ, & prævidere ſe fore, vt & Roma aliquando eodem modo euerſa iaceret, quin palàm eſſe, nullum in terris imperium diuturnum, & nullam potentiam ſtabilem eſſe poſſe.*

Carthago deleta ann. mundi 3819. quæ condita fuerat ann. 3076.

## Cimbrorum bellũ in Italia.

Germanorum altera mentio ĩ hiſtoriis
Cimbri Germani â Gomer.

SEcũda hæc eſt hiſtoria de Germanis, deq; ſucceſſu eorũ, quem in Italia habuerunt. Cimbri enim ꝓpriè Germani ſunt, quod vel Cimbricæ Cherſoneſi nomen teſtatur. Nã ea appellatione Holſatiæ & Daniæ regiones vocantur. Porrò, Strabone teſte, Cimmerij & Cimbri ꝓmiſcuè ijdem ſunt. Vocabuli origo eſt à nomine Gomer Iaphet filio, qui eas vltra Thraciã regiones quæ nos ſpectant, occupauit, in quibus nunc Lituani & Liuonij populi habitant. Atq; hac de cauſa Homero poetæ Cimmerij noti fuerũt: nam Thraciam & ei cõtiguas regiones nouerunt Græci. Cæterùm Cimbrorum appellatio apud Holſatiam & Daniã tantùm relicta eſt. Illi verò, qui verſus orientem & Thraciam ſpectant, Gotthi dicti ſunt, de quibus infra in hiſtoria Gotthorum à nobis dicetur. Quinetiam & Teutonum clarè hic fit mentio, qui vnà cum Cimbris profecti ſunt. Fuiſſe autẽ certum eſt multitudinem innumerã circiter trecẽta milia ex omnibus Germaniæ finibus collectam, & tantã manum, vt diuiſi inter ſe partim Italiam, partim verò Galliam occupare ve-

Gotthi.

lent. Cæterùm quando Romanos inuaſerũt, rurſum collecti ſunt, & primum à Cimbris grauiſsimè cæſi ſunt Romani, qui in quatuor ingentibus pugnis ſuccubuerunt: & in vno eo prælio, cui Cœpio præerat, cæſa ſunt Romanorum octoginta milia: quæ res tantùm Romæ totiusq; Italiæ populis terrorem incuſsit, quantũ nunquã vel Hannibalis temporibus ſenſerunt. Deſignatus eſt tum Marius imperator contra Teutones. Cenſebatur enim is inter fortiſsimos milites, quos habuit Roma. Profectus eſt ad hoc bellũ anno 652. poſt cõditam vrbem Romam: & durauit hoc bellum in tertiũ vſq; annum, donec oppreſsi & funditus deleti ſunt Cimbri. Tradunt hiſtoriæ, in vltimo conflictu tanta fortitudine vſas mulieres, vt non minor clades ab ipſis quàm à viris illata ſit: & tanto furore, vt obuiam procurrentes Romanis cum infantibus, eos in aduerſas facies Romanorũ incuſſerint. Tantæ profecto atrocitatis exemplũ hoc eſt, vt ad iram Dei meritò expaueſcat quicunq; in hiſtoriarum lectione tantas calamitates deprehendit. Oportet enim vehementem indignationem eſſe, quæ tantã cladem miſeris alioqui & oppreſsis rebus humanis immittit.

Cimbrorũ pugna cũ Rom.

Marius imperator contra Cĩbros.

al. 650. geſt mũdi 3861.

## Sylla & Marius.

SCipionem Naſicam veriſsimè dixiſſe, euentus comprobauit: Cùm ob potentiam ab externo hoſte debilitari non poſſent Romani, quòd ſuis ipſi inter ſe viribus conciderent. Marius, de quo modò diximus, præclaras victorias ab externis hoſtibus reportauit, ſed tandem in vrbe Romana crudeliſsimi tumultus auctor fuit. Nam cùm Sylla imperator eſſet deſignatus, vt in Aſia aduerſus Mithridatē bellum gereret, ægre tulit Marius adoleſcentem Syllam ſibi anteponi, & effecit apud Tribunos vt opponerent ſe ſenatui, & ſuffragio vulgi Marium eligerēt. Ex hoc odio ingens bellum illud inter Marium & Syllam occaſionem ſumpſit. Etenim cùm excitaſſet hūc tumultum Romæ Marius, expeditionē Sylla in Aſiam adornauit. Cæterùm impetrauerat Marius ſuffragante populo, ne proficiſceretur in Aſiam Sylla, & amici quidam Syllæ conciderant in hoc motu Romæ, inter quos fuit Pompeij conſulis filius, gener Syllæ. At verò cùm per tribunos mitterentur ad Syllam qui nunciarent, ne pergeret in Aſiam, repentè inſtructis copijs venit Romam,

Marius auctor tumultus.

Sylla.

nit Romam, & occidit tribunum, & multos alios. Marius in Aphricam fugit. Interea omnia in vrbe in ſuũ ordinem redegit Sylla, & in Aſiam profectus eſt, magnaq; negocia confecit Vicit Mithridatẽ, & Athenas vi cepit, ac totã Græciam, plurimasq; alias Aſiæ regiones ſubegit. Dum hæc gerũtur à Sylla, redit interea ex Aphrica inſtructus Marius in Italiam, & profectus Romam trucidauit optimos & præſtantiſsimos quoſque principes, & primores Romanos, fuitq; clades ea prorſus miſerabilis Romæ. Coactus tum eſt ex Aſia reditũ maturare Sylla, vt ſubſidiũ ſuis ferret: ſed interim dũ venit, moritur Marius. Cæterùm filius Marij inſtaurat bellum contra Syllam, quo territus Sylla dixiſſe fertur, iuuenem ſe vſum eſſe fortuna contra ſenem: nunc vereri ſe, ne viciſsitudine quadam iuuenis idem aduerſus ſe ſit habiturus. Teſtatur hoc exemplum, prudentiſsimos homines expendiſſe ſtudioſè, & timuiſſe pariter incõſtantiam fortunæ, quæ accidere ſolet in rebus humanis. At verò fortunauit Deus inſtitutũ Syllæ, vt triumpharet de hoſtibus ſuis: nam cauſam iuſtiſsimam habuit. Sed tradunt hiſtoriæ fuiſſe tamen poſtea plus iuſto crudelio-

Marii tyrannis.

Sylla fortunæ incõſtantiã metuit.

Sylla plus iuſto crudelior.

rem Syllam: nam nemini ferè pepercit ex numero illorum, qui Marij partes ſequebãtur, neque vllus modus, aut finis exercendæ cædis fuit Romæ. Ita demum Marij tyrannis, qua vſus erat in principes, vindicata eſt à Sylla, qui eos in imperium reſtituit. Cognoſces in primis ex hac hiſtoria, optime lector, tantam calamitatem & diſsidium in republica ex paruis initijs ortum traxiſſe, & viciſsitudine quadã primũ in principes, deinde in populũ hoc malum ſerpſiſſe. Cæterũ magna vſus eſt prudentia Sylla, & ſummã laudẽ meruit, ꝙ poſt tumultum hunc in ordinẽ certũ redegerit, & confirmauerit reipublicæ ſtatũ, omni nimirum Tribunorũ plebis auctoritate abrogata: nã illi ſemper accendere ſolebãt multitudinis animos aduerſus ſenatũ. Sed hoc ipſum immutauit poſtea Pompeius, qui in gratiam plebis reuocauit tribunos, ſed malũ cõſilium cõſultori peſsimũ fuit. Nã & Tribuni auctores fuerunt belli ciuilis inter C. Iuliũ Cæſarem & Pompeium concitandi.

Tribuni plebis abrogati à Sylla.

Tribuni reſtituti a Põpeio.

## Pompeius & C. Iulius Cæſar.

TEterrimum bellum illud inter Cæſarem & Pompeium, quod perpetuum vniuer-

ſæ reipublicæ Romanæ exitium peperit, ex leuibus admodum cauſis occaſionem ſumpſit, idq́; vel ex ſola inuidia, non tam Pompeij, q̄ hominum priuatorum in Cæſarem, qui eas prouincias adfectabant, quas habuit Cæſar. Occaſio autem belli ſic cœpit: Cæſar cùm in Gallia eſſet, optabat ſui abſentis in conſulatu deſignando rationem haberi: nam vt hoc fieret, vehementer eius intererat. Etenim ſi Romam rediiſſet alienus à conſulatu, in animo habebant complices aduerſarij opprimere eum, & efficere vt Roma in exilium pelleretur. At verò effecit Cæſar ſubſidio Tribunorũ plebis, vt cõſulatus dignitas ei ꝑmitteretur, id quod & adſenſu Pompeij cõſulis factum eſt. Cæterùm cùm iam tempus eſſet deſignandi conſules, ſubornarunt quidam, vt opponeret ſeſe Senatus, neq; permitteret Cæſarem conſulem creari, & pertraxerũt in ſententiam ſuam Põpeium, & expulerunt Tribunos plebis, qui ad Iulium profugerunt. Porrò vbi ſenſit Iulius inſidias & oppreßionem ſibi intentari, obſtinatè factam ſibi ꝑmißionem vrgebat, & poſtulabat cõſulatum: præterea Tribunos plebis in ſuum locum reſtituto. volebat. Interciderunt in hanc cõtrouer-

Occaſio belli ciuilis.

M. Cice. ſiam conſultationes variæ. Adducebat M. Cicero æquiſsimas rationes, quæ vtrique parti tolerabiles erant. Voluit enim Cæſarem & Pompeium exercitus dimittere, atq; vt Pompeius in Hiſpanias proficiſceretur, quemadmodum ſtatuerat: & Cæſar, ſimul atq; dimiſiſſet exercitum, conſulatu fungeretur. Cõſenſit in hæc conſilia Iulius, ſed Põpeius recuſauit. Itaque cum inſtructo exercitu Romam venit Cæſar: fugiens Pompeius, quanta poteſt manu itidem exercitũ parat: verùm occupat Cæſar Italiã & Hiſpaniã, & ſequutus eſt Pompeium in Græciã vſq;. Et quanquam adhuc pacis ſanciendæ conditiones non detrectabat Iulius, ſed ſponte etiã offerebat: tamen non deſiit reſpondere Pompeius, nõ recepturum ſe pacis leges, priuſquam videret amputatum Iulij caput adferri. Id verò cùm audiſſet Cæſar, vehemẽter eſt commotus. Etſi enim iuſtiorem cauſam habebat Pompeius, tamen maiori humanitate vti debuiſſet in tam præclarum principem, qui pacis fœdera offerebat, & hoc ſolum quærebat, vt tutus eſſet ſine periculi metu. Itaque quum vidiſſet Cæſar ex neceſsitate ſumendũ eſſe conſilium, inuaſit Pompeium, & proſtrauit eum. Põ-

Iulius Cæſar pacis amãs.

peius in AEgyptum profugit, vbi à iuniore rege AEgypti, cuius patrem ipſe in regnum conſtituerat, per inſidias occiſus eſt. Poſtea Cæſar occupauit Aſiam & Aphricã pariter, adeò vt in ſumma potentia totũ Romanum imperium ſolus teneret. Tanta hæc immutatio reipublicæ Romanæ, & calamitas ex leuiſsima occaſione initium cepit: nã hoc bellũ & ſummis & inferioribus ordinibus luctuoſum fuit. Habent enim hiſtoriæ ſupra trecẽta milia hominũ cæſa eſſe in hoc bello ciuili. Pompeius uictus.

## QVARTA ET VLTIma Monarchia, quæ eſt Imperij Romani.

ANnis ter mille octingentis nonaginta ſeptem poſt creatum mundum, al. 3917.

Annis ſeptingentis ſex poſt conditam vrbem Romam,

Annis 47 ante natum Chriſtum, cæpit primum Romana Monarchia: quum conſul Iulius factus eſt, & bellum aduerſus Pompeium, de quo diximus modò, exortum eſt. Durauit id bellum annos 5. Nam mortuo Põpeio, negocij adhuc multum reſtabat Iulio al 46. Ro. Mo. initium. Iulius Cæſar.

Cato ſe ipſum interemit.

in AEgypto, Aſia & Aphrica conficiendum, vbi ſeipſum interemit Cato: & in Hiſpania, vbi & in Pompeij filijs vnũ occidit. Cæterùm cõſtabilita iamiam in omnibus regionibus pace, reuerſus eſt Romã Iulius, idq; menſe Octobri, & poſtea idibus Martijs à Caßio & Bruto, eorumq; cõplicibus in ſenatu cõfoſſus eſt. Itaq; regnauit Iulius in pace nõ amplius menſibus 5, & intra id tempus in toto imperio Romano annũ iuxta ſolis curſum curauit ordinari. Adduxit etiam ex AEgypto Mathematicũ ſecum inſignẽ & peritißimum: & primus auctor fuit, vt diſciplinæ mathematicæ in Italia cultæ fuerint. Et hæc ipſa ordinatio anni quæ cõmoda eſt, quáque hodie adhuc vtimur, à Iulio primum eſt inchoata. Porrò quàm iuhoneſtè & crudeliter planè egerint interfectores Iulij, id clarè ex rebus geſtis eorum apparet. Etenim Caſſius & Brutus vnà cum ſuis ſocijs Pompeij partes fuerant ſequuti. Cæterùm clemẽtia Cæſaris recepti in vrbẽ, in priſtinã ſuam dignitatem, & poſſeßionẽ bonorum erant reſtituti. Nam quid multis dicam? Nũquam habuit orbis perinde potentẽ principẽ, qui poſt victoriam maiori clementia erga hoſtes ſuos, qui

vltrò ſe dediderunt, vſus ſit. Nunquam erga quenquã inſignẽ iram declarauit, niſi in acie, vbi id pugnandi neceßitas requirebat: cùm tamen ante eum Marius & Sylla nũquam Romæ etiã pacis temporibus à latrocinijs exercendis temperaſſent. Atqui nihil horum in ſe admiſit Iulius, imò etiã clarißimos quoſque in Republica, qui Pompeio adhærebãt, vltro in gratiam recepit, neq; quicquam illis eripuit. Quin & veram rationem in adminiſtranda Republica, quæ collapſa erat per ſeditionem, reduxit, eamq; non minori prudẽtia reſtituit, quàm auctoritate ſeruauit. Id verò quanta res fuerit, vel inde poteſt æſtimari, quòd in tumultibus ciuicis, iudicia, leges, & omnem modeſtiam morum videmus diſſipari. Fuit ſanè Iulius inter fortißimos illos heroas vnus, qui præ alijs hominibus maximis à Deo virtutibus exornati maxima imperia adminiſtrarunt. Ad hæc poßibile non erat mortuo Iulio pacem publicam diu retineri. nam alius nemo erat, qui poſt Iulium eã vel auctoritatem, vel potentiam haberet, vt ſolida vi tranquillitatẽ imperij cõſeruaret: nam ad eam retinendam in magnis regnis, magna & ſingulari quadam potentia opus eſt. Cæſaris clemẽtia.

Proinde & ipſe dixiſſe fertur, Non vereri ſe ſuæ vitæ cauſa, ſed caſum ſuum exitialē reipublicæ & imperio eſſe futurum.

At nihil horū à nefario inſtituto repreſſit eos à quibus per cōiurationem occiſus eſt. *Caſsius.* Primus huius ſceleris auctor Caßius fuit, idq́; ex inuidia ſolū, ꝙ per Cæſarē eas ꝓuincias ha- *Brutus.* bere nō poſſet, quas adfectabat. Brutus ingenij vehementis vir erat: ideoq́; huius facinoris ſociū ſe fieri facilè permiſit: hanc ſpeciē prætexens, ꝙ inhoneſtū eſſet ſenatui Romano, ſuperiorē ſe in imperio dominū ferre: item, Cæſarem etiam tyrannū eſſe, & licere honeſtē occidere tyrānos. Argumentis huiuſmodi tā abſurdis, quæ ſæpè iuuenes & imperitos homines in ſimilibus cauſis decipere ſolent, inflāmatus eſt Brutus: nā ſine eius ſubſidio nihil effecißet Caßius. Summa hæc eſt huius hiſtoriæ. At facinus tā immane non diu inultum permiſit Deus. Nā quotquot cōſpirauerant in necē Iulij, non diu poſt & ipſi ſunt trucidati. Cæſar natus erat cū interficeretur, annos ſex ſupra quinquagita, & imperauit annis quinque, & huius tēporis initiū cœpit à conſulatu, in quo aduerſus Pompeium bellum ſumpſit. Exordiū hoc eſt Romanæ Monarchiæ, quā

horribiliter planè in Daniele depinxit Deus: teſtaturq́; multo grauius ab ea opprimēdum orbem, q̄ vnquā antea. Item in hac Monarchia venturū Chriſtū, & ideo vltimam Monarchiā eſſe futurā. Nam hæc omnia prædicta ſunt diuinitus ad confirmandā fidem piorum de certitudine aduentus Chriſti. Præterea quoq; vt cognoſceretur, mundum hunc non fore ſempiternū, ſed peritur ū aliquando eſſe, & puniendos impios, pijs verò expectādam eſſe à Deo vitā æternā, Equidē arbitror huc quoq; pertinere oracula illa vatum gentiliū, & ſententias Sibyllinas de perpetuitate Romani imperij, quale illud eſt apud Virgiliū: Imperium ſine fine dedi: quæ videntur hinc nata eſſe, ꝙ teſtaretur ſcriptura Romanū regnum vltimam fore Monarchiam in terris. Quanquā interim docet quoq; ſcriptura, & hanc Monarchiā collapſurā, tamen partem eius duraturā ſemper, in qua & imperatoriū nomen, & Cæſarea ſublimitas permanebit vſq; in finē mundi. Cognoſcenda hæc ſunt, vt certò ſciamus hoc imperiū euerti non poſſe, id quod & hiſtoriarū exēpla teſtantur. Etenim poſtquā imperatoria celſitudo ad Germanos tranſlata eſt, paſſum eſt hoc regnum multos

Romana monarchia ultima in terris.

inſultus, & ſæpe debilitatũ eſt: cæterùm nullius potentia adhuc potuit deleri, ſed ſtabile ſemper perſtitit, ſeq́; ſubinde reſtaurauit. Habuit enim nunc parũ potẽtes, nunc rurſus fortiſsimos & potẽtes imperatores. Cõſyderare hæc in hiſtorijs plurimũ refert, vel ad volũtatẽ Dei ĩ huiuſmodi euẽtibus rectè cognoſcẽdã

## Auguſtus.

M. Cice. MOrtuo Iulio ingentes motus exorti ſunt Romæ Marcus Cicero ad pacẽ faciendam cõſuluit in hũc modũ, nequa vis poſtea fautoribus Iulij fieret, & ne illi quoq;, à quibus confoſſus erat Iulius, verſarẽtur amplius in periculi metu, ſed omni in poſterum diſcordia ſopita vtrinque, perpetuæ cõmuniq; paci conſulerent: nõ aliter atq; apud Athenienſes olim à Thraſybulo cõcordia cõſtituta eſt, quã ἀμνησίαν vocabant, hoc eſt, vt vtraque pars acceptã iniuriam muſsitaret, & neuter alteri vllam poſtea vim inferret. Humaniter admodum & cõmodè à Cicerone ꝓſpectũ id eſt, & conſultum, ſed durare concordiæ initæ leges diu non potuerunt. Nam cum poſtea quiſque dominari vellet, neceſſe erat factiones

Antonius exoriri. Senatus contra Antoniũ, ad ſe per-

traxit Octauium Auguſtum. Nam Antonius regnum affectabat. Cæterùm milites conſpiratione facta aduerſus ſenatũ multos ex principibus vrbis trucidarunt, inter quos & Cicero truncatus eſt. Imperium autẽ penes vnũ Octauium Auguſtum manſit, qui Iulij cognatus erat: nam Iulia ſoror Iulij, Accium Balbum habuit maritum. Porrò horum filia Accia erat, cuius maritus Octauius fuit: ex his prognatus erat Octauius Auguſtus, quẽ Iulius adoptauerat, vnde & Cæſaris cognomento appellatus eſt: & manſit poſtea ſemper hoc nomen apud poſteros. perinde quaſi cum ipſo ſucceßionis iure in ipſum genus Cæſarum tranſirent: quemadmodũ fieri ſolebat, quando ſucceſſores primũ adoptari cœperũt. Neq; verò imperij nomine primum dictus eſt Cæſar Iulius, ſed multis iam antea ex eius genere cognomentum hoc inditum fuit. Scribũt enim Grammatici veteres & recepti, Cæſaris vocabulum à nomine cæſaries, ꝙ præclaros & inſignes capillos ſignificat, deriuatum eſſe: & hinc primum contigit hoc cognomẽtum Iulijs. quòd vnus aut alter fortaſſe ex eo genere inſignem capillum habuerit.

*Ann. 40. ante Chriſtum natum.*

*Octauius adoptat. à Cæſare.*

*Auguſti appellatio unde.*

Porrò Auguſti appellationẽ Senatus addi-

dit Octauio, ꝓpter ſucceſſum & felicitatem eius in rebus gerẽdis. Auguſtus enim ab augurio deducitur, & fortunatũ ſignificat, atq; adeò quẽ ſecũdat Deus felicibus ſignis. Tribuitur hoc epitheton rectè ſummo monarchæ orbis: nã poteſtati ciuili adeſt Deus, & adminiſtratio imperij, donũ & ordinatio Dei eſt.

Imperauit Auguſtus annos quinquagintaſex, verùm duodecim primos annos ſolus non adminiſtrauit regnũ. Nã iuuenis nõ amplius annos nouẽdecim natus, ſuffectus in imperiũ, creatus eſt conſul, quòd adhæreret Senatui, à quo deſignatus eſt cõſul in inuidiã Antonij. Cæterùm milites inter ſe cõſentientes, oppoſuerunt ſe Senatui & eius factioni. Verùm cùm diuturna eſſe nõ poſſet hæc cõcordia, coactus eſt poſtea Auguſtus etiã in ſocios ferrũ ſtringere, atq; ita vniuerſo imperio ſolus potitus eſt. Poſtquã autem pace cõſtabilitũ eſſet regnũ, ſumma in rebus omnibus moderatione vſus eſt, & vniuerſum imperiũ honeſtis legibus & ſtatutis cõfirmauit, adeò vt & ipſum dixiſſe ferant: Regnũ ſempiternum fore, ſi ordinationes illæ non tollerentur. Sed quid multa? recenſetur Auguſtus inter omnes ſapiẽtes & moderatos principes facilè primus.

# CHRONICORVM LIBER TERTIVS, q cōtinet tēp⁹ à nato Christo.

SVprà in exordio huius libri diſtinximus tota hæc Chronica, & tempora mundi in tres partes, idq; iuxta ſentētiam Eliæ, vt facilius & maximæ mutationes rerum in orbe, & certius temporum ordo cognoſceretur. quinetiam ne id ignoraremus, non longè nunc abeſſe conſummationem mundi. Atq; abſoluimus modò ꝓpemodum quatuor milia annorum, & ferè ſub id tempus natus eſt Chriſtus, quod prædixit Elias ꝓpheta. Iam verò in hoc tertio libro, tertiam partem ſententiæ Eliæ ſimiliter tractabimus, & ab ea hunc librū exordiemur. Et ꝙ nō aberrarit Elias in ordine annorum, facilè ſanè perſpici poteſt: nam Chriſtus dominus noſter Deus & homo verus, cōmodùm natus eſt in hanc vitam ex virgine Maria anno ſecundo ſupra quadrageſimum imperij Auguſti, & fuit hic annus à mundo condito ter milleſimus nōgenteſimus quadrageſi- Chriſtus quādo natus eſt. al. 3962.

mus quartus. Iam verò quod ad exactã ſupputationem annorũ attinet, deſyderatur aliquid in numero annorum: nam quater mille anni completi non ſunt. Sed adiecit propheta, Deum anteuorſurum, & maturaturũ eſſe aduentum, vt rerum omnium finis eſſet vicinior. Cæterum quæ de Natiuitate, Paßione et Reſurrectione Chriſti cognoſcẽda ſunt pijs, ea omnia ex Euangeliſtis petenda ſunt. de tẽpore autem quo paſſus eſt, & à morte reſurrexit Chriſtus: item quomodo Euangelium promulgatum ſit in orbe, & quo pacto denique Eccleſia ſancta in toto mundo cœperit, poſtea dicemus.

## Germani.

Tiberius Druſus. Rheti. Vindelici

AVguſti temporibus primum à Romanis tentati Germani ſunt. Tiberius & frater eius Druſus cũ exercitu in Germania ſuperiori fuerunt, & eos fines inuaſerunt, qui iuxta Rhetos & Vindelicos ſunt. Cæterùm regiones eas non planè ſubegerunt ſub ſuum imperium. Rheti ſunt, qui Eni fluuij vallem inhabitant, Tyrolis Bregetium vſque, Campodunum, & infrà vſque Nordlingum, vbi etiamnum reſtat nomẽ Ries. Vindelici ſunt,

Auguſta & ſuperior Bauaria. Druſus deſcendit Moguntiam vſque, & inde nō procul affectus malo quodam perijt.

Sub idem tempus præſidia Romanorum Coloniæ collocata in Vueſtphaliā & Saxoniā impetū fecerūt. Erat autē Saxoniæ dux Hermanus dictus, quē hiſtorici Arminiū vocant, in Cheruſcis princeps. Sunt autē Cheruſci ꝓpriè Herciniæ ſyluæ incolæ, ab ea parte, quæ infra circa Vueſurgū ad vrbē Bremam vſq; tenditur. Et meo quidē iudicio id Cheruſci eſt, quod vulgò Hertziſche dicunt noſtri. Cheruſci.

Arminius hic præter expectationē oppreßit Romanos, & fudit eorū circa 21 milia: præterea ingētes quoq; copias ſociorū populi Romani, qui tū militiā cū Romanis exercebāt. Arminius.

Quintilius Varus dux Romani exercitus ſibi ipſi gladio mortem conſciuit. De pugna commiſſa exactè Tacitus ſcripſit, nimirū inter Luppiam & Amiſiam fluuios, hoc eſt: ſub Caſſella oppido non lōge ab vrbe Vueſtphaliæ Padeborna. Sic enim inquit Tacitus: Quantúmque Amiſiā & Luppiam amnes inter vaſtatum, haud procul Theutoburgiēſi ſaltu, in quo reliquiæ Vari legionumq; inſepultæ dicebantur. Porrò ea ſtrages non mi- Quintilius Varus.

norem metum atque terrorem incuſsit populo Romano, q̃ cùm Cimbri Italiã depopulabantur. Etenim timebant Romani, ne Arminius armata vi imperium Romanum inuaderet, & Romã vſq; perueniret. Auguſtus periculi magnitudine adeò angebatur, vt mandarit omnes vbiq; in armis eſſe. Lachrymans etiã & magno eiulatu ſæpe clamaſſe fertur: Quintili, redde legiones. Cæterũ pulſi ab Arminio Romani ex Saxonia, effecerũt vt à vicinis bello peteretur Arminius. Erant hi tum Sueui & Bohemi ad Albim fluuium habitantes: ſed hi quoq; victi ſunt ab Arminio, & occupatis regionibus eorũ obtinuit Vueſtphaliam, Herciniam, Saxoniã, Marchiam, Miſniam, & Bohemiam. Imperauit circiter annos duodecim, & tandẽ per inſidias ſuorũ oppreſſus eſt. Sed hæc de Auguſti temporibus ſatis.

## Tertius Cæſar.

al. 3978. qui eſt Romæ 767, & Chriſti 17.

Anno mundi 3960
Anno Romæ 769
Anno Chriſti 16

ETſi poſt Auguſtum multi præclari imperatores fuerunt (nam cum Deus ſer-

uet reſpu-

uet reſpublicas, donat quoq; eiuſmodi homines, qui apti ſunt rebus magnis gerendis) tamen interim ſubinde inciderunt principes diſſoluti & praui, vt quidã feſtiuo ingenio vir veriſsimè videatur dixiſſe, Omnium bonorũ principum imagines in vno annulo poſſe exculpi. Atq; ſummopere vtile eſt, in hiſtorijs propoſita cernere, & malorũ principũ exempla, vt ex pœnæ terrore, qua puniti ſunt, iram Dei metuamus. Tiberius Auguſti filius non fuit, ſed mortuis veris hæredibus Auguſti adoptauit Tiberium Liuiæ filium, quæ nupſerat iam Auguſto: & quia fuit Tiberius miles ſtrenuus, vſus eo ſemper eſt Auguſtus imperatoris loco. Tiberius hic primus Cæſar fuit, cui ſe dedidit Senatus Romanus. Regnauit annos viginti tres. Tiberius.

Anno decimo quinto Tiberij egit Chriſtus dominus noſter annum ſuæ ætatis trigeſimum, & hoc anno baptizatus eſt à Ioanne Baptiſta, & auſpicatus eſt prædicationem Euangelij ſui, pœnitentiæ, & remiſsionis peccatorũ, ac vitæ æternæ. Fuit hoc à mundo anno 3975. Anno verò tricenteſimo & quadrageſimo poſt initium Monarchiæ Alexãdri. Adde vſque ad ſecundum Longimani al. 3991.

annum centum quadragintaquinque annos, Habes itaque quadringētos octogintaquinq; annos: atq; hæ ſunt ſexagintanouē hebdomadæ, de quibus à Daniele dictum eſt: id quod prolixius à nobis tractatum eſt ſuprà.

Chriſtus crucifixus

Anno decimooctauo Tiberij Chriſtus ſeruator noſter crucifigitur, moritur, & tertia die à morte reſurgit. Porrò poſt reſurrectionem mandatū apoſtolis ſuis dedit, vt p vniuerſum orbē Euangeliū prædicarent, id quod auſpicati ſunt facere ſtatim, vbi in die Pētecoſtes Spiritumſanctū è cœlo acceperunt poſt aſcenſionem Chriſti viſibilem in cœlum.

Eccleſia & ſpiritu ale regnū ubi.

Eſt itaque verbum Dei & ſpirituale regnum, adeóque Eccleſia credentium ſeu populus Chriſtianus iam non ſolùm in Iudaico regno, ſed in vniuerſo orbe, vbi ab apoſtolis prædicatur Euangelium, & quò ſcripta ipſorum deferuntur. Nam promiſerat Deus operaturum ſe per prædicationem verbi. Proinde vbi docetur Verbum, ibi neceſſē eſt eſſe aliquos, qui pertinent ad regnum Chriſti, in quo dominatur, & operatur Chriſtus, iuxta illud, Ego ero vobiſcum vſq; ad conſummationem ſeculi. Huic autem Domino Chriſto ſeruatori noſtro & Deo vero, laus, gloria &

gratiarũ actio debetur in ſempiternũ. Amẽ.

Iam verò reliquum eſt, vt porrò oſtendamus, q̃ ingentes & graues inſultus paſſa ſit Eccleſia Chriſtianorum, cùm per externas hoſtium perſequutiones, tum per hæreticos maximè, qui ſubinde Eccleſiæ concordiã impijs dogmatibus miſerè diſcerpſerunt: id quod lõgè maiorem cladem & contemptum attulit Eccleſiæ, q̃ vllæ externæ perſequutiones.

Anno decimonono Tiberij poſt reſurrectionẽ Chriſti lapidibus obrutus eſt Stephanus primus martyr, & eodem anno Paulus ad fidem conuerſus eſt. Id verò contigit — Stephan. lapidibus obrutus. ãl. 3996.

Anno mundi 3983
Anno Romæ 792
Anno Chriſti 39

CAius Caligula quartus Cæſar regnauit annos tres, & menſes decem: vita diſſolutiſſima fuit: omnibus ſororibus ſuis nefando concubitu ſtuprum intulit: tandẽ domeſtica coniuratione à præfecto ſui exercitus trucidatus eſt. Caligula hic imaginem ſui in templo Hieroſolymitano collocari iuſſit, vt adoraretur. Id quod & à Daniele prædictum erat: Cùm videbit Iſrael idôlum in templo collocatum, tunc finis prope erit. Contigit id — Caius Caligula.

al. 4004 Anno mundi 3987
Anno Romæ 796
Anno Chriſti 43

Claudius. CLaudius imperator quintus, regnauit annos tredecim, & menſes nouem: veneno necatus eſt. Secundo anno Claudij Petrus apoſtolus Romam venit, qui annos aliquot antea Antiochiæ prædicauerat: & hîc initium ſumit Romana eccleſia,

Anno 44 poſt natum Chriſtum.
al. 4018. Anno 3988 poſt creatum mundum.
Anno 797 poſt initiū cōditæ vrb. Ro.

Anno mundi 4000
Anno Romæ 809
Anno Chriſti 56

NEro ſextus Cæſar regnauit quatuordecim annos. Principio honeſtè vixit annos quinque, poſtea ob intemperantiam morum & tyrannidē flagitioſiſsimus fuit. Matrem ſuam, & coniugem, & præterea multos præclaros viros, inter quos Seneca fuit, occidit. Tandem deficientibus ab eo præfectis ſuis, cùm quæreretur à Senatu Romano ad ſupplicium, fugiens ſeipſum interfecit, priuſquam à militibus inueniretur: idq́ue contigit anno ætatis eius trigeſimo ſecūdo. Atque

regnũ Romanorũ prorſus tunc à poſteris & cognatis Auguſti, atq; Liuiæ trãſlatum eſt.

Neronis temporibus diuus Petrus cruci ſuffixus eſt Romæ. Poſt eum Linus papa factus eſt: & poſtea capite truncatus eſt apoſtolus Paulus. Et ſi ſupputes ãnos Pauli, prædicauit Euangeliũ circiter annos trigintaquatuor. Petrus crucifixus Linus papa. Paulus capite truncatus.

Tẽporibus Neronis apparuit cometa mẽſes ſex, præter morem cometarum, qui tanto tempore videri non ſolent. Antea quoq; ſub Claudio viſus eſt cometa & ſoles tres, qui haud dubiè portendebant, tres propter principatum imperij breui concertaturos. Equidem ad eundem modum arbitror ingentem cometam illum ſignificaſſe, nõ ſolùm ſeditionem, ſed immutationem in toto imperio Romano, & inprimis lamentabile excidium regni Iudaici.

INter Sergium Galbam, Othonem, & Vitellium concertatio fuit ob imperium, poſt obitum Neronis. Cæterùm Galba inſidijs Othonis in foro Romano iugulatus eſt. Poſtea in Germania ab exercitu Vitellius imperator creatus eſt, & copias aliquot in Italiam tranſmiſit. Quibus obuiam profectus Otho, quatuor cum illis pugnas commiſit: ter Sergius Galba. Ortho. Vitellius.

victor extitit, ſed in quarto prælio fuſus eſt eius exercitus. Et quanquam vltrô ad eum confluerent milites, tamen bellari diutius noluit. Etenim dixiſſe eum ferunt, ſe publicam pacem priuatæ ſuæ vitæ & gloriæ anteponere: & quarto menſe poſt mortuum Galbam ſeipſum pugione interfecit. Interea in

Veſpaſianus. Oriẽte à militibus imperator creatus eſt Veſpaſianus, miſit is exercitum in Italiã, à quo Vitellij copiæ fuſæ ſunt. Inde tumultus exorti ſunt Romæ, & captus Vitellius, religatis poſt tergum manibus, & laqueo ceruicibus iniecto, in luto per plateas diſtrahitur, & tãdem, vt commeruerat, occiſus eſt. Nam talis erat qui ferocis beſtiæ magis, quàm hominis appellationẽ merebatur. Primus hic tumultus fuit, qui propter electionem in imperio poſt Auguſtum contigit.

al. 4033. Anno mundi 4016

Anno Romæ 825

Anno Chriſti 72

VEſpaſianus ſeptimus Imperator regnauit annos nouem. Vir fuit ſapientia & honeſtate clarus, & digniſſimus imperio princeps. Nam cum Caligula, Claudius & Nero non ſolum omnem intemperantiam ſupra

*modum in alijs toleraſſent, ſed ipſi etiam exercuiſſent: hic contrà* Romæ *modeſtiæ diſciplinas, & honeſtas leges reſtituit. Auxit quoque non mediocriter imperium omnis generis commeatu, & in prouincijs neceſſaria ſubſidia rectè diſpoſuit. Præter hæc, & medicis, & aliarum artium profeſſoribus ſtipẽdia publica conſtituit* Romæ.

## Vltima deuaſtatio Hieruſalem.

S*Ecundo anno Veſpaſiani, Titus Veſpaſiani filius obſidere cœpit vrbem* Hieroſolymitanam, *cum Paſcha celebraretur mẽſe Aprili, & poſtea diripuit atq; exußit mẽſe Septembri.* Interea *autem temporis tanta calamitas fuit in vrbe præ fame, ſeditionibus & inteſtinis cædibus, quanta nunquam vlla in ciuitate fuiſſe legitur. Matres præ magnitudine famis coxerunt proprios filios, ſed fruſtrà. nam eos milites per vim auferebant & deuorabant, & matres interim inedia peribant. Extiterunt multi, qui ſibi ipſis mortem intulerunt. Scribit Ioſephus fuiſſe in vrbe circiter decies centena milia hominum. Nam cum Paſcha eſſet, magna admodum in vrbẽ multitudo conuenerat. Adhuc* Titus Veſpaſiani filius, Hieruſalẽ obſidet

quoque qui in pagis paſsim habitabant per totam Iudæam, confluxerunt ſimul in vrbem Hieroſolymam, non alia de cauſa, niſi quòd propugnaculo tam munitæ ciuitatis certiſsimam ſibi ſalutis ſpem promittteret. In tam ingenti multitudine hominum maxima propemodum pars fame, peſte, ac gladio perijt. Titus ſexdecim milia Alexandriam miſit, ad ſeruilia opera facienda, non aliter atque mancipia. Duo milia ſecum abduxit, quos in triumpho oſtentauit, & in ſpectaculis publicis ferocibus beſtijs lacerandos obiecit. Sed quid multa? nullius hominis oratio ſatis eſſe poteſt ad tantam calamitatem exprimendã. Voluit enim Deus nouum quoddam & ſingulare exemplum proponere hominibus, in quo cerni poſſet magnitudo iræ diuinæ aduerſus contemptores pietatis. Etenim ferreũ planè & adamantinum pectus eſſe oporteret, quod ad horrendum adeò exemplum nõ expaueſceret. Eſt autem omnino expendendum in hac hiſtoria, ꝙ ſi nulla erga hunc populum clementia vſus eſt Deus in puniendo propter impietatem, quem ſibi peculiarem vocauit, quique ex tã ſanctis & magnis patribus ortus erat: multo minus gentibus parcet. Et dũ

hæc minatur Deus, etiam miſericordiæ & beneuolentiæ diuinæ ſignificationem in eodem exemplo declarat: nimirũ vt non dubitemus poſt euerſum Iudaicum regnum, nos qui gentes ſumus, reuera populum electum, & filios Dei eſſe, ſi verè in Christum credimus.

Contigit hæc deuaſtatio Hieroſolymæ anno ſecundo Veſpaſiani: id verò fuit poſt natum Chriſtum anno ſeptuageſimo quarto, poſt paſſum Chriſtum anno quadrageſimo, à condito verò mundo anno quater milleſimo decimooctauo. Et ſteterat hoc templum poſt ſecundum Longimani annum, quingentos viginti ſex annos. al. 4035.

Portenderunt hoc excidium multa horribilia ſigna, quæ referre nos breuitatis ſtudiũ non ſinit. Toto fermè anno ſupra tẽplum ardens gladius viſus eſt. Id verò ideo adiecimus, ne quis temerè contemnat ſigna quæ diuinæ indignationis teſtimonia præ ſe ferunt, quibus ad pœnitentiã inuitamur, vt vel auertatur, vel mitigetur diuina vltio: id quod ex miſericordia Niniuitis diuinitus contigit.

Portenta uiſa ante deuaſtationem Hieroſol.

| | | |
|---|---|---|
| Anno mundi | 4025 | al. 4042. |
| Anno Romæ | 832 | |
| Anno Chriſti | 81 | |

Titi Veſpaſiani humanitas

TItus octauus Cæſar regnauit annis duobus. Veſpaſiani filius fuit, præditus omni genere heroicarum virtutum: quare cõmẽdatus ab omnibus nominari ſolebat, Amor & deliciæ humani generis. Porrò cùm ſenſiſſet machinari quoſdã cõtra ſe, vt Cæſareã dignitatem cõſequerentur, eos amice moneri iuſſit, vt ab inceptis huiuſmodi abſtinerent. nam ea in re omnes conatus vanos eſſe, & imperium Dei donũ eſſe, & illi cõtingere, cui ipſe largiatur: aliud nihil in eos tẽtauit aſperius. Titus obijt, vt quidã putãt, veneno necatus.

an. ætatis ſuæ 42.

Poſt mortuum Linum tertius Papa factus eſt Cletus.

al. 4044.

| | |
|---|---|
| Anno mundi | 4027 |
| Anno Romæ | 836 |
| Anno Chriſti | 83 |

Domitianus.

DOmitianus ix. Imperator, Titi frater regnauit annos quindecim. In Germania bella geßit, & potißimum quidem cõtra Cattos, quos hodie Heſſos appellamus. Increbili intemperantia, & tyrannide magna vſus eſt Romæ, quam ob rem occiſus eſt tandem. Expulit ex vrbe Roma Mathematicos & philoſophos, perſequutus eſt Chriſtianos, eosq; morte affecit Neronis exemplo.

Catti.

Mathematici Roma pulſi.

Cleto mortuo 4 Papa factus eſt Clemẽs huius nominis primus.

Anno mundi 4043
Anno Romæ 852
Anno Chriſti 99

NErua x. Imperator regnauit annũ vnũ & menſes quatuor. Adoptauit Traianum qui tum in Germania dux erat apud Colonienſes. Obijt Nerua annos 68 natus. Nerua. Abb. Vrſp. an. 72. nat.

Anno mundi 4044
Anno Romæ 853
Anno Chriſti 100

TRaianus xi. Imperator regnauit annos 19 & menſes ſex. Primus hic inter alienigenas imperatores fuit: erat enim non Italus, ſed Hiſpanus genere. Probitate adeò ſpectata fuit, vt poſtea ſemper quoties imperator deſignaretur, publicis votis optari ſolitũ fuerit, vt felicitate Auguſtum, & probitate Traianum adæquaret. Cùm præfectum prætorio deſignaſſet, gladium ei in manum porrexit, hæc verba ſubijciens: Vtere hoc gladio aduerſus hoſtes meos in iuſtis cauſis: ſin minus iuſtè egero, tũ in meipſum ſtringito gladium. Nunquã amplius patuit regnum Romanum atque Traiani temporibus & præ- Traianus Traiani inſigne dictum.

ter exẽpla Cæſarum reliquorum, vnus latiſſimè Orientales regiones occupauit. In Hungaria & Germania maxima bella geſſit.

Ioannes apoſtolus ex Pathmo rediẽs

Traiani temporibus Ioannes apoſtolus qui pulſus erat à Domitiano, Epheſum rediјt ex Pathmo inſula. Si annorum numerum reputes, reperies docuiſſe Ioannem plus quàm annos ſexaginta. Deus bone, quantas calamitates vidit Ioannes tanto tẽpore, inter quas vel maxima fuit, excidium patriæ ſuæ vrbis Hieroſolymitanæ, vt interim præterea, quã grauiter cum multis јsq́; peruerſis hæreticis depugnarit. Etenim legitur, veniſſe aliquãdo in balneum Ioãnem, & reperiſſe Cherinthum hæreticum vnà cum conſortio ſuorum ſedentem, inter quos Cherinthus acerrimè diſputabat, impudenterque blaſphemus negabat Chriſtum Deum eſſe. Atqui ſurgens Ioãnes, monuit amicos ſuos, qui aſſidebant, vt vnà ſecum abirent: nam non velle deum amplius ferre blaſphemias tam impudentes. Ilico verò cùm egreſſus eſſet, collapſa domus Cherinthum cum ſua cohorte extinxit. Exemplum horrendum eſt iræ diuinæ in eos, qui manifeſta impietate nomen Dei blaſphemant, quàm illos non patiatur tandem inultos.

Cherinth. hæreticus.

*Mortuo Clementi ſucceßit 5 papa Anacletus: deinde Euariſtus. Euariſto defuncto. 7 papa Alexander primus huius nominis factus eſt.*

*Sub Traiano multi Chriſtianorum adflicti ſunt. Cæterùm decretum poſtea eſt, vt non protraherentur in iudicium, niſi accuſarentur publicè prius, & tum pœnas darẽt: atq; id contigit Plinij beneficio. Perijt Traianus profluuio ventris.*

Chriſtianorũ perſecutio ſub Traiano.

an. ætatis ſuæ. 73.

| | |
|---|---|
| *Anno mundi* | 4064 |
| *Anno Romæ* | 873 |
| *Anno Chriſti* | 120 |

*ADrianus xij Cæſar annos 20 regnauit, adoptatus eſt à Traiano. Princeps magnæ prudentiæ fuit, nõ bellis gerẽdis Traiani exẽplo, ſed publicæ paci quacunq; occaſione ſtuduit: atq; hoc modo in optimã formam imperium reſtituit, quare & ſummã apud omnes laudẽ meruit. Poſt Auguſtum non fuit alius Imperator vtilior Romano regno atq; hic Adrianus. Aſtronomiæ eruditiſſimus fuit, & quotãnis ſibijpſi prognoſticon conſcribere ſolebat. Indoctos literarum profeſſores exauctorauit, ſed ſuis beneficijs aluit interim ne egerent: & eruditos ac vtiles ad*

docendum in locum eorum ſuffecit. Bibliothecas quoque inſignes inſtruxit: in vtraque enim lingua eruditiſsimus eſt habitus.

*Iudæi meſsiam reperiũt.*

Adriani temporibus regnum ſuum reſtaurare cœperunt Iudæi, Meſsia etiam quodam ex ſuis reperto, ſed vicit eos Adrianus, quãquã nõ ſine magno negocio. Poſtea Hieruſalẽ iuſsit reparari, et à ſuo nomine Eliã dici.

*Adriani clemenſia erga Chriſtianos.*

Chriſtianis grauiter primum aduerſatus eſt, & affligi eos præcepit: ſed poſtea cùm eruditi * quidã Chriſtiani libellos ſcripſiſſent ad Cæſarem, qui etiamnum hodie extant, cõmotus eſt, ac iuſſit neminem deinceps religionis cauſa comprehendi.

** Quadratus Ariſtides Athenienſis*

Alexandro ſucceſsit octauus pontifex Xiſtus primus huius nominis.

Poſt Xiſtum ſucceſsit in Papatu Teleſphorus nonus. ~~Hũc ferunt auctorem fuiſſe ieiunij quadrageſimalis.~~

*Serenus Cranius Abb. Vrſp.*

Anno Chriſti 140

ANtoninus pius xiij. Imperator, adoptatus eſt ab Adriano: regnauit annos 23, & tanta quidem modeſtia ac ſtudio pacis, vt ſæpe dixiſſe feratur, Honeſtius eſſe à Cæſare vnum ciuem ſeruari, quàm mille hoſtes occidi.

Teleſphoro ſucceſsit Hyginius decimus pontifex.

Hyginio Pius II. Pio, duodecimus Anicetus.

Anno Chriſti 163

Marcus Antonin. Lucius Verus.

MArcus Antoninus Philoſophus 14 Imperator regnauit annos 19 is cum fratre Lucio Vero æquo iure adminiſtrauit imperium, & duo hi primum ſimul imperatores fuerunt. At Verus non multo tempore vixit in imperio. Marcus & virtute & eruditione iuxtà fuit inſignis. Bella quoque geſsit in Germania, contra illos qui Morauiam & Sileſiam inhabitabant, & aduerſus Vandalos quoque. Multas præclaras leges conſcripſit, quæ adhuc extant in Pandectarum libris. Integros quoque libros edidit, quos vidimus nos.

Ptolemæus aſtronomus.

Porrò huius temporibus Ptolemæus aſtronomus vixit, cuius merito hic mentionem facimus. Nam Deus voluit tam inſignes diſciplinas per hunc virum vſque ad hæc noſtra tempora conſeruari. Neque verò Ptolemæus hic rex erat (nam tum deſiit AEgyptus habere reges) ſed in AEgypto apud Alexãdrinos philoſophus erat. Ornauerat enim Deus mathematicis diſciplinis AEgyptum iam in-

AEgyp. ornata diſciplinis mathematicis.

de à Ioſephi Iacob patriarchæ filij tẽporibus, per quẽ eas primùm accepit Ægyptus, & retinuit vſq; ad hunc Ptolemæum. Id verò eſt circiter duo milia annorum. Nã primum Alexander, deinde & Romani ſummo in precio habuerunt Ægyptum hoc nomine: & ne perirẽt tam præclaræ artes, maximos ſumptus impẽderunt ad cõſeruandam ſcholam, quæ tum demũ extincta quoq; eſt, quãdo trãſlatum à Romanis regnum Ægypti, à Mahomete miſerè deſolatum eſt. Cæterùm vt reliquiæ ſaltẽ aliquæ reſtarẽt artium tam neceſſariarum, voluit haud dubiè Deus per hunc virum eas veluti in ordinem redigi, vt conſeruarentur apud poſteritatem, quo nomine ſummæ à nobis gratiæ debentur deo. Mahometiſtæ verò quàm nihil habeant in ſe dignum humanitatis vocabulo, imò verò quòd beſtiæ magis, quàm homines dici mereãtur, vel inde apparet, quòd tam vetuſtum gymnaſium, quod iam ſupra duo annorum milia floruerat, conſeruatum à tam præclaris principibus, in quo omnis generis ſapiẽtia & diſciplinæ non ſine ſummo beneficio diuino tradebantur, aboleri & perire voluerunt.

*Schola Alexãdrina.*

*Mahometiſtæ.*

Aniceto ſucceßit 13 pontifex Soter: à

quo

quo ſtatutum eſt, deſponſatos in matrimoniũ publicè coram eccleſia copulari.

*Anno Chriſti 183*

COmmodus 15 Cæſar imperauit annos duodecim, & crudelitate planè Neronem adæquauit. Cõmodus.

*Soteri ſucceſſor in papatu 14 Eleutherius fuit.*

*Anno Chriſti. 195*

AElius Pertinax 16 imperator regnauit menſes ſex. Confoſſus eſt à Iuliano, qui Cæſareum nomen à militibus emit. AElius Pertinax.

*Anno Chriſti 196*

DIdius Iulianus 17 imperator regnauit menſes 7. Iuris doctiſsimus fuit, occiſus eſt à Seuero. Didius Iulianus.

*Anno Chriſti 196*

SEuerus 18 imperator regnauit ãnos octodecim. Hic varijs periculis reſtaurauit collapſum imperium.

*Eleutherij in papatu ſucceſſor fuit 15 papa Victor.*

*Victori ſucceſsit 16 Zepherinus. Huius tẽporis Origenes fuit, qui Alexandriæ ſacras literas profeſſus eſt. Huius libri poſtea reiecti ſunt, q̃ diſputationes inutiles, & allegorias* Origenes profeſſor Alexandriæ.

ſuperuacaneas inuexerat. Poſtea receptū eſt vulgò philoſophiā Platonis ſacris literis immiſcere, vnde plurima incommoda in eccleſiam irrepſerunt. Nam Platonis philoſophia planè remota eſt à communi vſu: & contrà, Ariſtotelis philoſophia pulchro & recto ordine conſtat: & ſi verè vſurpetur, & intelligatur, plurimum ſanè vtilitatis adferre poteſt Chriſtianis qui eruditi ſunt.

Anno Chriſti 214

Antoninus Biſſian.

ANtoninus Baſsianus Caracalla xix. Cæſar regnauit ſex annos. Fratrem germanum ſuum Getam occidi iuſsit: nouercæ ſuæ coniugio copulatus eſt. Poſtulauit à Papiniano iuriſconſulto, vt parridicium in fratrem admiſſum excuſaret. Ad quod reſpōſum à Papiniano eſt, Non perinde facile eſſe defendere parricidium, quàm perpetrare. Quam ob rem & occidi iuſsit Antoninus Papinianū, qui dignus erat iuriſconſultus haberi: nimirum qui iuſtitiæ & honeſtatis nomine vitæ periculū maluerit ſubire, quam factum inhoneſtum probare. Non multo poſt tempore cùm viciſsim quoque occideretur Cæſar Baſianus, meritas ſuæ tyrānidis pœnas dedit.

A Macrino ann. nat. 44

Zepherino ſucceßit in pontificatu Calliſtus decimuſſeptimus pontifex.

MAcrinus xx. vnà cum filio Diadumeno regnauit non amplius vno anno, mẽſes duos. Vterque obtruncatus perijt. Macrin.

Anno Chriſti 221

VArus Heliogabalus xxi. imperator imperauit annos 4. nullã de ſe niſi fœdiſſimæ beſtiæ memoriam reliquit: tandẽ à militibus necatus eſt. Varus. Heliogabalus. ann. nat. 16.

Anno Chriſti 225

ALexãder Seuerus vigeſimuſſecundus imperator, mater eius dicta Mammæa fuit, regnauit annos tredecim. Baßiani filium fuiſſe tradunt. Cæſar creatus eſt non amplius annos 12 natus, deſignatus per milites, & id ratum ſuo conſenſu Senatus fecit. Ob virtutis ſtudium magnæ eius laudes prædicantur. In rebus omnibus vnius Vlpiani iuriſcõſulti conſilio vſus eſt. & præter hunc vnũ neminem ſolũ in colloquiũ admiſit. Id verò indignè ferebant milites, vel ea potißimũ cauſa, ꝙ ex huius viri cõſilio à Cæſare in officio retinebantur durius. Et cum hoc nomine irruẽtes ſemel in eum mortem minitarentur, proſilijt Cæſar, & ſuum corpus periculis Vlpiani in- Alexand. Seuerus. Vlpianus.

terpoſuit, & ſuo cum pallio texit: vt intelligerent milites, ſalutem Vlpiani Cæſari curæ eſſe. Inſigne hoc erat virtutis imperatoriæ exẽplum, quo ſignificatur darè, maximos principes vitam & corpus ſuum pro iuſtitia & æquitate conſeruanda poſtponere debere.

Calliſto ſucceſſit 18 papa Vrbanus primus huius nominis. Poſt Vrbanum in papatum ſuffectus eſt 19 pontifex Pontianus.

*Anno Chriſti 238*

MAximinus 23 imperator regnauit annos tres. Is cum iuuenis eſſet, in Thracia paſtor fuerat: poſtea militiã ſequutus eſt: & ob inuſitatã magnitudinẽ corporis, quã cum ſingulari audacia cõiunctã habuit: eò ſenſim pgreſſus eſt, vt Cæſar ab exercitu ſine omni auctoritate Senatus electus ſit. Germaniam domuit vſq; ad Herciniã ſyluã, & ſuperiorẽ eam partẽ vſq; ad Francos. Magnã tyrãnidem exercuit, quãobrem & cõtra eum alios imperatores deſignauit Senatus Romanus. Et hoc nomine aliquoties inter ipſos Romanos pugnæ cõmiſſæ ſunt, in quibus iunior Gordianus trucidatus eſt, & natu grandior Gordianus laqueo ſibijpſi vitam abſtulit. Poſtremò autem Maximinus vnà cum filio ſuo tru-

cidatus eſt Aquileiæ á militibus.

Antherus papa 20 poſt Pōtianū creatus eſt.

Anno Chriſti 241

GOrdianus 24 imperator regnauit annos ſex. Imperator à Senatu deſignatus eſt, vnà cum Pupieno & Balbino aduerſus Maximinum. Pupienus & Balbinus cū recuſarent omnia indulgere militibus, quæ poſtulabant, ab ipſis trucidati ſunt Romæ: atq; hac occaſione Gordianus iunior imperio ſolus potitus eſt. Victoriam à Perſis in Oriēte reportauit, & pleraſque vrbes imperio reſtituit. Cæterùm cum inediam pateretur exercitus, Philippus imperator factus eſt, cuius iuſſu trucidatus eſt Gordianus.

Gordianus.

Nat. an. 20.

Gordiano imperatore facto tantæ magnitudinis Eclipſis ſolis contigit, vt interea dum durabat, luminibus incenſis vti neceſſe fuerit. Quinetiam terræ motus fuerunt, quibus perierunt & vrbes nonnullæ.

Eclipſis ſolis.

Anno Chriſti 247

PHilippus 25 Cæſar regnauit annos quīq;. Genere Arabs fuit, multis annis exercitui præfuerat. Euexit hic ad imperij adminiſtrationē ſimul filium ſuum Philippū. Vter-

Philippus Cæſar primus Chriſtianus.

*que autem Decij opera interfectus eſt ob ſuſceptum baptiſmum, & profeßionem Chriſtiani nominis. Ita enim mutuis inter ſe cædibus ſæuierunt imperatores permittente Deo, vt id meritò nobis metum terroris diuini incutere debeat.*

al. eſt 4209.

*Anno mundi* 4192

*Anno Chriſti* 248

*Agitur ſub horũ imperio milleſimus annus cõditæ Romanæ vrbis, qui magnificẽtißima põpa ludorũ ſecularium celebratus eſt.*

*In papatu ſucceßit Anthero Fabianus xxi. Ab hoc ferunt baptiſmo inſignitũ Cæſarem Philippum, & fuiſſe Philippum inter Cæſares primum qui Chriſtianam religionem profeſſus ſit.*

*Anno Chriſti* 253

Decius.

*DEcius xxvi imperator regnauit duos annos. Fuit non minus prudens princeps, quàm miles ſtrenuus. Filium quoque ſecũ vnà in imperium euexit. Ambo cæſi ſunt à Gotthis, poſtquam in Thraciam irruperant, & deinde Hungariam verſus ſeſe conuerterãt.*

Gothicæ hiſtoriæ initium.

*Etſi autem & antea quoq; cũ Gotthis barbaris res fuerat Romanis, tamẽ hic libet initia hiſtoriæ Gotthorũ auſpicari. Etenim ha-*

*buerunt tum exercitum circiter trecēta milia: & memorabile facinus perpetrarunt in Decio vincendo, principe adeò ſtrenuo. Sed Deus vlciſci tandem voluit eam tyrānidem, qua publico edicto propoſito, omnes Chriſti cultores necari iuſſit Nam Fabianū pōtificē & Cyprianum in Aphrica, & multos alios ſanctos viros morte adfecit. Proinde Gothi, aliæq; peregrinæ gentes, irruptione facta, totum regnum Romanum diuellunt, ob effuſum ſanguinem Chriſtianorum. Et hæc futura eſſe vaticinata Sybilla fuerat, & clarè quoque in Apocalypſi expreſſa ſunt.* **Cyprianus martyr.**

*Fabiano ſucceſſit 22 papa Cornelius, qui damnauit hæreſim Nouatij, de peruerſa doctrina pœnitentiæ. Docebat enim poſt baptiſmum acceptum, relapſos in peccatum redire ad ſalutem non poſſe, & errore hoc impio multos ad deſperationem adegit, & Eccleſiarum concordiam diſsipauit.* **Nouatij hæreſis.**

*Anno Chriſti* 255

V*Ibius Gallus xxvij. imperator regnauit annis duobus vnà cum filio ſuo Voluſiano. Decio enim occiſo, Gallus ab exercitu Cæſar ſalutatus eſt. Poſtea à militibus ambo interfecti ſunt.* **Vibius Gallus. Voluſianus.**

Poſt Cornelium pontifex 23 factus eſt Lucius.

Anno Chriſti 257

Valerianus. VAlerianus Cæſar 28 præfuit imperio annos ſex. In Germania ſuperiori Cæſar ab exercitu electus eſt, & id ſenatus confirmauit. Erat enim ex nobiliſsima familia Romæ natus, & ſtrenuum ſe in Germania geſſerat. Tandem apud Perſas à rege Sapore captus eſt, & in turpiſsima ſeruitute vixit. Erat enĩ rex Barbarus tanta inſolentia & inhumanitate, vt capto Cæſare ſellæ loco vteretur: & equitaturus Valeriani proſtrati tergum calcaret equum aſcendens: cæterùm dignas viciſsim pœnas dedit Sapores Odenato duci Romanorum.

Galienus. GAlienus Valeriani filius 29 imperator vnà cum patre Valeriano imperio præfuit, & poſt captum patrẽ regnauit annos 9. Eruditus in bonis artibus fuit: ſed immodico luxu & crapula diffluens ſegniter adminiſtrauit regnũ, vnde plurimis regionibus ſub eo diminutũ eſt. Interea in Germania exercitus præfectus Poſthumus erat, qui ob ſingularem in officio ſuo faciẽdo ſedulitatẽ, ab exercitu Cæſar creatus eſt. Cæterùm cùm copias

Poſthumus.

ſuas miſiſſet Galienus contra Poſthumũ, prærauit inter cæteros in expeditionem Francos. Atq; ex hac occaſione primũ omniũ ad bellum concitati ſunt Franci, qui poſtea etiã cũ per inſidias & ꝓditionẽ periiſſet Poſthumus, ſemper in armis manſerunt, id quod & infrà dicemus, quando de Carolo tractatio incidet. Obiter autẽ indicare hæc voluimus ſub compendio, ne ignorare poßet lector, quæ occaſio fuerit Francis, ꝓpter quam Romanis ſe oppoſuerunt primũ, & eadẽ occaſione poſtea & in Germania & Gallia facti ſunt potentiores. Itaq; ad hunc modũ primum Gotthi cœperunt deuaſtare regnum Romanum, poſtea Franci, ac deinde alij etiam populi, vt interim taceam de ea clade, quæ à Perſis orientalibus eſt illata. Franci Romanis ſe opponẽtes.

Anno Christi 272

FLauius Claudius xxx. Cæſar regnauit annos duos. Hic maximas laudes ob inſignes & verè heroicas virtutes meruit. Quare ſimul ei à Galieno ante obitũ, deinde ab exercitu & à Senatu pari conſenſu delatum eſt imperium. Incredibiliter contra Gotthos in Hungaria & Macedonia pugnauit, & victoria ſemper potitus eſt. Etiã Germanos, Flauius Claudius.

qui in Italiam irruperant, ſuperauit. Reſtituit & AEgyptum imperio. Verùm inuiderunt fata vitam longiorem Claudio, fortaſſe, quòd indigni erant Romani tanto principe. Nam collabi iam debebat ſenſim imperium Romanum, quod nonnihil reparatum & reſtitutum eſt per Claudium, & tres ac quatuor alios ſucceſſores eius Ex genere eius Claudij Conſtantinus Magnus natus eſt, id quod poſtea oſtendemus.

Conſtantinus Magnus.

Valerianus pontificem Lucium martyrio adfecit. Succeßit illi in papatu 24 Stephanus huius nominis primus.

Stephani ſucceſſor fuit 25 papa Xyſtus ſecundus huius appellationis. Xyſtum ſequutus eſt 26 papa Dionyſius.

Anno Chriſti 274

Aurelianus.

AVrelianus xxxi. Cæſar, regnauit annos quinque, & menſes ſex. Propter excellentes virtutes in re militari à Claudio ad imperium euectus eſt. Francos graui pugna, non longè à Moguntia vicit, poſtea & Gotthos ſimiliter in Illyrico. Ad hæc quoq; in Oriēte reginam Zenobiam ſuperauit, quæ ſupra naturam muliebrem maximas res geßit, & magna bella intulit Romanis.

Franci pugna victi.

*Meretur & inde non vulgarem laudem, quòd in exercitu & inter milites modeſtiam & diſciplinam militarem firmiter ſemper ſeruatã voluit. Accidit enim vt miles per vim ſtuprũ inferret hoſpitæ ſuæ: quod vbi reſciuit Aurelianus, grauiſsimo ſupplicij genere adulterũ puniri voluit: iuſsit arbores duas è ſummo curuari in terram vſque, & vtriuſque ramis ſtupratorem adligari, ac deinde ſolutis magna vi iterum ſurſum tendentibus diſcerpi iuuenẽ. Fuit & hic Aurelianus acerrimus Chriſtiani nominis perſequutor.*

## Manichæi hæretici.

*STatim poſt prædicatũ Euangelium ſectæ & diſſenſiones inter Chriſtianos exortæ ſunt. Verùm in hoc libello animus non fuit ſingulorum erroneas opiniones referre: tantùm maximas hæreſes volui commemorare, quæ multas magnáſque regiones & vrbes infecerunt ſua contagione, & cõturbarunt: vt cognoſcat lector pius, nihil in rebus humanis peſtilentius eſſe praua doctrina, atque adeò etiam omnes hæreticos ſeditionis cupidos eſſe, neque adfectare aliud, quàm vt errorem ſuum ſeditione & tumultu publico*

Hæreticos ſeditionis eſſe cupidos.

*tueantur & latiſsimè propagent. Nam Satan auctor eorum mendax pariter & homicida eſt. Vtrunque enim in omnibus ſchiſmaticis palàm eſt, qui ſimul falſa docent, & cædem per ſeditiones, & perturbationem Rerúmpublicarum, excitare ſolent.*

Manichæi hæretici. Manes ex Perſia, Manichæorum doctrina.

*Aureliani tẽporibus Manichæi hæretici primũ cœperunt, & horũ auctor Manes fuit ex Perſia oriundus. Latiſsimè hic primùm apud Arabas, deinde in Aphrica virus ſuum ſparſit, quod tanto ſucceſſu ꝓpagatum eſt, vt poſtea per annos ducentos ſopiri nõ potuerit. Caput doctrinæ eorũ erat, duos deos eſſe, alterum bonũ, alterũ malũ, & vtrunque iuxta æternũ. Probabilis viſa eſt hæc doctrina rationi humanæ Nam cùm Deus natura bonus ſit, & interim malũ tantã vim habeat, neceſſariò & Deũ eſſe peculiarẽ, qui malorum auctor eſſet, potẽtia & æternitate alteri Deo æqualis. Præter hæc & alias habuerunt opiniones quas docebãt, Chriſtum nõ eſſe verum Deum: neq; etiam recipiebant apoſtolorũ libros, ſed ſua dogmata ſingularia confingebant, quæ Chriſti euangelium quoque vocabant: gloriabantur & de peculiaribus illuminationibus è cœlo, dicebãtq; ſe donare ſpi-*

ritum ſanctum. Inſtituerunt & ceremonias peculiares: vſi ſunt & ciborum delectu: matrimonia interdixerunt, affirmantes per hæc contingere ſpiritum ſanctum. Docuerunt & reijciendam eſſe ciuilem poteſtatem. Nã matrimonium, & rerumpublicarum gubernationem ex malo Deo proueniſſe, non à bono Deo eſſe cõſtituta. Noſtra ætate in hanc hæreſim planè prolapſus eſt Thomas Monetarius apud Thuringios. Thomas Monetarius.

Anno Chriſti 280

TAcitus xxxij. imperator regnauit menſes ſex. Tacitus.

PRobus xxxiij. Imperator imperauit annos ſex & menſes quatuor. Commemoratur hic inter laudatiſsimos principes: electus à militibus eſt, & confirmatus à Senatu. In Germania ſuperiori & inferiori pacis cõſtituendæ auctor fuit: Francos & Thuringios vicit, & in huius imperatoris annalibus prima Thuringicæ gentis mentio facta eſt. Probus.

Dionyſio ſucceſsit in Papatu 27 pontifex Felix.

Felici 28 papa Eutychianus.

Eutychianum ſecutus eſt 29 pontifex Caius.

*Anno Chriſti* 286

Carus.

C *Arus xxxiiij. Cæſar regnauit annos duos. Filios ſuos Carinum & Numerianum ſecum imperatores fecit. Numerianus & probitate & eruditione clarus fuit. Carinus ob nequitiam Neronem adæquauit.*

*Anno Chriſti* 288.

Diocletianus.

D *Iocletianus xxxv. imperator regnauit annos viginti. Matura ſapientia princeps fuit, & multis præclaris factis exornatus. Ægyptum reſtituit ad imperium. Cæterùm Chriſtianæ profeßionis acerrimus hoſtis fuit. Nam priſtinum ſtatum imperij, veteremque Reipu. formam ſtudebat reuocare: & cũ ex rationis iudicio ageret omnia, ferre nõ voluit diſſentientes opiniones de religione. Et cũ cognoſceret in tãta varietate circũſtrepentiũ bellorũ, ſe ſolũ non poſſe tanti imperij magnitudinẽ cõſeruare: præterea quod acciderat ſæpe, alios per ſeditiones imperiũ adfectaſſe, & imperatores factos eſſe, ipſe vltro iuxta ſe Maximianum pari potentia voluit imperare, & is bellum in Gallia geßit.*

Maximianus.

*Porrò pares hi duo in imperio Auguſti appellati ſunt. Hi Auguſti elegerunt & alios duos, qui non potentia pares, ſed veluti*

ſucceſſores erant: neque verò illi Auguſti, ſed Cæſares dicebantur. Diocletianus Galerium, Maximianus Conſtantium elegit: vterque autem Auguſtus Diocletianus & Maximianus, poſtea depoſita adminiſtratione imperij ad priuatæ vitæ tranquillitatem reuerſi ſunt vltrò. Verùm cùm Maximianus iterũ libẽter rediſſet ad imperiũ, vt ea occaſione Maxentium filiũ ſuum in regnum promoueret, hac de cauſa eum Conſtantius gener ipſius trucidari iuſsit. Ita ferè accidere ſolet, vt quoties ruitura ſunt magna imperia, omnia ſeditionibus, & inteſtinis ſimultatibus prius repleantur: id quod hoc exẽplũ teſtatur. Diocletianus multos annos priuatus vixit: tandẽ ſeipſum interemit, cùm à Licinio & Conſtãtio timeret ſibi, quibus ſuſpectus erat, ꝙ Maxentij hoſtis eorũ partes eſſet ſequutus.

Galerius. Maxẽti. Conſtãtius.

*Anno Chriſti* 308

CONſtãtius xxxvi. Cæſar regnauit vnà cũ Galerio Maximiano, magnaq; cũ laude vterq; Cæſar fuit. Cõſtãtius defuncto Diocletiano imperauit annos quatuor. Galliarũ & Germaniæ regiones ſubiectas habuit, & pacatas eas reddidit. Francos & Alemanos vicit. Nam in hunc modum parti-

Conſtantius. Germaniæ diuiſio.

ta Germania eſt: Franci eam ſibi Germaniæ partem vſurparunt, quæ circa Rhenum ſita eſt. Alemani dicti ſunt Germani ſuperiores. Conſtantius apud Anglicos obijt, cui ſuffectus eſt in imperium Conſtantinus filius.

Anno Chriſti 312

Conſtantinus.

Maxẽtius in Tyberi ſubmerſus.

CONſtantinus xxxvij. Cæſar imperauit triginta annos, reſtituit in quietem & tranquillitatem priſtinam imperium. Nam cùm crudeliter tyrãnidem exercuiſſet Romæ Maxentius, victus à Conſtantino in Tyberi fluuio ſubmerſus eſt inter fugiendum, deditq; dignas ſuæ tyrannidis pœnas, quam cùm in alios homines, tum in Chriſtiani nominis profeſſores maximè exercuerat. Itaque annis aliquot Conſtãtinus & Licinius vnà imperium adminiſtrarunt in ſumma cõcordia, & tradidit Conſtantinus ſororem ſuam Licinio in matrimonium. Cæterùm vſu ſæpe euenire videmus in maximo imperio huiuſmodi cauſas incidere plerunque, de quibus inter duos raró conuenire ſolet. Tradunt diſſenſionis cauſam inter Conſtãtinum & Licinium fuiſſe inde exortam, quòd Licinius Chriſtianis infeſtus eſſet, & petiſſe ſæpe Conſtantinum, ne quid huiuſmodi amplius moliretur.

Conſtantini & Licinij diſſenſionis cauſa.

Tandem

Tandem coactus magna neceſsitate Conſtā-tinus vicit Licinium, ſed viuum reliquit, hac lege, vt depoſito imperio priuatus viueret. Proinde Conſtantinus poſtea ſolus imperio præfuit, & omnia in pacem & honeſtas leges redegit. Primus hic Cæſar Chriſtiani nominis profeſſor fuit. Neque dubium eſt, quin verè pius fuerit princeps: nam tanto in honore ſacroſanctum Euangelium habuit, vt in publicum ſuæ fidei teſtimonium palàm Euangelicum codicem ſemper voluerit ſibi præferri. Mandauit & priuatis ſumptibus ſacra Bibliorum volumina deſcribi, eaq́; curauit in omnes paſsim regiones mitti. Effecit vt ſanctum & vtile pariter Nicenum concilium cogeretur, vt hoc modo ſuis temporibus eccleſiæ ſtatum trāquillum redderet. Ea demum facta ſunt digna bono principe, quæ longè ampliorem commendationem merentur, quàm quòd ſummo pōtifici multa beneficia dicitur contuliſſe. Quanquam & hoc nomine laudem meretur optimus imperator, quòd eleemoſynas & beneficia contulit ad doctrinæ Euangelicæ & miniſtrorū Eccleſiæ cōſeruationem. Cæterùm ea fuiſſe Conſtātinū liberalitate in ſummum pōtificem, vt in eius

Conſtantini ſtudiū in conſeruando Euangelio.

Nicenū cōcilium.

vſum vrbem Romam, & mediam imperij partem donauerit, quemadmodum fabulantur quidam: id nullæ receptæ hiſtoriæ teſtantur.

Conſtantinopolis. Bizantiũ.

Conſtantinopolis vrbs ab hoc Cæſare ædificata eſt, & ab eo nomen habet, cùm anteà eodem in loco vrbs mercimoniorum frequẽtia inſignis Bizantium diceretur. Cõſtantinopolin poſtea imperij ſedes tranſlata eſt, id quod ſequentes hiſtoriæ teſtantur.

Porrò cum dubium non ſit, eſſe hunc principem vnum, eumque non vulgarem ex illorum heroũ numero, quos magnis virtutibus exornauit Deus: originem generis eius meritò hic recenſebimus, vt cognoſcatur, ſummas illas, & heroicas virtutes peculiariter in magnas & nobiles familias à Deo conferri.

Claudius laudatiſſimi nominis imperator fratres duos habuit, Quintilium & Criſpũ. Criſpi filia Claudia in matrimonium tradita eſt generoſo principi Eutropio. Atque hi ſunt origo generis Conſtantini,

Cõſtãtini maiores.

| | |
|---|---|
| Eutropius primarius princeps Romæ. | Claudia Cæſaris Claudij fratris filia. |

Conſtantius Cæſar habuit

Helenã: huius filius erat Cõſtãtinus Magnus, eius vxor Fauſta Maximiani filia, quorũ filij fuerunt Conſtantius Couſtantinus & Conſtans.

Theodoram priuignam Maximiani: huius filius Conſtantius: & hic filios habuit Gallum & Iulianum.

## Arrius hæreticus.

TEmpore Conſtantini Arrius vixit. Profeſſor hic erat in ſchola Alexãdriæ apud AEgyptios, cuius hæreſi & errore miſerabiliter eccleſiæ concordia diuiſa eſt. Docuit enim, Chriſtum non eſſe verè & naturaliter Deum. Cæterùm quibus ad hũc errorem confirmandum perſuaſionum lenociniis vſus ſit, lõgum nimis eſt hic commemorare. Ita autem placuit hic error orbi, vt doctiſſimi epiſcopi, & vniuerſa ferè oriẽtalis eccleſia, plurimi etiam in Occidẽte eum amplexi ſint. Interim tamen duo pietate inſignes epiſcopi reſtiterunt huic hæreſi grauiter. Primus Alexander erat, qui impetrauit à Conſtantino, vt Nicænum concilium cogeretur, in quo

Arrij dogma.

Alexãder episcopus.

damnata eſt hæreſis Arriana. Proinde deſtitutus & proſcriptus ex regno eſt Arrius. Atqui mortuo Conſtantino, preſbyter quidã apud Conſtantium erat in ſumma familiaritate, & cui omnia ſua conſilia crediderat, qui effecit ſuo ſuaſu apud Imperatorem, vt reuocatus Arrius priſtino ſuo officio fungeretur. Sopitum vtcunque incendium antea, iterum iam exardeſcere cœpit vehementius, adeò vt Cæſar Conſtantius etiã hunc errorem Arrij cõplecteretur. Cæterùm ſtatuto tandem die à Conſtantio, quo Alexander & Arrius inter ſe publicè conferrent de ſcripturis, totam noctem in orationibus cõſumpſit Alexander in templo orans Deum, ne Arrianæ ſectæ contagium ſerperet latius.

Cõſtãtius factus Arrianus.

Quare mane ſub conſtitutam diſputationis horam, cùm in auditorium pergeret Arrius, cœpit inter eundum ventris dolore laborare, & exonerandæ alui cauſa cloacam ingreſſus eſt, vbi præter omniũ opinionẽ fataliter ilico periјt. Verùm extincto in hunc modũ Arrio, nõ deſiit tamen peſtilens eius doctrinæ ſemẽ latius diffundi, vtpote quòd coniurati eius ſectæ cœperint multo etiam vehemẽtius propagare. Tandem & Alexandro mortuo.

Arrii mors,

Athanaſius oppoſuit ſe Arrianis: ſed hic proſcriptus à Conſtantio ex AEgypto Treuirim vſque vrbem profugit. Et quanquam longiſsima hæc fuga erat, tamen coactus eſt exul clàm deliteſcere in octauum vſque annum apud Treuiros. Interea magna vi aucta hæc hæreſis, ſerpſit per totam Orientalem eccleſiam, adeò etiam, vt maxima pars Chriſtianorum, ad tempus Arrianorum ſectæ adhæreret, atque ex hac hæreſi aliæ plures ſectæ ſuppullularunt ſenſim. Tandẽ verò vbi multorum conciliorum decretis nomen Arrianorum extinctum eſſet, tamen ſubinde iterum ſub aliorum nominibus eadẽ ſecta renouata eſt in eccleſia. Erant vna in vrbe variæ opiniones, & ſectæ diuerſæ. perſequebãtur ſe mutuò, adeò vt in aliorum templa irruentes tumultuarentur, & cladem committerent. Miſerabilis omnino & calamitoſa tum erat facies eccleſiæ, quæ merito offendiculi occaſionem non tantũ gentibus præbuit, quominus amplecterentur verbum, ſed alios etiam offendit, vt à Chriſtianiſmo ad gẽtium idololatriam deſciſcerent: inter quos & Iulianus Cæſar fuit. In hæc ipſa tempora huius tam pernicioſæ hæreſæos incidit Mahomet

Athanaſius proſcriptus Treuirim profugit ex AEgypto.

tandem, cui commodè per Arrium veluti feneſtra patefacta erat: fuitque huius crudeliſsimi Antichriſti præcurſor. Nam cùm in tanta diſſenſione opinionum mentes hominũ vagæ ferrẽtur, venit Mahomet, & tertiam viam valde prudenter excogitauit, qua mederetur errorum varietati. Suſtulit enim omnes diſputationes, id quod probabant homines. Sed de his poſtea dicemus. Et hæc ſatis ſit retuliſſe de Arrianorum errore, aliíſque ſimilibus hæreſibus, quarum ideo mẽtionem hic fecimus, vt videatur, quanta incommoda, clades, ſeditiones & perturbationes & Reipublicæ & eccleſiæ hæreſes ſemper pariant.

Caio in papatu ſucceſsit Marcellinus 30 pontifex.

Marcellino ſucceſsit Marcellus 31.

Marcellum ſecutus eſt Euſebius papa 32.

Euſebium Melciades 33.

Melciadi ſucceſsit Sylueſter 34 papa.

Poſt Sylueſtrum factus eſt papa 35 Marcus.

Cometa uiſus.

Non multo tempore ante obitum Cõſtãtini ingens cometa viſus eſt menſibus aliquot, qui luctuoſum bellum & motum, qui ſequutus eſt mortem Conſtantini, portendebat.

Anno Chriſti 342 Cōſtantinus.

COnſtātinus xxxviij. Cæſar regnauit annos 24. Cæterùm à patre ſic erat ſtatutum imperium, vt fratres tres ſimul imperarent: Conſtantinus in Galliis, Hiſpania & Germania: Conſtantius in Oriente: Cōſtans in Italia & Illyrico. Atqui iunior ætate Cōſtantinus ditione imperij ſui contētus nō erat, ſed ſolus regnare volebat, profectúſque eſt in Italiam aduerſus Cōſtantem fratrem ſuum, fretus nimirū fortitudine ſua, quòd ſtrenuiores milites haberet. Sed temeritatem hanc nō paſſus eſt Deus inultam diu: nam Cōſtātinus hic non multo pòſt cæſus eſt. Atq; ea occaſione potitus eſt Conſtans totius Occidētis imperio, quod non infeliciter adminiſtrauit. Porrò ducem Auguſtæ habuit Magnētium, cui vitam in periculo ſeruauerat ſemel. Hic humaniſsimum ſuum dominum trucidauit, & ſeſe imperatorem fecit, & expeditionem parauit aduerſus Conſtātium. Conſtātius Orientalem Cæſarem creauit Gallum nepotē ſuum, & profectus cum exercitu aduerſus ſeditionis authorem, vicit eum. Ea clade, vt legitur, tantopere tum ſunt debilitatæ vires imperij, vt multis poſtea annis ad

Tres fratres ſimul imperātes

Magnentius ingratus, & perfidus.

priſtinum robur redire non potuerit, optima & ſelectiſsima nimirum populi parte proſtrata, vt multo tempore etiam barbaris reſiſtere non potuerit imperium. Poſt hanc cladem commiſſam flagitioſiſsimus vir Magnẽtius ſeipſum interemit, atq; ita vltus eſt Deus cædem in Conſtantem optimum principem perpetratam.

Magnẽtius ſe ipſũ interemit Lugduni.

Marco ſucceſsit in pontificatu 36 papa Iulius huius nominis primus.

Liberius papa. Felix.

Porrò mortuo Iulio factus eſt 37 pontifex Liberius, qui quòd reſtitit hæreſi Arrianæ, profligatus eſt à Conſtantio, & ſuffectus in eius locum eſt Felix, qui ob metum imperatoris diſsimulauit errorem Arrianorum. Celebratæ Synodi ſunt eo tempore Mediolani, & Arimini planè diuerſæ à decretis concilij Niceni, ſed & illarum ſentẽtiæ poſtea ſtatim reiectæ ſunt. Hæc exempla teſtantur, calamitoſum eo tempore extitiſſe in Eccleſia ſtatum.

Anno Chriſti 365

Iulianus apoſtata.

IVlianus Apoſtata xxxix. Imperator regnauit annis duobus. Conſtãtij nepos fuit, & frater Galli, id quod ſupra monuimus. Eruditione tanta erat, vt adoleſcens in eccle-

ſia Nicomediana publicè ſacras literas præle gerit: poſtea tamen Athenas profectus Philoſophiam didicit. Cæterùm occiſo eius fratre Gallo miſſus eſt à Conſtantio in Gallias & Germaniam, & non procul ab Argentorato 30 milia Alemanorum proſtrauit: qua de cauſa Argentorati ſubito militũ fauore imperator eſt deſignatus. Porrò cum ob varietatem opinionũ ſummæ inter Chriſtianos diſſenſiones eſſent, propter quas alij deſperabãt, alij prorſus à religione Chriſtiana ad idolorum cultum deſciſcebant, Iulianus quoque apoſtata factus eſt: erat enim ætate iuuenis, & rhetorum ac philoſophorum conſuetudine vtebatur, qui ex rationis humanæ captu de Deo diſputabant. Interim tamen manifeſta vi Chriſtianos nõ eſt perſequutus, ſed calliditate potius abolendos cenſuit. Nam ſcholas publicè interdixit, vt non inſtituerentur: exiſtimans id quod res erat, eruditione ſummota, religionis doctrinam facilè interituram. Quin & hoc vetuit, ne Chriſtiani nominis ꝓfeſſores ius militandi haberent cum Romanis: ne qua occaſione ad Reipublicæ gubernationem peruenirẽt. Eccleſiarum bona abſtulit, per riſum inquiens officium ſe præſtare

Iulianus Argẽtorati imperator deſignatus.

Iulianus Chriſtianis ius militandi ademit.

Chriſtianis, nimirum vt pauperes facti citius regnum cœlorum intrarent, cùm Euãgelium promittat regnum cœlorum pauperibus. Vehementer admodũ ſcriptis etiam editis Chriſtianorum fidem oppugnauit. Aduerſus ea Cyrillus ſcripſit diligenter: cuius liber etiamnum in oppido Phorzenſi inter Ioãnis Reuchlin monumenta reperitur, non inutilis ꝓfectò qui legeretur. Reſpondit & Nazanzenus Iuliano, ſed parum fortiter. Nam nõ ſatis efficax erat ad eas calumnias diluendas, quibus in Euangelio confutando vſus eſt Iulianus. Vrgebat hoc potiſsimum: Cùm doceat Euangelium non eſſe vindicandum, prohiberi & tolli ciuilem vltionẽ in iudicijs, & gubernationem rerum publicarum, ſine qua neſtare qridem poſſent res humanæ vllo modo: & hanc ipſam calumniam multis verbis tractat, cùm tamen non ignoret veræ pietatis ſtudioſus, non eam vindictam prohiberi in Euangelio, quã magiſtratus exercet: ſed ſtudium priuatæ tantùm vltionis, quæ ſine auctoritate magiſtratus fit. Graues admodum fuerunt Chriſtianis callidæ hæ & contumelioſæ cauillationes Iuliani, adeò vt publicè aduerſus tam pernicioſum Euangelij hoſtem

Cyrillus & Nazãzenus Iuliano reſpõderũt.

Vindicta quomodo prohibeatur.

Iuliani mors.

orarent. Itaque cùm in Perſiam eſſet profectus, in ſolitudine quadam trucidatus eſt. Tradunt eum ex inflicto vulnere cum humi iaceret, & animam ageret, manum ſanguine plenam ad cœlum proieciſſe, & dixiſſe: Viciſti tandem Galilæe, Chriſtum ſignificans quem Galilæum appellabat. Proinde factum eſt impietate Iuliani, vt imperium à nobiliſsima Conſtantini familia tranſlatum ſit.

Anno Chriſti 367

IOuinianus xl. imperator fuit in imperio mēſibus ſeptem. Pietate princeps inſignis fuit, Epiſcopos à Conſtantio & Iuliano ꝓſcriptos reuocauit: iuſſit etiā eccleſiis ſuas decimas perſolui. Febri correptus ex nimia laborum defatigatione, obijt. Iouinianus Cæſar pius.

Anno Chriſti 368

VAlentinianus xli. Cæſar imperauit annos duodecim. Fratrem ſuum Valētem imperij conſortem conſtituit. Valens Orienti præfuit. in occidētem Valentinianus eſt profectus: vterque Chriſtianæ religionis cultor fuit. Valentinianus præfectum militum ſub Iuliano egerat, ſed deſtitutus ab eo, quòd integritatem Chriſtianæ religionis noluiſſet de-

Valentinianus.

ſerere: præterea quòd Ethnico ſacerdoti colaphum infregiſſet, à quo aqua idololatrica porrecta inuitabatur ad ſacrificandum, cum Iuliani aduentum expectaret: ſed eam contumeliã qua adfectus eſt à Iuliano, illo honore rependit Deus, in quem poſtea ſubuectus eſt.

Burgundiones Saxones eſſe.

Maxima bella geſſit in Germania: Saxones & Burgundiones oppreſſit. Nam & hi recenſentur inter Saxones, qui ſub id tempus ad Rhenum fluuium profecti ſunt: & quanquam cæſi ſunt à Valentiniano, tamen poſtea recuperatis viribus Rhenum trãſgreſſi ſunt, & eas regiones occuparunt, quæ hodie etiam Burgundico nomine appellantur. Sed de his poſtea dicemus.

Valens Arrianus.

VAlens poſt defunctum fratrem imperauit annos tres. Arrianæ hæreſeos adſertor fuit. Cæterùm impietatis huius inſignes pœnas dedit, quando à Gotthis prope Conſtãtinopolin cæſus eſt. Etenim cùm in fugam verſus Valens in oppidulũ ſe recepiſſet, incenſo à Gotthis oppidulo concrematus perijt. Mortuo Valente multa incommoda Cõſtantinopolitanis intulerunt Gotthi, ſed eos regina Valentis pecunias largita ab vrbis deuaſtatione ſubmouit.

Liberio mortuo pontifex 39 factus eſt Damaſus. Apud hunc veluti notarius diuus Hieronymus fuit in adoleſcentia ſua. Hieronymus Damaſi notarius.

Poſt Damaſum creatus pontifex eſt Syricius 40.

Anno Chriſti 383

GRatianus xlij. Cæſar, regnauit poſt mortem Valentis annos ſex. Valẽtiniani hic maximus natu filius fuit, & viuente adhuc patre in imperij communionem adſcitus eſt. Mortuo verò patre iuniorem ſuum fratrem Valentinianum vnà ſecum imperatorem delegit. Porrò autem videns ob innumeras ſeditiones turbari paßim imperium, neq; regi poſſe ſine prudenti & fortunato principe aliquo, Theodoſium imperij cõſortem creauit, eúmque in Orientem miſit, vbi victi ſunt à Theodoſio Gotthi apud Conſtantinopolin, & fugati ſunt ex Thracia. Gratianus in Gallijs per inſidias oppreſſus eſt à præfecto ſuo Maximo, qui ſeipſum imperatorem cõſtituit per tyrannidem. Probitate & eruditione iuxtà clarus princeps erat Gratianus: ſyncerus item Chriſtianæ religionis cultor, cõfeſsionem fidei ſuæ ſcriptam ad diuum Ambroſium miſit. Valentinianus Gratiani fra-

Gratianus

Gotthi victi à Theodoſio.

ter item per dolum à præfecto ſuo Arbogaſte occiſus eſt: ſed ingẽtibus copijs collectis Theodoſius Maximum & Arbogaſtem proſtrauit. Maximus captus occiſus eſt. Arbogaſtes ſeipſum interfecit. Itaque ſolus Theodoſius imperio præfuit.

Maximus & Arbogaſtes perfidi.

Anno Chriſti 388

Theodoſius.

THeodoſius xliij. Cæſar, annos regnauit xi. interfecto per Maximum Gratiano. Genere Hiſpanus fuit, totumq́; regnum pacatum reddidit, à Germania vſque Ægyptum. Ipſe primum in Germania fuerat, ſed eſt reuocatus à Gratiano in Thraciam, & poſtea à Theodoſio Stillico in Germaniam miſſus eſt, qui Francos & Saxones ſubegit ad pacem retinendam.

Stillico.

Theodoſii pietas erga eccleſiam.

Præter hæc & pacem eccleſiæ reſtituit Theodoſius. Coegit publicas ſynodos, & religionis doctrinam in omnibus regionibus voluit diuulgari. Ambroſius mortem eius lamentatus eſt, atque inter reliqua ſic inquit: Dilexi virum. Cum corpore ſolueretur, magis de ſtatu eccleſiarũ quàm de ſuis periculis angebatur. Tanta pro religione ſolicitudine adfici, ea demum veræ & dignæ principibus bonis virtutes ſunt.

*Syricio ſucceßit Papa 41 Anaſtaſius huius nominis primus.*

*Anaſtaſium ſequutus eſt papa 42 Innocentius primus huius hominis.*

## Pelagius Hæreticus.

T*Emporibus huius pontificis Pelagius in Britãnia vixit. Is docuit, non ex miſericordia Dei propter Chriſtum ſine noſtro merito nos iuſtificari & ſeruari: ſed ex proprijs operibus & virtutibus naturalibus verã ac ſolidam corã Deo iuſtitiam parari & remiſſionem peccatorũ cõtingere, non ex fide Chriſti, ſed noſtris conatibus. Aduerſus hũc grauiſsimè ſcripſit Auguſtinus: impugnauitque fortiter eius ſententiam, & contra tutatus eſt per fidem nos ſeruari ſine noſtro merito, & ex miſericordia Dei cõſequi nos tãtum remiſſionem peccatorum, ſi ea fidamus. Nam ſi eſſet remißio peccatorum ex noſtris operibus, nunquam cõſcientia certa eſſet, ſed dubitaret, atque in ancipiti verſaretur ſemper: ſiquidem infirmiores ſunt humani conatus, quã vt illis placari iratus Deus ob peccatum & horror mortis tolli poſsit, Cæterùm exigere nihilominus tamen Deum à notis obedien-*

Auguſtinus cõtra Pelagiũ.

tiam & bona opera, & vt conſcientiæ certæ ſint nos placere Deo, quòd exaudire inuocantes, & ſeruare nos velit Deus. id autem conſiſtere non in noſtrorum operum dignitate, ſed in promiſſione & miſericordia Dei. Hæc ſententia Auguſtini cognita magnam cõſolationem adfert conſcientijs piorum: docétque quæ vera ſit fides, & interim bona opera à nobis requirere Deum. Ea enim exigit Deus: ſed fide tantùm vult nos peccati condonationem recipere ſine noſtrorũ meritorum reſpectu. In concilijs aliquot noſtrorum tẽporum damnatum eſt dogma Pelagij.

*Anno Chriſti* 398

Arcadius. Honorius. ARcadius Theodoſij filius imperauit annos tredecim in Oriente Conſtantinopoli. Paribus auſpicijs Occidentẽ Honorius frater gubernauit annos viginti nouem, & viuente & mortuo fratre: defuncto enim Arcadio Honorius ſuperſtes vixit.

## Gotthi & deuaſtatio 4 Monarchiæ.

*Anno Chriſti* 405

*Anno Romæ* 1157

al. 4366. *Anno mundi* 4349

Sub

*Sub hæc tempora Gotthi primum in Italiam venerunt magna & formidabili manu. Cæterùm cùm vbique multa Gotthorum mentio fiat, nos hic ſummatim hiſtorias de origine & rebus geſtis eorum contrahemus.* Gotti primum in Italiam.

*Non vnius populi appellatione cenſentur Gotthi, Vandali, Rugiani, Hunni: ſed Gotthi Teutones ſunt ex Godlandia inſula, qui Liuoniæ & Lituaniæ partē occuparunt. Nam vtraque hæc regio Godlandis ex aduerſo per mare ſita eſt. Atque hinc eſt quòd rectè eos Procopius Cimmerios & Getas eſſe ſcripſit. Porrò hi Romanorum temporibus in Thraciam & Hungariam vſque progreſſi ſunt, & conati ſunt Romani imperatores eos repellere, ſed fruſtrà. Nos initium hiſtoriæ eorum ſub Decio attigimus: nam maxima prima pugna Romanorum aduerſus eos ſub Decio fuit, in qua & cæſus eſt Decius. Poſtea verò etſi ab imperatoribus Romanis multum negocij factū ſit Gotthis, tamen in Thracia & Hungaria remanſerunt, & in Aſia quoque circa Conſtantinopolin regiones aliquot occuparunt. Hodie etiamnum ferunt in Cherſoneſo Taurica habitare Gotthos Teutonico idiomate vtentes. & Gotthos ſe ap-* Gotthi in Cherſoneſo Taurica.

pellare. Cæterùm ſic tandem Hungariam reliquerunt & Thraciam quoque, vt ipſi primum ſua ſponte inde in Italiam, & poſtea in Hiſpanias profecti ſint: ſed poſtea à Vandalis & Hũnis ex Scythia venientibus reliqui Gotthorum oppreßi ſunt. Hũni ſedes in Hungaria fixerunt. Illæ verò regiones, quæ partim circa, partim infra Hungariam ſitæ ſunt, à Vandalis ſunt occupatæ.

Theodoſius. Sub Arcadio autem & Honorio ingreſſi ſunt Gotthi in Italiam. Clariſſimus Cæſar Theodoſius filijs ſuis deſignauit imperatores duos, Rufinum & Stilliconem, eísq; curæ eſſe voluit adoleſcentes Cæſares filios, ſed alter ſanè parum fidus in dominum ſuum extitit. Nam Rufinus, qui Gallus erat natione, extimulauit Gotthos aduerſus Arcadium, ſperans ea occaſione regno ſe potiturum. ſed fruſtratus eſt ſuis conatibus. nam cæſus eſt à Stillicone. Porrò Stillico Vandalus erat: & cum aduerſus Arcadiũ ex Gotthis quidam profecti eſſent, effecit Stillico vt Gotthi quos ſtipendio cõduxerat Theodoſius, dimitterentur. Ad hoc etiã excitauit Stillico Vãdalos aduerſus Gotthos: atq; ita primũ cõmotis per Rufinum Gotthis, deinde iritatis per Stillico-

[Margin notes: Rufinus. Stillico.]

nem, adduxit Radagaſus rex eorum ducēta milia Gotthorum in Italiam eo anno, quem ſuprà indicauimus. Et meminerunt hic hiſtoriæ fuiſſe tum Romæ ingentes querelas aduerſus Chriſtum, propterea ꝙ tam luctuoſum caſum imperij ex contemptu deorum, & neglecto priſtinæ religionis cultu exortum eſſe putarent. Cæterùm Stillico vicit Radagaſum & eius exercitum in anguſtis faucibus, ab vrbe Florentia ad Apenninum. Prima hæc fertur in hiſtorijs de Gotthis in Italia. Radagaſus. Cōtra hāc querelam Auguſtinus ſcripſit lib. de ciuitate Dei.

Poſt Radagaſum alius Gotthorum exercitus venit in Italiam Alarico duce. Cùm hoc egit Honorius, vt ex Italia in Galliam diſcederet, quæ tum à Francis, Burgundionibus & Vandalis vaſtabatur: adeò vt Honorius diffideret eam diutius ſe poſſe retinere: ideóque cogitauit commiſſurum ſe barbaros, vt de Gallia inter ſe decertarent. Sed quid fit? dum abitum parat Alaricus, opprimit eum Stillico ex improuiſo, durantibus adhuc inducijs, in ipſo Paſchatis die. Poſtera die inſtructis copijs viciſſim Stilliconem cædit, & percitus in eū ira Romam obſidione cingit. Honorius Rauennæ erat, & Stilliconem iuſſit truncari, ꝙ parum fideliter egiſſet, atq; Alaricus.

adeò voluiſſet tranſlatum ab Honorio imperium ipſe ad ſeſe traducere. Proinde cùm nō eſſet iam dux aliquis commodus ad eripiendam vrbem Romanam ex obſidionis periculo, poſt biennalem obſidionem cepit Romam Alaricus, idq; ſub annum decimū quintum Honorij, quadringenteſimum & duodecimū à nato Chriſto, denique etiam milleſimum centeſimum ſexageſimum quartum poſt vrbem Romanam conditam.

Alaricus Romam cepit.

Quod Varro ſcribit duodecim vultures quos vidit Romulus, auſpicium dediſſe, duraturam Romā annos mille & ducentos, quanquam & hic numerus annorum nō omnino ab hac ſupputatione remotus eſt: tamen exiſtimo eorum interpretationē propriè ad Totilam pertinere, qui poſtea Iuſtiniani tēporibus exuſsit, & planè vaſtauit Romam, idq; annis centum & triginta ſex poſt Alaricū. Etenim Alaricus nō depopulatus eſt vrbē, quinpotius per edictum præcepit, vt confugientibus ad templa Chriſtianorum parceretur. Alaricus iterum abſceſsit ex vrbe, & non multò poſt obijt. Defuncto eo factus eſt Gotthorum rex Ataulphus: Hic redit Romā, & accepta Placidia ſorore Honorij Cæſaris,

Totilas

ab ea placatus pepercit Romæ, profectúſque in Gallias eſt, & in Hiſpanias poſtea. atque ita demum hoc tempore Gotthi relicta Italia ad Hiſpanos ſe contulerunt, quos inuaſerat antea Alaricus: & poſtea remanentes in Hiſpania Gotthi imperium tenuerunt. Venerunt in Hiſpaniam Vãdali poſtea & Suevi: ſed manẽtibus Gotthis, Vãdali in Aphricam deuenerunt. Ab his Gotthis nati ſunt Chriſtianæ profeßionis reges in Hiſpania: à quibus originem ducit clarißimus omnium imperator Carolus quintus. Quãquam enim poſtea Sarraceni inuaſerunt Hiſpaniam, in eaq́; potẽtes facti ſunt, tamẽ reliquos adhuc reges alios è ſtirpe perdere non potuerunt. Hiſpaniæ reges à Gotthis.

Anno Chriſti 456

Qui eſt annus Romæ 1207, venit ex Aphrica Romam Genſerichus Vandalus, & fœdißimè vaſtauit vrbem. Cæterùm quam habuerit cauſam Genſerichi aduẽtus, tum dicemus, quàndo de Vandalis tractandi ſeſe offeret occaſio.

## * Dietrichus de Berna.

* Hunc Theodori cũ quidã, alij Tetri cum Veronẽſem uocant.

POſtea in Italiam Gotthi non venerunt, niſi Zenonis Cæſaris temporibus, quãdo

Othacarus Romæ potens erat. Is barbarus erat ex Rugia oriundus. & Romæ ſtipendia fecerat ſub Auguſtulo: qua occaſione potens factus ſummam tyrannidem exercuit, adeò vt ſubſidia aduerſum eum Romani poſtularint. Tũ verò miſſus eſt à Zenone Dietrichus cognomento de Berna, in Italiam. Is occiſo Othacaro regnauit in Italia annos duos & triginta: pacis amantiſſimus fuit, & de tota Italia optimè meritus eſt, vt eo, quod teſtãtur hiſtoriæ, Italia nunquã vſa ſit principe extero clementiore. Contulit quoque multa bona in vſum Eccleſiæ, ad alendos miniſtros verbi, & doctrinam religionis conſeruandam. Sed Arriana hæreſi infectus erat, quemadmodum & Gotthi reliqui. Nam poſtulantibus Gotthis ab imperatore Valente ſacerdotes, à quibus in religione Chriſtiana inſtituerentur, Arrianos doctores miſerat. Porrò meruerunt clariſſimæ huius Dietrichi virtutes eas laudes quæ hodie etiamnum celebrantur carminibus illis quæ vulgò ſolent decantari. Gigantum in illis mentio fit, qui barbaros ſignificant, quos vicit & profligauit Dietrichus. Cognomento autem de Berna appellatus eſt, quòd frequenter Veronæ

Dietrichus de Berna.

Gotthi fuerunt Arriani.

cum aula agere ſolitus fuiſſet. Præter hũc & alius fuit Dietrichus ſimiliter Gotthus, cuius virtute Attila cæſus eſt, ſed ipſe in eodẽ conflictu periijt. Vir tantus fuit, vt præter eũ nemo facilè contra Attilam tentare quippiam valuiſſet. Is verò Dietrichus nõ Bernenſis dictus eſt, ſed cognatum eius fuiſſe conſtat. Vixit autem ante tempora Dietrichi Bernenſis annis quadraginta. — Attila.

Occidentalium Gotthorum reges in Hiſpania. — Gotthi Occidẽtales.

Alaricus, Ataulphus, Vuallia, Dietrichus, à quo Attila cæſus eſt.

Orientalium Gotthorum reges in Hungaria. — Gotthi Oriẽtales

Hermenrichus, Ditmarus, Dietrichus de Berna.

Himelſuitha filia Dietrichi de Berna Adelrichũ filium habuit: regnauit is annos 8 in Italia Romæ poſt mortẽ Dietrichi Bernenſis, & mulier non ſine ſumma laude imperio præfuit. Mortuo filio tradidit imperiũ cognato ſuo Theodato: ſed immemor hic accepti beneficij, per dolũ eam interfici iuſſit, tẽporibus Cæſaris Iuſtiniani. Præter hãc plures etiam filias habuit Dietrichus Bernenſis: — Himelſuitha. Adelrichus. Exemplũ perfidiæ.

*quin & ſororis ſuæ filiam regi Thuringiæ in matrimonium dedit. Id quod hic ſine ſingulari laude & commēdatione principū Thuringicorum nolui præterire.*

**Theodatus.** *THeodatus regnauit annos 2, & meritas ſuæ perfidiæ pœnas dedit. Nam cùm honeſtiſsima regina Himelſuitha ſe & filium ſuum Iuſtiniano Cæſari commendaſſet, ſumpſit Iuſtinianus occaſionem vindicandæ perpetratæ cædis, miſitq́; Belliſarium in Italiam contra Gotthos. Iam verò incidit Theodatus in ſuſpicionem, quòd nō reſtiterit Belliſario, quaſi proditurus eſſet Gotthos, qui ea de cauſa Vuitthicum in regem ſuffecerunt, cuius iuſſu necatus eſt Theodatus.*

**Vuittichus.** *VVittichus regnauit tres annos. Aduerſus hunc magna prudentia Belliſarius bellum geſsit: nam copias inſtructas habuit Vuittichus ſupra ducenta milia, Belliſarius intra mœnia Romanæ vrbis ſe continuit, quam ad integri anni ſpacium obſedit Vuittichus, & ingens fames non Romæ tantùm, ſed in tota Italia fuit. Fugientes autem Gotthos ob magnitudinem famis, palantéſque paſsim ſine ordine inſequutus eſt Belliſarius, proſtrauítque, & circumuentum*

per inſidias cepit Vuittichum. Cæterùm Gotthi interim deleri prorſus non potuerunt, ſed conſtituta cum illis pace per Iuſtinianũ permiſſum eſt, vt regiones ab Alpibus ad Padum vſque inhabitarent, & vltra eas non progrederentur. Reuocauit autem Iuſtinianus Belliſarium: nam timebat ne Cæſar cõſtitutus Italiæ imperium ſibi vſurparet, quãquam interim fidus in agendis rebus Belliſarius nihil tale moliretur. Is itaque reuerſus Conſtantinopolin Vuittichum captum, & alios ex potentiori nobilitate ſecum in ſolẽni triumpho duxit.

Totilas poſt diſceſſum Belliſarij à Gotthis creatus rex eſt, regnauitque annos decem. Caterùm cùm grauiter diminutæ eſſent per Belliſarium vires Gotthorũ, inſolenter admodum egerunt aduerſus eos, & Italos quoque Cæſariani præfecti. Proinde repellere illatam iniuriam coacti ſunt Gotthi: & pugnauit Totilas contra hoſtes magna cum laude apud Placentiam, idq; parua manu. Nã cùm hoſtium exercitus ſupra viginti milia inſtructus eſſet, ipſe octo tantùm milia habebat. Cæterùm cõſyderans Totilas fortiter pugnare hoſtes, neque cedere velle, Totilas ad Placentiam pugnans.

exiguam, ſed ſelectiorem, partem militum aquis impoſitam tranare iußit; qua per inſidias à tergo adortus eſt, & obruit hoſtes, atque ita victoria potitus eſt. Facinus quidem hoc eſt memorabile: ſed illud laudabilius eſſe cenſetur, quòd poſt adeptam victoriam ſumma clementia vſus ſit tam erga hoſtes quàm amicos: neque in quenquam tyrannidem, aut ſeueriorem iuſtitiam exercuerit: qua de cauſa & plurime vrbes vltro ſe ſub eius imperiũ dediderunt. Si quæ matronæ honeſtiores, vel adoleſcentes nobiles capti in bello erant, eos ſãctißimè cõſeruatos ad ſuos remittebat ſine accepta pecunia, qua redimerẽtur. Cũ Neapolin cepiſſet, quæ ingẽti fame premebatur, cõmeatũ pariter illis ſuppeditauit, & Cæſarianos milites ſaluos, & præterea viatico, equis & nauibus donatos diſcedere ꝑmiſit.

Clemẽtia Totilæ.

Porrò cùm Totilas non minori felicitate quàm gratia apud omnes vteretur, compulſus eſt Iuſtinianus primarium ſuum ducem Belliſarium in Italiam remittere. Erat enim veteris Romanæ diſciplinæ in re militari ſupra alios omnes facilè peritiſſimus. Sed nihilominus Totilas hic poſt longam obſidionem Romanæ vrbis, cepit eam atque diri-

puit, & in prima oppreſſione multi homines ſunt trucidati: cæterùm ob interceſſorias preces Pelagij papæ præcepit Totilas parcẽdum deinceps humano ſanguini, neq; etiam ſtuprum inferendum vllæ mulieri: item & à templorum ornamentis abſtinendum eſſe: præterea & pontificem legatum miſit ad Cæſarem pacis petendæ cauſa: nam velle ſe vltro ſeruatam vrbem, ſi pacis leges ineat: ſin minus, cogi ſe vt eam exurat, ne deinceps hoſtibus ſuis præſidio vel receptui eſſe poſſet. Sed fretus Iuſtinianus fortitudine Beliſarij recuſauit pacis conditiones. Proinde indigne ferens Totilas hoc reſponſum Cæſaris, vrbe excedere iuſſit ciues omnes, præcepitque vt alio in loco habitarent: & ſtatim muris ac turribus ſolo adæquatis, vrbem incendi ac concremari mandauit. Pelagius Papa.

Poſt hanc deuaſtationem venit tandem Belliſarius in vrbem iam vndique patẽtem, curauítque mœnia reparari ac reſtitui: verùm non multò poſt redijt Belliſarius in Græciam, ſimulatque, vt prudentiſſimus rei militaris, diffidit de imperio Italiæ retinendo: ſed rurſus tum à Totila vrbs Roma obſeſſa & capta eſt. Roma deuiſtata & exuſta à Totila.

## Deuaſtationes vrbis Romæ.

CApta eſt itaque vrbs Roma quater à Gotthis & Vandalis intra centum triginta nouem annos.

Roma quater capta.

Primum ab Alarico ſub Honorio, anno Chriſti 412

Deinde à Genſericho Vandalo Martiani temporibus, anno Chriſti 456

Tertio à Gotthorũ rege Totila: & hæc ipſa oppreſsio vrbis Romæ grauiſsima omnium fuit, Nam capta ſimul & exuſta vrbs eſt anno Iuſtiniani primo & vigeſimo, poſt conditam vrbem milleſimo & trecēteſimo, anno verò Chriſti 548

Quartò, tertio anno poſt hanc deuaſtationem, anno Chriſti 551.

Poſt iſtam direptionem cœpit Totilas reſtaurare vrbem Romam, permiſitq́; ciues redire in ciuitatem.

Quanta verò clementia vſus ſit, quamq́; humaniter ſe geſſerit, id etiam ea verba hiſtoriarum teſtantur, quæ de eius comitate ſcripta extant. Quod in ſubditos, & in primis in Romanos eo fuerit adfectu quo patrem in filios eſſe decet. Atque ita præeſſe

imperio decere, didiciſſe Totilam ferunt ex doctrina & admonitionibus diui Benedicti. Totilas à Benedicto inſtitutus.

Poſtea miſit Iuſtinianus aduerſus Totilã in Italiam ſingulari prudentia principẽ Narſen. Is Lõgobardos in auxiliũ vocauit. Fuerunt hi Saxones, qui inſtructis copijs ad Auſtriæ partes ſeſe conuerterant: hos adduxit in Italiam Narſes, eorúmque præſidio Totilã, & poſtea Teiam, qui poſtremus fuit Gotthorum rex in Italia, vicit. Narſes.

Atque is exitus eſt regni Gotthici apud Italos, quod iam inde à Dietricho de Berna vſq; ad Teiam durauerat annos ſexaginta. Porrò fuiſſe Dietrichum, Totilam & Teiam prudẽtiſſimos pariter & fortiſſimos principes, id res geſtæ & præclara eorum facta teſtantur, adeò vt ſi ex virtutibus eos æſtimes, barbari minimè debeant appellari. Teia.

Victis Gotthis, potentia & opes Longobardorum creſcere cœperũt, & vnum ex regnis Italiæ illis contigit. Nam totam Italiam non occuparunt, ſed eam tantùm partẽ, quæ etiãnum Lõgobardia appellatur. Imperium Longobardorũ ſtetit vſq; ad Caroli magni tempora. Gotthi verò quanquam ex Italia pulſi, tamẽ interim in Hiſpania potẽtes fue- Longobardia. Hiſpania

*& Galliæ pars ab imperio translata.*

*re, & imperium ibi tenuere vſq; ad hæc noſtra tẽpora. Atq; ita demũ ſub Honorio primũ Hiſpania, & Galliæ quoq; pars à Romano imperio trãſlata eſt. Italia autẽ etiam viuẽte Honorio ſuæ trãquillitati reſtituta eſt. Nã Gotthi partim in citeriorẽ Galliã, partim in Hiſpanias profecti ſunt. Ad hæc & Frãcorũ magna tum erat potentia in Gallijs.*

*Poſt Innocentium factus eſt 43 papa Soſimus.*

*Soſimo ſucceßit 44 papa Bonifacius huius nominis primus.*

*Bonifacio primo defuncto factus eſt 45 papa Celeſtinus huius nominis primus.*

*Anno Christi* 427

*Theodoſius.*

*Nam cum patruo regnauerat an. 15.*

*THeodoſius iunior Arcadij filius xlv. imperator, regnauit Conſtãtinopoli annos ſeptem & viginti, poſt obitum Honorij. Conſortem autem imperij orientalis conſtituit Valentinianum Conſtantij & Placidiæ filium. Ea erat filia Theodoſii.*

## Vandali.

*Vandali.*

*TEmporibus huius Theodoſii anno Chriſti 433 in Aphricam Vandali venerũt hac occaſione: Duo illi Romanorum duces*

ſibi mutuo inſenſi erant, & iuſta pugna aliquoties inter ſe concertarant. Itaque alter eorum, cui Bonifacio nomen erat, Vādalos qui tum in Hiſpaniјs erant ſtudioſè ſollicitauit, vt in Aphricā proficiſcerentur, id quod non grauatim fecerunt. Nam potentes in Hiſpaniјs Gotthi, Vādalos non ferebāt. Etenim vt antea commemorauimus, Vādali per Stilliconem concitati aduerſus Gotthos regiones quæ circa Hungariam ſunt, occuparāt, vtpote Vualachiā & Illyricū vbi Gotthi antea habitarāt. Ad hæc & in Germania erāt, vnde in Gallias profecti magnæ paßim calamitatis auctores fuerant: cæterùm à Francis & Gotthis ex Gallia pulſi ſunt. Poſtea in Hiſpaniā delati iterū cum Gotthis pugna decertare coacti ſunt: in Aphrica verò Vādalorum potentia augeri & creſcere cœpit. Quin & diuus Auguſtinus ſub id tēpus diē obiјt, quo à Gēſericho rege Vādalorū Hippo vrbs obſeſſa eſt, in qua Epiſcopus fuerat diuus Aug. August. Hippo. An. Chriſti 436.

Mortuo Valentiniano, Maximus quidā appellatus imperatorē ſe priuato arbitrio cōſtituit Romæ. Eudoxia verò regina volebat hæredes poſteros ſuccedere in imperio, quæſiuit auxilium contra Maximum apud Gen-

Vandalica fides. ſerichum, cuius ductu capta eſt, & direpta vrbs Roma. Sed homo Vandalus Vandalica planè fide atque conſtantia vſus eſt in reginam: abduxit enim eam vnà cum duabus filiabus captam ſecum in Aphricam. Perfidiæ exemplū. Ita enim accidere plerunque ſolet, cum exterorum ſubſidia ad tuendas fortunas noſtras aduocantur. At verò poſtea ſub Iuſtiniano, quanquam non prorſus deleti ſunt Vandali in Aphrica, tamen in eas anguſtias adducta eſt res eorum, vt florere nequiuerint amplius. Nam à Belliſario captus eſt Gelimerus rex, & Aphrica rurſum ſubacta imperio Romano paruit. Sed non multo tempore poſt Saraceni in Aphrica dominari cœperunt. Verùm hæc de Vādalis dixiſſe ſatis ſit.

## Bohemi.

Vandali quādo primū in Germaniam. ILlud quoque notatu dignū eſt ſub hoc tēpus veniſſe primum omniū in Germaniam Vandalos, in qua etiam hodie magnā partem habent, vtpote Bohemiæ regnum, quæ Bohemi Germani. olim Germanica fuit: idque vocabulum Bohemia, quod Germanicum eſt ſatis teſtatur, quod fuit priuſquam in has terras Vandali venerunt. Vocabulū autem originem habet

à Bauaris,

Bauaris, quibus ſubiecta fuit aliquãdo ea regio, vnde & ꝓpriè Boienheim appellatur, Neq; verò Vandali Bohemiæ Bohemos, ſed Zelciſe volũt nominari à duce ipſorũ, cuius auſpicijs primũ in Bohemiã ducti ſunt. Cæterùm veteres illi Germani Bohemiæ magna ſimul in admiratione & cõfœderatione Romanorũ fuerunt, & extãt eorũ ſummæ laudes apud Corneliũ Tacitũ. Eſt autẽ hac occaſione & Germania tranſlata à Romani imperij Monarchia. Nã in inferiori Germania Frãci, in ſuperiori Alemani, in Bohemia verò Vãdali potentes fuerunt. Poſtea verò quid acciderit Bohemiæ, & quando ſubacta iterũ ſit ab imperatoribus Germanis, id in Cæſarũ hiſtorijs oſtẽdemus: nã & ibi alia quædã de immutatiõe rerũ Germanicarũ indicabimus.

Germania ab imperio tranſlata.

Anno Christi 454

MOrtuo Theodoſio iuniore regnauit Valentinianus xlvi. imperator in Occidẽte annos quinque, & viuente Theodoſio imperauerat quinque & viginti annos. Orienti autem poſt obitũ Theodoſii præfuit Martianus ſeptimus & quadrageſimus Cæſar. Huius verò temporibus formidabilis illa expeditio Attilæ contigit.

Valentinianus.

## Attila.

Hūgariæ apellatio. Attilæ res geſtæ.

PRimum omnium Gotthi, deinde Vandali, poſtremo Hunni Hūgariam ingreſſi ſunt, & hi poſtremi retinuerunt terram, vnde & Hungariæ appellationē ſortita eſt. Crudelis hic populus maximā cladem vniuerſæ propemodum Europæ intulit. Attila ex Hungaria exercitum trecentorum milium duxit in Germaniam, plurimáſque potentes vrbes diripuit: inter quas Baſilea, Auguſta, Argentoratum, Vuormacia, Colonia, & plures aliæ vrbes fuere. Inde in Galliam progreſſus Burgundionum regem cœpit, Aureolā obſidione cinxit, & ſtatuit totius Europæ dominium ſibi vſurpare.

Aetius.

Erat autem tum ea in parte Galliæ citerioris, quæ à Cæſaribus adhuc tenebatur, Romanus dux Aetius, hic fœdus iniјt cum Francis & Gotthis, vt iunctis viribus crudeliſsimo tyranno Attilæ reſiſteretur. Attila verò quia timuit ſibi à viribus Gotthorum, ſolicitauit Dietrichum regem eorum, ne quid auxilij Romani ſuppeditarent: ſed pro ſingulari conſtantia ſua Gotthi recuſarunt vllam vel amicitiæ, vel confœderationis ra-

tionem cum tyranno barbaro contrahere. Itaque apud Toloſam vrbem Galliæ vtrinque infeſtis ſignis cõgreſsi ſunt: A Romanorum parte Aetius, Gotthi & Franci: ab altera parte Attila. Et teſtantur hiſtoriæ nũquam in Occidẽte tantum ab vtraque parte exercitum, tantámque multitudinem collectam fuiſſe, perinde ac ea fuit. Pugna conflictus ab exortu ſolis in noctem vſq; durauit. Tandem in fugã conuerſus Attila, amiſit centena octoginta millia: ipſe etiam tanta anguſtia exagitatus eſt, vt non procul abfuerit, quin ſeipſum interemerit. Aetius verò, Franci & Gotthi, etſi victores erant, tamen Gotthorum rex Dietrichus in eo cõflictu periјt. Mortẽ patris vlciſci filius voluit, & ſtatuit collectis copυs inſequi Attilã, & reliquũ eius exercitum prorſus delere: & deleuiſſet haud dubiè, niſi ex Aetij conſilio ſentẽtiam ſuam immutaſſet: ſed malum hoc fuit cõſiliũ Aetij: nam parua manu potuiſſet tum vinci Attila. Poſtea verò reuerſus in Hũgariam reparato exercitu, & collectis viribus, Italiã inuaſit, direptis vrbibus in primo Italiæ ingreſſu, vſque ad Apẽninum. Tum verò occurrens ei Leo pontifex ſupplex petijt, vt re-

Cõflictus apud Tholoſam cũ Attila.

trocederet. Ferunt dixiſſe Attilam, viſam ſibi iuxta pontificem aſtantē viri cuiuſdā imaginem, minitātem ſibi ſtricto gladio, & terrore perculſum promiſiſſe ſe receſſurum. Porrò in Hungariam reuerſus, ſolennes nuptias egit, & in prima nocte largiter potus, præter expectationē fato quodā perijt. Exitum hunc habuit hic tyrannus, quem non puduit publico titulo flagellum Dei ſe appellare.

Attilæ mors.

Attilæ titulus flagellū dei.

## Venetia.

Condita eſt hoc tempore Venetia, vrbs in mari, quò optimi quiq; ex Italia metu Attilæ confugerunt.

Celeſtino mortuo factus eſt 46 papa Xyſtus huius nominis tertius.

Xyſto ſucceſsit 47 papa Leo primus hoc nomine appellatus.

Leone mortuo factus eſt 48 pontifex Hilarius.

Valentinianus Cæſar occidi iuſsit Aetium, quē ſuſpectū de ambitione imperij habebat. Sed hæc præmia ſunt mundi pro magnis virtutibus. Stillico, Aetius, & Belliſarius, præſtantiſsimi illi quidē duces fuerūt: neque habuit alios imperium, qui virtutes &

Ingratitudo erga bonos & fortes uiros.

fortitudinẽ veterũ Romanorũ proprius adæquarint: ſed parum digna præmia pro tãtis meritis ſenſerunt. Valẽtianus quæſiuit ex principe quodã Romano, iuſtasne pœnas dediſſet Aetius: qui neſcire ſe reſpondit, cæterùm hoc ſibi compertum eſſe, Cæſarẽ ipſum ſiniſtra manu dexteram ſuam amputaſſe.

Poſt Valentinianum diſcerptum penè imperium Romanũ eſt, & multi ſe in Italia Cæſares appellarunt. Interim tamen maieſtas Cæſarei nominis cum ſumma potentia coniuncta apud Conſtantinopolitanos relicta eſt, & poſtea Occidentis regnum Iuſtinianus per Belliſarium & Narſen principes reſtituit. Ceterũ Valentiniano mortuo multi ſimul in Italia vocati Cæſares ſunt. & habuit Italia infra 20 ãnos nouem imperatores, qui ſucceſſione quadam regnauerunt, & alij ab alijs per occaſionem ſunt trucidati. Vltimus, Auguſtulus fuit appellatus. Nominis diminutio argumẽto fuit, imperium Auguſtorum in Italia interiturum: nam in Auguſtulo defecit tandem imperium. Expulit eum Auguſtulum Othacarus, aduerſus quem miſſus eſt Dietrichus de Berna in Italiam Zenonis temporibus. Itaque trãſlatum eſt Italiæ im- Auguſtulus.

perium ad Gotthos, qui poſtea ſub Iuſtiniano oppreßi ſunt, id quod ſupra diximus.

Anno Chriſti 460

LEo primus huius nominis xlviij. Cæſar imperauit annos ſexdecim. Is filium ſuum eiuſdem nominis Cæſarem creauit, qui ob iuuenilem ſuã ætatem Zenoni vitrico ſuo imperij coronam impoſuit.

Anno Chriſti 476

Zeno. ZEno xlix. Cæſar regnauit annos 17. Is in Italiam Dietrichum de Berna miſit, eúmque conſulem creauit. Et propter huius præclara facta celebrior factus eſt, quàm ſuis virtutibus. Imperauit enim non vt Auguſtus, ſed vt tyrannus.

Anno Chsiſti 492

Anaſtaſius. ANaſtaſius l. Cæſar regnauit annos 26. Fulmine ictus periјt.

Anno Chriſti 519

Iuſtinus. IVſtinus li. Cæſar regnauit annos nouem: in teneris annis ſubulcus, deinde miles factus. Porrò mortuo Anaſtaſio, Eunuchus quidam diues ingentem pecuniã Iuſtino dedit, vt ſuffragijs militum Eunuchus ille imperator deſignaretur. Verùm Iuſtinus ſui cõmodi memor effecit vt ipſe Imperator crearetur.

Anno Chriſti 528

IVſtinianus lii. Cæſar regnauit annos octo & triginta. Is reparando imperio animũ admouit. Iuſtini ſuperioris ex ſorore nepos fuit, & beneficio quodam Dei ſingulari duos præfectos ſortitus eſt, Belliſariũ & Narſen, quorum opera res longè præclariſſimas confecit. Belliſarius Perſas vicit, & Syriam ſeruauit, & Aphricam imperio reſtituit: præterea & in Italia ingentes victorias habuit contra Gotthos, quorum vires poſtea in Italia à Narſe prorſus debilitatæ ſunt. Iuſtinianus cum Frãcis in Gallia pacis & amicitiæ leges contraxit, permiſitq́; vltro eos Galliæ partem tenere, id quod Procopius ſcribit. Iuſtinianus. Belliſarius & Narſes.

Porrò pace iam vndique ſtabilita, etiam vetera iura & leges Romanorum in Digeſtorum libros redigi curauit Iuſtinianus: ſed hi libri non multo poſt Iuſtinianum per iura Longobardorũ & Francorũ oppreſſi ſunt: tamen poſt aliquot ſecula reuocati ſunt in lucem per Lotharium Saxonem imperatorem, de quo infra dicemus. Cæterùm quantas laudes mereatur hæc prudentia in imperatore qui illud ius eáſque leges in cõmuni vſu eſſe voluit, quibus nihil neque honeſtius neq; Ius ciuile reſtitutũ à Iuſtiniano.

ſanctius & vtilius eſſe poteſt, omnium ſapiētum & bonorum iudicio, longum eſt hoc in loco commemorare.

## Bellisarius.

Illud meritò præterire nō poſſum de Beliſario, qui fideliſſimè in rebus omnibus egit, pacis & concordiæ auctor fuit in toto orbe: Romanū imperiū collapſum penè, & debilitatū prorſus reparauit & reſtituit: breuiter, tanta in ſuum dominū, & totū orbem beneficia contulit, vt alia neq; maiora neque laudabiliora eſſe poſſint, & ſi rectè ea voles æſtimare, ſumma ſunt & incredibilia dona Dei. Sed quam gratiā referat mundus pro tātis virtutibus, & huiuſmodi donis Dei, id Beliſarij exēplum ſatis commonet: cui Iuſtinianus ex leui admodum ſuſpicione, citra culpā oculos iuſſit erui, & profligauit eum, vt mēdicando cibum quærere cogeretur: tādem vt calamitoſiſſimus mendicus obijt. Ita demum opponit ſe Satan maximis quibuſque viris, nimirum qui omnia opera Dei, & ſummas virtutes in hominibus exoſus eſt.

*Belliſario peſſima gratia relata à Iuſtiniano.*

*Satanæ ſtudium.*

Quin & Narſes quoque incidit in indignationem Cæſaris, qui noluit redire Con-

ſtantinopolin: nam vt tutior eſſet à periculis, in Italia apud Neapolitanos per totam vitam ſuam manſit.

Hilario ſucceßit 49 papa Simplicius.

Simplicium ſequutus eſt 50 papa Felix huius nominis tertius.

Poſt Felicem factus eſt 51 papa Gelaſius.

Gelaſio ſucceßit 52 papa Anaſtaſius huius nominis ſecundus.

Anaſtaſio mortuo creatus eſt papa 53 Symmachus. Huius tẽporibus primus tumultus exortus, propter electionẽ pontificis. Quidam enim volebant contra Symmachum, alium quẽdam, cui nomen Laurentio erat, deſignare: & hæc cõcertatio magnæ cædis occaſionem præbuit Romæ: compreßit hũc tumultum tandem Dietrichus de Berna. Cõtentio prima propter electionem pontificiam.

Symmacho ſucceßit 54 papa Hormiſda.

Hormiſdæ ſucceßit Ioannes primus 55 papa.

Ioãni primo ſucceßit 56 papa Felix iiij.

Felicem quartum ſecutus eſt papa 57 Bonifacius ſecundus.

Bonifacio ſecundo mortuo factus eſt 58 papa Ioannes ſecundus.

Ioannem ſecundum ſequutus eſt 59 papa

Agapetus. Impetrauit hic à Iuſtiniano vt hæretici Conſtantinopoli non ferrentur.

Agapeto ſucceßit papa 60 Syluerius.

Syluerio ſucceßit 61 papa Vigilius. Captus hic eſt à Iuſtiniano, & tractatus parum humaniter, quod in reſtitutionem profligatorum hæreticorum conſentire non voluiſſet.

Vigilio ſucceßit papa 62 Pelagius primus Totilæ temporibus.

Pelagium ſecutus eſt papa 63. Ioannes 3.

Portenta ante Mahometem uiſa in Italia.

Illis temporibus horrenda admodum portenta in cœlo apud Italos apparuerunt. Viſæ ſunt ardētes pugnæ, cometæ. Præterea & Tyberis inundatione penè ſubmerſa Roma eſt. Portēderūt hæc ſigna lapſum imperij Rom. & eccleſiæ, qui ſecutus eſt poſtea. Nam non multo pòſt Mahometica peſtis exorta eſt.

Anno Chriſti 566

Iuſtinus 2

IVſtinus huius nominis ſecundus 53 Cæſar imperauit annos decem. Iuſtiniani ex ſorore nepos erat. Huius temporibus Longobardi Italiæ partem inhabitandam receperūt. Anno Chriſti 572

Anno Chriſti 576

Tiberi. 2.

TIberius huius nominis ſecundus 54 Cæſar regnauit annos ſeptem. Iuſtini præ-

fectus erat, & per adoptionē ab eo in filium & hæredem imperij ſuſceptus eſt. Perſas fudit, ſed nulla felicitate in Italia contra Lōgobardos vſus eſt.

Pelagio ſucceſſit 64 papa Benedictus.

Poſt Benedictum factus eſt papa 65 Pelagius ſecundus.

Gregorius papa.

Pelagio ſecundo ſucceſſit 66 papa Gregorius primus. Is multas vbique ceremonias ordinauit: nā propter bella & hæreſes turbata omnia erant, neque quicquā certo ordine agebatur. Itaque inſtituit Gregorius per ceremonias Eccleſiæ ſtatum in concordiā reuocare. Orta eſt & cōtentio hoc tempore de primatu. Voluit enim Mauritius Cæſar, vt patriarcha Conſtātinopolitanus OEcumenicus ſiue Epiſcopus vuiuerſalis in Eccleſia Chriſtianorū diceretur: ſed Gregorius id ſuo adſenſu comprobare non voluit, & Chriſtiana conſtantia vſus ſcripſit, Neminem id ſibi arrogare debere, vt inter Chriſtianos Epiſcopus vniuerſalis velit nominari.

Vniuerſalis Epiſcopus.

Anno Chriſti 584

MAuritius 55 Cæſar imperauit annos viginti. Summa victoria vſus eſt contra Perſas & Hungaros: poſtea à Foca præ-

fecto ſuo eſt iugulatus, de quo horrenda ſomnia habuerat: & cùm quæſiſſet de eo, reſponſum eſt: hominem metriculoſum eſſe, & minimè metuendum, ſubiecit Mauritius, Si eſt timidus, eſt homicida.

Gregorius papa. Poſt Gregorium 1 factus eſt 67 papa Sabinianus.

## Occaſio concertationis de primatu papæ.

SAbiniano defuncto creatus pontifex eſt 68 Bonifacius tertius. Is magna cõtentione obtinuit à Foca Cæſare, vt ſanciretur Romanus pontifex Œcumenicus, & ſummus epiſcopus totius eccleſiæ Chriſtianæ. Ab eo tẽpore nunquã deſierunt Romani põtifices conari dignitatem, & potẽtiam ſuã augere.

Bonifacius factus œcumenicus.

Bonifacio tertio ſucceſſit 69 papa Bonifacius quartus.

Anno Chriſti 604

Focas. FOcas 56 Cæſar imperauit annos octo. Sub hoc vehementer debilitatæ & diminutæ ſunt vires imperij. Defecerunt iam prorſus ab imperio Gallia, Hiſpania, Germania & Lõbardi: præterea & Perſarum rex Coſroa multas regiones & ciuitates pariter

Coſroa Perſarum rex.

in Oriente occupauit. Potitus eſt & Hieroſo lymitana vrbe, & crucē ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti ſecū abduxit. Nō multò pōſt à Priſco duce ſuo obtrūcatus Focas, dedit perfidiæ pœnas, qua in Mauritium vſus erat antea.

*Anno Chriſti* 612

HEraclius 57 Cæſar regnauit 29 annos. Is Hieroſolymam, Syriam & AEgyptum reſtituit imperio, & Perſis victis crucem dominicā reduxit, eamq́; primum Conſtantinopolin, deinde Romam trāſtulit. Durauit autē hoc bellū Heraclij aduerſus Perſas annos ſex continuos. Coſroa rex Perſarum à proprio filio eſt trucidatus. Heraclius

## Mahometes & Saracenorum regnum.

*Anno Chriſti* 630
*Anno Heraclij* 18
*Anno mundi* 4574 al 4591.
*Anno Romæ* 1382

MAhometes in Arabia apud Agarenos & Saracenos prophetam ſe vēditauit, & regem pariter: idq́; ex hoc occaſione: Agareni in ingreſſu. Arabiæ habitātes ſemper prædationi & militiæ exercēdæ dediti fuerunt. Iam verò concitati Perſarum Occaſio Mahometici regni.

bellis ſtipendia meruerant ſub Heraclio. Et cùm renunciatum eſſet per præfectos Cæſareos, non expectandam amplius eſſe ſpem ſtipendiorum, ſeditionem mouerunt aduerſus duces Romanos. Porrò occaſione huius tumultus publici potentia Mahometis creſcere cœpit. Quando enim rectore carere non potuit vulgus, facile adhæſerũt Mahometi, qui reliquos omnes, & propter opum magnitudinem, & propter alias ſingulares virtutes facilè antecellebat. Cæterùm vt eo facilius in vnum aliquem & certum ordinem redigeret mores populi, ſtatuit nõ modo in ciuilibus rebus certas leges condere, ſed ad vnam aliquam & nouam formam religionis animos vulgi adligare, quo rectius in officio omnes continerentur, neque exoriri poſſet diſſenſionis alicuius occaſio. Videbat enim varias & diſſentientes paßim eſſe opiniones de religionis doctrina. Nam dißipata erat concordia eccleſiarum per varias hæreſes, & maximè impio dogmate Arrij. Atq; vbi errore implicatæ conſcientiæ ſunt, & animi in dubio verſantur, ſuſpectam facilè habent doctrinã Chriſti, & paulo momento huc atq; illuc impelluntur. Itaque nutantibus in hunc modum

*mentibus hominum, opportunitatem nactus Mahometes, huiuſmodi religionis formam præſcripſit, in qua ſumma illa fidei capita de Chriſto prætermittebantur, idq́; propterea, ne fidei doctrina porrò in ambiguas diſputationes vocaretur, ſed poſita tantùm in rationis captu præciperet de ciuilitate morum, & ratione honeſtè viuendi. Id verò plauſibile tandem eſt naturæ humanæ. Amplexi itaque ſunt hãc doctrinam Gentes, Iudæi, Ariani, & Chriſtianæ religionis apoſtatæ. Nã erat hæc fides probabilis omnibus: ideo homines diſpari genere, diſsimili lingua, alius alio more viuentes, incredibile eſt memoratu, q̃ facilè coaluerint, & creuerint potẽtia ad fortiter reſiſtẽdum Romanis. Primum enim ceperunt Arabiam: & Syriæ partẽ ſubegere. Nã Damaſci regia Mahometis erat. Poſtea & in AEgypto potentes facti ſunt. Breuiter hæc de initio formidabilis regni Mahometici dixiſſe ſatis ſit: in quo primum Arabes & AEgyptij regnarunt, qui eum Sultanum, hoc eſt principem appellarunt: poſtea imperium ad Turcas tranſlatum.*

Mahometicæ religionis forma.

Sultanus

*Porrò hoc regnum potentiſsima pars eſt Antichriſti. Et extant de eo certiſsima vati-*

Danielis locus de Mahomete.

cinia in prophetis, quibus ſerio monemur à Deo de vitanda hac peſte. In Daniele ſic depingitur: In beſtia illa terribili, quæ Romani imperij typus eſt, enaſci cornu, præ cuius potentia tria cornua euellantur, & oculos habere, ac loqui horrendas blaſphemias cōtra Deum. Cornu hoc Mahometes eſt: oculi & horrēdæ blaſphemiæ cōtra Deum, Alcoranus & doctrina Mahometica ſunt, quæ latius propagata eſt, quàm imperij fines ſpectabant. Nam vniuerſa ferè orientalis plaga diabolico hoc dogmate eſt infecta. Tria cornua, tria illa regna Arabiæ, Syriæ, & AEgypti, quæ occupauit Mahometes, notant. Ea omnia prædixit Deus, vt admoniti non offenderemur hoc ſcandalo. Item ne ignoraremus vltimum hoc regnum eſſe, & extremi iudicij diem expectandum eſſe. Poſteritas autē Mahometis nō contēta ſuorum regnorū finibus, cum Cæſaribus Conſtantinopolitanis, propter Aſiæ imperium dimicauit quoque.

Saracenū regnum.

Saracenum regnum dictum eſt primo hoc regnum Mahometis. Nam etſi Agarenus erat natione, tamen nō ſine magna cauſa mutauit hoc nomen, quòd promiſsio in ſcripturis ad Abrahæ filios ex Sara prognatos pertineret,

neret, & non ad Agar. erant autem Agareni ex Agar. Cæterùm cùm prætexeret Mahometes ſuum populum Deo gratũ eſſe, atque adeò ad quem pertineret benedictionis promiſsio, vt dominarentur in toto orbe (carnaliter enim interpretabatur omnes promiſſiones ſcripturarum) immutato vocabulo de induſtria, populum ſuum Saracenos appellauit, tanquam Saræ filios & non Agarenos.

Sunt autem hi Saraceni potentes non in Aſia ſolùm, ſed in Aphrica quoque facti. Inde & in Hiſpaniam profecti, eius quoque magnam partem diu tenuerunt. Italiã etiam ſæpe per incurſionem ingreſsi ſunt. Saracenorum potẽtia.

## Turcarum origo.

Cauſa aduẽtus Turcarum ex Tartaria in Aſiam ea fuit, quòd belligerantibus Saracenis contra Perſas, quæſierunt opem Perſæ à Turcis. Hi verò Tartari fuerũt iuxta Caucaſum montem. Contigit id non diu ante Carolum Caluum, circiter annũ Chriſti octingenteſimum ſeptuageſimũ. Poſt hanc expeditionem ſenſim in Aſia Turcæ manere cœperunt, perinde ac fieri plerũque ſolet, cùm exterorum hominum ſubſidia aduocantur. Turcæ fuerunt Tartari.

Quandoquidē autem militiæ exercendæ de-
diti in primis erant Turcæ, factum eſt vt im-
perij ſumma ad eos tādem deuolueretur. Et

Othomanus Turca.

in primis Othomanus Turca potētia & vi-
ribus excellere cœpit, tēporibus Cæſaris Al-
berti Auſtriaci primi, qui Cæſaris Rudolphi
filius erat. Erat id poſt natū Chriſtū circiter
milleſimū & trecēteſimū annum. Iam verò
ab huius Othomani tēporibus Mahometis

Turcæ quādo cœperunt dominari.

regnū in Turcici imperij appellationē abijt.
Notatu dignum eſt hoc in loco præſens illud
Turcicū genus, nationes ſubigere & domina-
ri cœpiſſe tēporibus primi Auſtriaci Cæſa-
ris: & ſpes eſt, vt ſimiliter tandem ab Au-
ſtriaci ſtemmatis imperatore reprimatur.

Imago huius Turcici regni ple[n]a terroris
in ſacris literis deſcribitur, ne neſciremus hoc
Satanæ regnum eſſe, & cuius potentia atq;
ſucceſſu non abſterreremur à Chriſto ad Ma
hometicā impietatem deficiētes. Ezechiel &
Ioannes appellant Turcas Gog & Magog.

Gog. Magog.

Gog, tentorium vocatur: Magog, popu
lus eſt extra tentoria: nam Tartari habitant
in tentorijs. Et διαῤῥήδην ſcribit Ezechiel,
permiſiſſe Deum augeri potentia Gog pro-
pter peccata populi.

*Mahomet furor ſeu indignatio eſt.*

*Turca militẽ ſeu depopulatorẽ ſignificat. Methodius vocauit hunc populũ rubeos Iudæos, ꝓpterea ꝙ ceremonias quaſdam à Iudæis mutuati ſint. Neq; verò germani Iudæi erant, ſed rubei Iudæi appellati ſunt, vel ꝙ ſanguinis ac cædis auidi erant, vel ꝙ Mahometes ab Edom ex Arabia ortum duxerat. Nam Edom rubeus eſt. Methodius autem ait Gog & Magog vltra Caſpios montes hoc eſt, Caucaſum cõcluſos fuiſſe, & vulpem illis meatũ facturã eſſe. Vulpes hæc Mahometes eſt: nã per legem Mahometicã ꝓuocati potentes facti ſunt, & dominari cœperũt.* Mahomet quid. Edom.

*Supra diximus quo pacto ad occidentem Romana monarchia peruenerit. Iã verò per Mahometiſtas Ægypto, Syria, Aſia, & Aphrica priuati ſunt Cæſares, donec tãdem à Turcis hodie Græcia, & quicquid erat reliquum, captum atque vaſtatum eſt.*

*Bonifacio quarto ſucceſſit 70 papa Deuſdedit, tempore Heraclij.*

*Poſt hunc 71 factus eſt pontifex Bonifacius quintus. Huius temporis fuit S. Gallus. Is Chriſtianam doctrinam in Germania ſuperiori docuit.*

*Poſt hunc factus eſt 72 Papa Honorius primus, & huius tempore Mahometes fuit.*

*Honorio primo mortuo creatus eſt 73 Pōtifex Seuerinus.*

*Seuerino ſucceſſit 74 papa Ioãnes quartus.*

*Poſt Ioannem quartum factus eſt 75 papa Theodorus Græcus.*

*Anno Chriſti 641*

Conſtãtinus Heraclij filius.

*Conſtãtinus Heraclij filius 58 Cæſar regnauit quatuor menſibus. A nouerca Martina veneno necatus eſt, vt ſuum filium imperatorem deſignaret.*

*Anno Chriſti. 642*

*Heracleonas Heraclij filius 59 Cæſar imperauit duobus annis poſt ſublatũ Cõſtantinum. Senatus autem populusq́; Conſtantinopolitanus cognito ſcelere, in matrẽ & filium Heracleonam conſurgens, hunc naſo deciſo, illam lingua mutilatam vnà cum patriarcha in exilium relegarunt, à quo adiuti erant in patrando ſcelere.*

Vltionis exemplũ.

*Anno Chriſti 643*

Conſtans.

*Conſtans Conſtantini filius 60 Cæſar regnauit 27 annos. Ad Orientem à Saracenis, in Italia à Longobardis victus eſt. Homo auariſſimus fuit, & à ſuis tãdem in*

balneo occiſus eſt Syracuſis.

Theodoro ſucceßit 76 papa Martinus primus Conſtante imperatore.

Martini primi ſucceßor fuit 77. papa Eugenius primus.

Eugeniũ ſe utus eſt 78 papa Vitalianus.

Anno Chriſti 670

COnſtātinus Cōſtātis filius 61 Cæſar imperauit 17 annos. Pogonatus dictus eſt, hoc eſt barbatus. Septē annos bella geßit cũ Saracenis, quorũ vna in pugna triginta milia caſa ſunt, adeò vt debilitatis eorũ viribus coacti ſint pacis conditiones petere ab imperatore Cōſtātino: quæ cōceſſæ ſunt illis, ſub hac lege, vt quotãnis tributa penderent Cæſari. Conſtātinus Pogonatus.

Poſt Vitalianũ factus eſt 79 papa Adeodatus, temporibus Conſtantini Pogonati.

Poſt Adeodatũ factus eſt pōtifex 80 Donus

Donum ſecutus eſt in papatu 81 Agatho.

Poſt Agathonē 82 factus eſt papa Leo ſecundus.

Leoni ſecundo ſucceßit 83 papa Benedictus ſecundus.

Poſt hunc factus eſt 84 papa Ioannes quintus.

Ioannē quintũ ſecutus eſt 85 papa Conō.

Anno Chriſti 687

IVstinianus Cōſtātini filius 62 Cæſar regnauit annos ſexdecim, ſed non cōtinuos. Nā ſimulatq; annis decē præfuiſſet imperio Iuſtinianus, deiectus & expulſus eſt à Leōtio, qui regnauit pulſo Iuſtiniano tribus ānis. Leōtius captus eſt à Tiberio Apſimaro, qui poſt eū imperauit annos 7. Inde verò reſtitutus eſt Iuſtinianus, & captos Leōtiū & Tiberiū, ac humi corā ſe pſtratos pedibus cōculcauit, & palā clamari iuſſit: Sup aſpidē & baſiliſcū ambulabis. Poſtea obtruncati ſunt.

Leōtius

Tiberius Apſimarus.

Poſt Cononē factus eſt papa 86 Sergius, & tūc magnæ diſſēſiões fuerūt ppter electionem. Huius tēporibus Beda vixit in Anglia.

Beda in Anglia.

Sergiū ſecutus eſt papa 87 Ioānes ſextus.

Ioāni ſucceſſit 88 papa Ioānes ſeptimus

Ioāni ſeptimo ſucceſſit 89 papa zoſimus.

Zoſimū ſecutus eſt 90 papa Conſtātinus

Anno Chriſti 713

Philippus Bardeſanes.

PHilippus Bardeſanes 65 Cæſar anno vno & ſex menſibus regnauit: à præfecto ſuo captus īperio deijcitur, & oculis priuatus eſt.

Anno Chsiſti 715

Anaſtaſius in mo-

ANaſtaſius 66 Cæſar regnauit anno vno & mēſib. trib. Et is eſt à duce ſuo Theo

doſio captus, & deſtitutus regno, & vt ſolitarius degeret, in monaſterium detruſus eſt. nasterium detruſus.

Anno Chriſti 717

THeodoſius 67 Cæſar vno tantùm anno imperauit. Imperium deſeruit cùm videret inuadi ſe à Leone, & diffideret regnũ ſe poſſe retinere. Monachus factus in priuata vita deceßit. Theodoſius.

Anno Chriſti 718

LEo tertius 68 Cæſar regnauit annos viginti quatuor. Appellatus eſt Iconomachus, hoc eſt, imaginum expugnator, ꝓpterea quòd imagines ac ſtatuas ſanctorum è tẽplis auferri & incendi mandauit. Sub hoc Cõſtãtinopolis vrbs octo annorũ ſpacio obſidionem paſſa eſt à Saracenis, qui & ꝓpter famis & peſtilentiæ magnitudinem ſumma calamitate preßi ſunt in eadẽ obſidione. Quin & à Bulgaris, qui Cæſarem adiuuabãt, cæſi ſunt. Præterea quoque naues Saracenorum igne peculiari arte facto ſub aquis incenſæ conflagrarunt. Leo tertius Iconomachus dictus.

Poſt Conſtantinum factus eſt nonageſimus primus papa Gregorius ſecundus temporibus Leonis Iconomachi.

Gregorio 2 ſucceßit 92 Gregorius tertius.

Anno Chriſti 742

Cōſtantinus Leonis filius Copronymus dictus

Conſtantinus Leonis filius 69 Cæſar regnauit triginta quatuor annos: dictus eſt Copronymus, ꝓpterea quòd in baptiſmales aquas cacauit. Statuarum quoque euerſor fuit.

Anno Chriſti 777

Leo iiij.

Leo quartus Copronymi filius 70 Cæſar regnauit annos quinque.

Anno Chriſti 783

Conſtantinus Leonis iiij. filius.

Conſtantinus Leonis quarti filius, ſeptuageſimus primus Cæſar regnauit vnà cũ matre Irene decē annos. Erat hæc Athenienſis, & ſupra muliebrem captum prudentiſſimè imperauit, & ſumma cum laude omniũ. Poſtea imperio deiecta matre, regnauit filius annos quinque. Verùm Conſtantinopolitani non ferentes eius flagitia, reuocarunt ab exilio matrem, quæ regnauit poſtea tribus annis.

Irene.

Itaque & Irene & Conſtātinus in imperio fuerunt ſimul annos 18, vſque ad annũ à nato Chriſto octingenteſimum primum. Quanquam autem Conſtantinopoli Chriſtiani Cæſares ſemper fuerũt, qui & Romanos ſe imperatores nominarunt, donec à Turcis tādem occupata ciuitas eſt: tamē interim dum pote-

ſtas regni ita labefactari cœpit, vt Cæſares neque nomen ſuum, neque Italiam tueri potuerint, coacti ſunt Romani præſidia à Francis poſtulare, quorum potentia tum maxima erat. Proinde Cæſarei nominis maieſtas ad Carolũ deuenit. Et quia noſtri imperatores magna fortitudine ſemper tutati ſunt, & tenuerunt Italiã, cõſultò hic prætermittemus Græcos imperatores (nã fuerunt alioqui homines molles, & planè inepti rebus magnis gerendis) ac noſtros Cæſares, qui ob inſignes virtutes præclaráque facta meritò commendari debent, ordine recenſebimus.

Gregorio tertio ſucceſsit 63 papa Zacharias.

Hoc papa conniuente vetus Francorum rex Hildericus imperio deſtitutus in monaſterium detruſus eſt, & Pipinus eius loco ſuffectus eſt in regno. Nã veteribus regibus iam ad egeſtatem redactis, omnis potẽtia ad principes deuenerat. Porrò ætate Zachariæ huius, diuus Bonifacius in Germania prædicauit.

Pipinus.

Bonifacius in Germania prædicat.

Zachariæ ſucceſsit 94 papa Stephanus ſecũdus. Is ꝓuocauit Pipinũ in Italiã contra Longobardos, quorũ regem obſidione cinctũ redegit ad petendas & ſeruãdas leges pacis.

*Poſt Stephanum ſecundum creatus eſt 95 papa Paulus primus.*

*Paulo primo ſucceßit 96 papa Stephanus tertius. Huius tēpore contentiones & tumultus ingentes contigerunt Romæ ꝓpter electionem pontificis. Conſtantinus quidam vi deſignatus eſt pontifex, & iterum papatu deiectus, omnibus etiam, quos ordinauerat, deſtitutis & reiectis.*

*Stephano tertio ſuceeſſit 97 papa Adrianus primus. Is pellexit Carolum Magnū in Italiam aduerſus Deſiderium Longobardorum regem.*

*Adrianum ſecutus eſt papa 98 Leo tertius, cùm in hunc ſeditioſus tumultus exortus eſſet Romæ, profugit ad Car lum Magnū, à quo reſtitutus eſt. Et is Carolum Cæſarem decreuit, & corona donauit.*

## GERMANI CAESARES.

| | |
|---|---|
| *Anno Chriſti* | 801 |
| *Anno mundi* | 4745 |
| *Anno Romæ* | 1553 |

al. 4762.

Carolus Magnus.

*C Arolus Magnus Romæ ipſo die natalis Domini imperatorio diademate co-*

ronatus eſt à Leone tertio. Initium hoc eſt tranſlati imperij ad Germanos, & tranſlatione hac iterum Italiæ & occidentali regno potentiſsimum caput, & firmiſsimum præſidium contigit. Etſi enim Germanici imperatores potentia pares non fuerunt ſemper, quemadmodum & nullo in regno, vel viribus vel felicitate pares extiterunt reges omnes: tamen virtute tales fuerunt plerunque, vt ex periculis liberarint Italiam, & ad Occidentem non ſolùm in rebuſpublicis trãquillitatem, ſed in Eccleſia religionem quoque integram conſeruarint. Et ſi res geſtas atque mores noſtrorum Cæſarum æſtimare voles, iudicabis eos prudẽtia excellentes principes, & minimè barbaros fuiſſe, & nulla in re cenſendos eſſe inferiores illis ſummis & commendatiſsimis imperatoribus Auguſto, Traiano, Adriano, Conſtantino: imò etiam ſi rectè reputes, adfirmabis plus etiam honeſtatis & modeſtiæ in noſtris extitiſſe, quàm in illis. Id quoque reperies, à noſtris ex nulla ambitione vel priuati commodi cupiditate bella ſuſcepta eſſe, ſed ex neceſsitate ſolũ ad conſeruandam religionem, & pro tuẽda imperij libertate, atque ſalute ſubditorum.

Trãslatũ imperium ad Germanos.

Germani Cæſares.

*Ego verò conſcius mihi meæ tenuitatis, quanquam neque iudicare, neque dicere de virtutibus magnorum hominum pro dignitate poſſum, tamen animus eſt aliquos principes præ alijs commendare. Exiſtimo enim pertinere ad officiū cuiuſque hiſtorici, vt nōnunquam in optimarū quarumq; virtutum commemorationem digrediatur, eáſque propter imitationis exemplum veluti ſpectandas exhibeat lectori. Iam verò in humanis rebus nihil neque honeſtius, neque iucundius eſſe poteſt conſideratione, & cognitione heroicarum virtutum in ſummis hominibus. Proinde optarem ego noſtros Germanicos Cæſares Germanis noſtris ob oculos poſitos eſſe ita, vt virtutes eorum cognoſcerent & admirarentur. mirum enim quantum vbique hoc ad emendationem eſſet facturum, atque adeò ad flammam quandam excitādam in animis bonorum virorum in imitādo. Sunt autē hi principes haud dubiè, mea quidem ſententia, tales vt digni ſint qui multis partibus antiquis Romanis anteponantur, ſiue prudentiam, ſiue fortitudinem, ſiue denique honeſtatis & modeſtiæ ſtudia voles æſtimare.*

*Cæſarum Germanicorum catalogus.*

*Carolus Magnus.*

*Ludouicus Pius Caroli filius.*

*Poſt hos ſex Saxones.*

*Henricus primus. Otho magnus.*

*Otho ſecundus. Otho tertius.*

*Henricus ſecundus, qui Bambergæ ſepultus eſt. Lotharius Saxo.*

*Item hi Franci.*

*Conradus. Henricus Cōradi filius.*

*Item hi Sueui.*

*Fridericus Barbaroſſa. Fridericus ſecūdus.*

*Poſtea Rudolphus. Sigiſmundus.*

*Maximilianus.*

## Germania, & occaſio regni Francorum.

*IMperio Romanorum tota Germania non parebat, ſed eas tantùm regiones tenebāt, quæ inter Rhenum & Danubium ſitæ ſunt. Et magnos interim labores Cæſaribus præbuerunt noſtri, donec ab illis ſubigi & retineri potuerunt.*

Germania à quibus bello infeſtata iam inde ab Auguſti tēporibus

*Auguſti enim temporibus in Germania bella geſsit Druſus & Germanicus, poſtea Caius, & poſt hunc Vitellius, Domitianus.*

Traianus inferiorem Germaniam ad Moganum vſq; ſubegerat. Maximiuus vſq; ad Herciniã ſyluam peruenit. Valerianus in ſuperiori Germania cũ exercitu fuit. Poſt hũc ſub Galieno commoti Franci inſurgere cœperunt, ſed ab imperatoribus ſubſequutis aliquoties ſedati ſunt eorum impetus. Aurelianus enim prope Moguntiam vicit eos. Probus præclaris & magnis victorijs vſus eſt in Germania inferiori. Conſtantinus Spirã vrbẽ cõdidit. Iulianus, Valẽtinianus, & Theodoſius ſimiliter Alemanos & Francos repreſſerunt, & eas quæ Rheno adiacent regiones, ſimul & Sueuiã occuparũt. Verũ poſtea ꝙ potentia Francorũ & Alemanorũ creſcere cœpiſſet, Cæſares in Germaniã nõ redierũt.

**Francorũ origo.** De prima origine Francorũ variè fabulãtur quidã: ſed ꝓ certo habetur, Germanos ſuperiores eos fuiſſe Auguſti tẽpore. Nam ante Auguſtũ de Germaniæ ſtatu nihil certi habetur ex hiſtorijs. Porrò fuiſſe Frãcorum tãtam apud Germanos ſuperiores vetuſtatem, id ex Strabone liquido ꝓbari poteſt, qui tempore Auguſti hiſtoriã ſcripſit, & militiã vnà cum Romanis ſequutus eſt. Strabo autem Francos Vindelicis, hoc eſt, Bauaris, cõiunctos eſſe

dicit, quibus hodie quoque ex parte ſunt contermini, Motus Francorum ex hac cœpit occaſione: Temporibus Galieni Cæſaris, dux apud Germanos Poſthumus erat: is ꝑpter ſingularem probitatem, & virtutes in adminiſtrando imperio, à populo Cæſar creatus eſt, Galieno interim otio & luxu Romæ diffluẽte. Cæterùm ſimulatque accepit Galienus imperatorem deſignatū Poſthumum, mittit aduerſus eum inſtructas copias. Poſthumus cōtra & ſuos quoq; in armis paratos eſſe iubet inter quos vel præcipui Frãci fuerũt. Et quãquam poſtea per inſidias clam trucidatus eſt Poſthumus: tamen ſemel ad arma prouocati Franci in expeditione mãſerunt ſemper, deſcenderuntq; à Mogano ad Rhenũ, & trãs Rhenũ Treuerim vrbẽ eripuerunt Romanis primum, poſtea Galliã ingreßi ſunt. Cæterũ poſtquam aduerſus Attilam vna cum Romanis pugnauerunt, coniunctißimi ſemper Cæſaribus fuerunt, adeò vt pacto cum Francis inito, Iuſtinianus Cæſar permiſerit, vt eam Galliæ partem, quæ hodie adhuc Francia appellatur, ſuo imperio ſubditã retinerent. Proinde ſimul & Rhenanas regiones, & Galliæ partem occuparunt Franci, & vtraque

Francia Galliæ pars.

terra vnius regni adminiſtratione ſeruabatur. Magnæ profectò vbique laudes Frãcorũ extant in hiſtorijs, cùm propter ſingularem prudentiam & felicitatẽ in regni gubernatione adminiſtrãda, tum verò quòd in initio ſui regni Chriſtianæ religionis doctrinã amplexi ſint, eamq́; propagari voluerint. Interea & Alemani quoque ab imperio Rom. deſciuerant. Erant autẽ Alemani Germani ſuperiores, qui hodie Sueui, Heluetij & Bauari appellãtur. Itaq; poſt diuulſionẽ Romanæ monarchiæ diuiſa primũ eſt Germania in Alemanos & Frãcos. Sed Frãci tẽporibus Pipini patris Caroli facti ſunt domini Alemanorũ: ideoq́; ita partito imperio, Germaniam ſuperiorem regnum Orientale, & inferiorem ſimul & Galliam Occidentale regnum vocarunt: & ex hac partitione regnorũ etiãnum hodie nomina illa in Germania ſunt relicta.

*Alemani qua occaſione ab imperio defecerit. Germania diuiſa in Alemanos & Francos.*

Carali magni parentes Germanici principes & curiæ præfecti, adeóque primarij gubernatores apud reges Francorum fuerunt, & officij delegatione Maiores domus tum dicti ſunt. Id quoque fertur, hæreditariũ eorum ducatum, & primum dominium fuiſſe, vbi nũc Comitatus Palatinus eſt, circa Rhenum

*Caroli magni parentes maiores domus Palatini priores ex Carolo magno.*

num fluuium. Certum enim eſt, primi Palatini ſtemmatis ortum ex Caroli poſteris fuiſſe. Tandem verò cum regia progenies in dies magis ac magis decreſceret ac debilitaretur, hi autē principes potentiores fierent, factum eſt cōſentiente ſummo pōtifice, vt regni adminiſtratio ad hos principes transferretur: atq; ita Pipinus rex deſignatus, Germaniam & Galliam pariter gubernauit. Pipino mortuo Francorū regno præfuit Carolus magnus cognominatus, annos trigīta duos ante adeptū imperiū, & poſtea imperator factus regnauit annos 14. Itaq; in regno & imperio pariter dominatus eſt 46 annos, ſi in ſummam annorum numerum contrahas. Natus eſt in Ingelheim in Comitatu Palatino non procul à Moguntia vrbe. In initio regni ſui in Aquitania bellum geßit cōtra Saracenos, poſtea circiter annos triginta bella geßit aduerſus Saxones, quos tandē ſubegit, vt & imperio parerēt, & religionis Chriſtianæ fidē amplecterētur, vt de alijs bellis multis & ingētibus nihil dicā, quæ interea geßit atq; cōfecit.

Pipinus Germanæ & Galliæ rex.

Carolus magnus in Ingelheī natus

Caroli magni res geſtæ.

Deſiderius Lōgobardorum rex totius Italiæ imperium adfectauit, & Romam profectus aliquot ex primarijs ciuibus iußit occidi.

Deſiderius Longobardorum rex.

Miſsis itaque ab Adriano pontifice legatis ad Carolum, vt Romam & Italiam à metu periculi liberaret, (nam & pater Caroli Pipinus antea quoque ſeruauerat Romã cõtra tyrannidem Longobardorum) profectus in Italiam Carolus, Pauiæ obſidione compreſsit Deſiderium, & ad deditionem coegit. Cæterùm vbi re ipſa cõperit Carolus ſeditioſam gentem Longobardorum quieſcere non poſſe (nam & antea cum eis tentata res erat) vt contenti finibus ſuis in regno reſiſterent, atq; vt firma pax eſſet per Italiam, totam Lõgobardiam occupauit Carolus, in eáq; tãquam in ſuo regno præfectos & adminiſtratores cõſtituit. Captum autẽ Deſiderium vnà cum regina coniuge & liberis ſecum abduxit, & Leodij iuſsit conſeruari. Exitum hunc habuit regnum Lõgobardorum in Italia, quod annos ducẽtos & tres durauerat ab anno Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Iuſtino imperante, vſque ad annum Chriſti ſeptingenteſimum 75. Is erat ſextus annus regni Caroli ante adeptum imperium. Nam & ſi in hac expeditione Romam profectus erat Carolus, & non ſolùm iu Longobardia, ſed in ea quoque Italiæ parte, quæ vltra Ro-

**Carolus Longobardia potitus.**

mam eſt, pacauit omnia: tamen imperatoriæ maieſtatis titulum vſurpare ſibi nõ volebat, ne Græcos ſuo honore & hac dignitate priuaret. Cæſareas vrbes Italiæ nulla in re violatas, priſtinam libertatem retinere permiſit: ſed Longobardorum regnum perinde atque ſuum retinuit: nam ne Cæſaribus quidẽ illud iam diu fuerat ſubiectum.

Taſſilo Bauariæ dux oppreſſus à Carolo magno.

Taßilo Bauariæ dux bellum concitauit aduerſus Carolum, ſed oppreßit eum Carolus vigeſimo ſui regni anno, & occupato Ducatu; Taßilo vnà cum filio in monaſterium detruſus eſt. Neque verò temere vſus eſt Carolus tanta ſeueritate etiam in affinem: nam & antea tumultu excitato in gratiam receptus Taßilo à Carolo, fidem nõ ſeruauerat.

Anno triceſimoſecundo Romã profectus Carolus Leonem papam reſtituit, aduerſus quem tumultus concitauerant Romani, adeò vt profugere pontifex cogeretur. Iam verò cum re ipſa experiretur Carolus, pacem conſtabiliri nõ poſſe in Italia, donec libertate donatæ vrbes pro libidine agere omnia nõ deſiſterent, neceßitate coactus eſt totius Italiæ imperium ad ſe recipere. Tradidit autem põtifici vrbes, & regiones aliquot ad cõſerua-

tionem miniſteriorũ in eccleſia. In nocte Natalis domini exclamauit papa, Carolũ Romanorum Cæſarem & ſemper Auguſtũ eſſe. Et fertur ad hæc reſpõdiſſe Carolum: Nõ veniſſem in templũ, ſi quicquam tale futurum eſſe mihi cõſtitiſſet prius. Neq; verò imperatorij nominis titulum agnoſcere voluit ſine cõſenſu & ſuffragatione Cõſtantinopolitanorum. Itaque Irene mater Conſtãtini & Nicephorus conſenſerunt, vt ad occidentem Carolus eſſet Imperator, & in id conſenſerunt vltro. nam Conſtantinopolitanis Cæſaribus regiones illæ alioqui non parebant amplius.

Carolus Occidẽtis imperator factus.

Porrò ſimulatque Cæſar factus eſt Carolus, & tranquillato iam magnis laboribus Italiæ ſtatu, bellum Hungaris inferre conſtituit. Et durauit hoc bellum annos octo, quo Hungari deleti ſunt ꝓpemodum. Collocauit & Germanorũ præſidia in Hũgaria Carolus ad cõſeruandum regnũ: ex qua occaſione etiam hodie Germani in Hũgaria finibus habitant, quæ Septẽ caſtra appellãtur. Refertur in hiſtorijs, Carolũ ingentes opes retuliſſe ex Hungaria. & id vero cõſentaneum eſt: nam Hungari bello exercendo iam ſupra ducentos annos intẽti, prædas egerant ex omnibus

Hungari bello infeſtati à Carolo Magno.

Septem caſtra.

ferè nationibus, nulla interim in ipſorũ regnum incurſione facta ab hoſtibus exteris: inde haud dubiè magni & precioſiſsimi theſauri reperti ſunt apud Hũgaros. Interea tẽporis Caroli filius eodẽ nomine appellatus, Bohemiã ſubegit, victo eorũ rege Lechone: atq; ita demum totius Italiæ, Galliæ, Germaniæ, Bohemiæ, & Hungariæ potẽtiſsimus Monarcha factus eſt Carolus, & in trãquillum ſtatum vniuerſum imperiũ ad Occidentẽ redegit, & redactũ cõſeruauit. Itaq; ꝓpter has virtutes, & hanc animi fortitudinẽ, qua vſus eſt in rebus gerẽdis omnibus, meretur & Carolus inter eos heroas recẽſeri, quos ſubinde orbi donauit Deus ad reſpublicas reparandas, ad iuſtitiã, ad æquitatẽ, pudorem, deniq; ad modeſtiæ & publicæ pacis leges reſtituendas inter homines, quales fuerũt olim Dauid, Hercules, Cyrus, Alexãder, Iulius, Auguſtus, Cõſtãtinus, Theodoſius. In primis autẽ in Caroli rebus geſtis notatu dignũ eſt, vt tumultuetur inter maximos reges & principes. Nam ad hos reprimẽdos ſubinde mittit Deus præcipuos Monarchas. Perinde ac noſtra ætate Carolus quintus luxum atq; libidinem Romanorum, & Venetorũ potentiã refrænauit.

Bohemia una cum rege Lechone deuicta.

Monarchiæ & Heroes cur mittãtur à deo.

*At vero non armis, & bellis gerendis ſolùm decet ſummos Monarchas claros eſſe, ſed rebus publicis quoq; inſtituẽdis ex honeſtis legibus, & doctrina religionis. Id verò in primis curæ fuit Carolo. Cõcilia aliquot Romæ celebrari curauit, & Francofordiæ, & in Gallia aliquoties. Quin & tria publica gymnaſia inſtituit ad propagandam & cõſeruandam doctrinam Chriſtianæ religionis, vtpote Bononiæ, Lutetiæ Pariſiorum in Gallia, & Paduæ. In Germania ſimiliter multa monaſteria erexit in vſum iuuentutis inſtituendæ ſcholarum loco. His adde quòd Francorum ius quoque in ordinem redigi, & legum libros conſcribi iuſsit. Nam vetus illud ius Romanorum iam diu antea per Lõgobardos & Francos obliteratum erat.*

Caroli res geſtæ tẽpore pacis

Carolus tria gymnaſia inſtituit.

Monaſteria ſcholæ olim.

*Item & antiquas hiſtorias Germanorum, & cantica in vnum colligi præcepit, quibus adeò delectatus fertur, vt ediſceret ea.*

*Germanicè & Latinè dicendo diſertiſsimus fuit, fuit & Græcæ linguæ non imperitus: nam ipſe Græcos legatos audiuit, & Græcè reſpondit: verùm in longa & continua oratione Latinis verbis vſus eſt. Etiam hodie verſus extant non prorſus inculti, quos*

Carolus Magnus Græce & Latinè doctus.

ipſe in obitum cognati ſui Rolandi fertur conſcripſiſſe. In ſenectute Aſtronomicis diſciplinis operam dedit. Domi inter prandendum & cœnandum lectione librorum Auguſtini delectatus eſt.

In templo horas canonicas vnà cum ſacerdotibus cantauit, & ſacras lectiones quoq;, & id etiam ſuo exemplo principes reliquos voluit facere, quibus ipſe præſcripſit lectiones, quæ ad ſuã & ipſorum emẽdationẽ videbãtur pertinere. Erat enim doctrinæ Chriſtianæ nõ vulgaris amator. In vitæ totius moribus talẽ ſe declarauit, vt qui nulli pietate ſecũdus eſſe poſſet. Præter hæc & Chriſtianis in exteris regnis pecuniarũ ſubſidia miſit, & impetrauit apud Saracenorũ reges, vt Chriſtiani nominis profeſſores clemẽtius tractarentur.

Ventis & menſibus quoq; ea nomina impoſuit, quæ hodie adhuc ſunt in vſu: ita vt ex his omnibus facilè æſtimare liceat, hunc Cæſarem magnis virtutibus, & ſumma felicitate in rebus gerendis à Deo fuiſſe exornatum, vt merito Magni cognomẽto poſsit appellari. Cum eſſet omnibus his virtutibus toto iã orbe clarus, cõſtabilita pace, reparatis legibus, redacto in ordinem religionis ſtatu, vt

præcideret magnorum incommodorum occaſionem, ante obitum ſuum Ludouicũ filium ſuum hæredẽ & ſucceſſorem in imperio deſtinauit, poſtea Aquiſgrani moritur anno ſuæ ætatis ſeptuageſimo ſecundo. Ante obitum Caroli Pons per Rhenum traiectus prope Moguntiã deflagrauit, qui ingentibus impendijs Caroli per decennium extructus fuerat. Portendebat hoc incendium, non multò poſt Germaniam à Gallia diuellẽdam eſſe.

Pōs apud Mogũtiã deflagrãs quid potẽderit.

## Germanus Cæſar ſecundus.

Ludouicus Pius.

ANno Chriſti 815 imperij adminiſtrationem auſpicatus eſt Ludouicus Pius Caroli filius: regnauit annos 26. Carolus plures filios habuit, qui ante obitum patris mortui ſunt. Ludouicus initio ſui imperij, pacis fœdera inita à patre Carolo, cum Conſtantinopolitanis renouauit, & rata eſſe voluit. Poſtea Lotharium filium imperij cõſortem delegit, vt in Italia regnaret. Miſſus Romam, à Paſchali pontifice imperiali corona inſignitus, Auguſtus eſt appellatus. Inde apud Aquiſgranum à Ludouico conuentus eſt habitus pro reformando Eccleſiæ ſtatu, & ſumma diligẽtia affecit, vt miniſtris eccleſiarum neceſſaria

Lotharius

ſubſidia vitæ præberentur. Tranſactio quoque inter eum, & Romanum pontificẽ facta eſt, vt poſteris certo cõſtaret, quæ pars ad põtificem, & quæ ad imperium pertineret.

Pius hic imperator à Lothario filio ex conſilio epiſcoporum & principum quorundam captus eſt, propterea quòd timeret fore, vt ex nouercæ inſtinctu imperium à ſe in iuniorem fratrem transferret. Sed liber factus Ludouicus ad imperij gubernationẽ rediјt, & Lotharium filium vi in Italiam abire compulit: tandem verò in gratiam patris receptus eſt. Ludouicus captus à filio.

Poſt Leonem factus eſt centeſimus papa Stephanus quartus. Is confirmationem ſui pontificatus à Ludouico petiјt.

Stephano ſucceßit 101 papa Paſchalis, & hic ad Ludouicum pro confirmatione legatos miſit. Stephanus à Ludouico Pio confirmatus.

Paſchalis ſucceſſor fuit 102 papa Eugenius ſecundus.

Poſt Eugenium 2 factus eſt 103 papa Valentinus.

Valentino ſucceßit 104 papa Gregorius quartus. Recuſauit recipere pontificatũ priuſquam à Ludouico confirmaretur.

## Tertius Germanicus Cæſar.

Lotharius

Lotharij fratres Ludouicus Germanicus & Carolus Caluus.

i, à neutra parte triumphatum eſt.

Francorũ duces ſũt à Ludouico Germanico.

ANno Chriſti 841 poſt mortem Ludouici Pij, regnauit Lotharius filius eius annos quindecim. Ac nunc finem habet aureum illud ſeculum huius progeniei. Lotharius plures fratres habuit, Ludouicum Germanicum & Carolum Caluum: inter quos diſſenſio fuit propter diuiſionem, ex qua non minus ingens, quàm luctuoſum bellum exortum eſt. Etenim in Gallia tãto inter ſe cõflictu congreßi ſunt fratres, vt quod teſtantur hiſtoriæ, Francorum vires adeò ſint debilitatæ in eo certamine, vt poſtea nunquam potuerint in integrum reualeſcere. Victores fuerunt Ludouicus Germanicus & Carolus Caluus. Poſt commiſſam tantam cladem factis inducijs per principes, in gratiam reducti ſunt fratres. Ludouico ceßit Germania, Suevia, Bauaria, Bohemia, Auſtria, Francia Oriẽtalis, Thuringia, Saxonia, & quicquid erat vſque ad Rhenum fluuium. Ludouicus hic Germanicus rex eſt dictus, & magnæ de eo laudes referuntur. Huius poſteri ſunt Frãcorũ duces reliqui ſequentes. Bohemiã quoq; ad recipiendam fidem Chriſtianã adduxit.

Carolo Caluo maxima pars Galliæ in hæreditaria trāſactione contigit, & ab hoc ſequentes reges Gallorum originem ducunt.

Lotharius Italiam retinuit, & Galliam Narbonenſem, & eam quoque partem, quæ etiamnum Lotharingiæ nomine appellatur: manſit & apud hunc Cæſareæ celſitudinis eminentia. Itaque hac occaſione Gallia à Germania diſtracta eſt tandem: poſtea Lotharius imperij gubernationem Ludouico ſecūdo filio ſuo commiſit, & ipſe iam natu grandis monachorum habitum ſumpſit.

Lotharingia.

Gallia a Germania qua occaſione diſtracta.

Cometæ non pauci hoc anno ante diſſenſionem, & bellum hoc fratrū apparuerunt.

Poſt Gregorium quartum factus eſt 105 papa Sergius ſecundus. Is primum mutauit ſuum nomen: nam ferunt antea Os porci eū fuiſſe appellatum. Ab hoc Ludouicus ſecūdus Lotharij filius coronatus eſt Romæ.

Os porci primus nomen ſuum mutauit.

Sergio ſecundo ſucceßit papa 106 Leo quartus. Is Anglicam arcem Romæ extruxit. Per delatores accuſatus eſt apud Lotharium, quòd aduerſus eum moliretur imperij ſublimitatem à Francis ad Græcos trāſferre. Itaque cum Romam profectus eſſet Lotharius, expurgauit ſe papa.

Anglica arx condita.

*Ioãnes octauus papa fœmina.*

*Poſt Leonem quartum factus eſt papa Ioannes octauus. Hũc Moguntiæ natum, & fœminam fuiſſe ferunt.*

*Poſt Ioannem octauum factus eſt 107 papa Benedictus tertius. Sub hoc tẽpus magnæ cõtentiones & tumultus exorti ſunt ꝓpter electionem, ſed hos ſedauit Lotharius.*

## Quartus Germanicus Cæſar.

*Ludouicus ſecundus.*

A*Nno Chriſti 856 imperium aſſumpſit Ludouicus ſecundus Lotharij filius: regnauit annos viginti. Saracenos magno impetu Italiam ingreſſos repreſſit, & ſuperauit. Reparata per Italiam pace, moritur. Mediolani ſepultus eſt.*

*Poſt Benedictum tertium factus 108 papa Nicolaus primus.*

*Nicolao ſucceſſit 109 papa Adrianus ſecundus à ſacerdotibus, & populo electus.*

*Poſt Adrianũ ſecundum factus eſt 110 papa Ioannes nonus. Is conſpiratione facta cum Gallorum regibus, à Germanis imperij maieſtatem ſtudebat transferre in Carolum Caluum, deinde in Ludouicum Balbum eius filium: ſed imperiũ per vim retinuerunt Germani, id quod poſtea dicemus. Interea dum*

hæc molitur pontifex, captus eſt, ſed elapſus profugit in Gallias ad Ludouicum Balbum.

## Cæſar ex Gallia.

ANno Chriſti 876 Romam venit Carolus Caluus, & adiuuãte pontifice Ioanne nono Cæſar deſignatus, regnauit annis duobus. Erat Lotharij frater Carolus Caluus Pij filius, cui in diuiſione regnorum Gallia contigerat. Iam verò machinabatur Romanus pontifex imperij maieſtatem à Germanis ad Gallos transferre, verùm id ferre noluerunt Ludouici Germanici filij. quod vbi audiſſet Caluus, cõminabatur tam innumerabiles hoſtium copias trans Rhenum ſe ducturum, vt vel ab equis exhauſto Rheno exercitus ſiccis pedibus poſſet tranſire. O impudentes nimirum Gallorũ minas. Inſtructo autem exercitu aduerſus illum ad quinquaginta milia Coloniam vſque deſcendit, vbi non procul ab Andernaco à duobus filijs Ludouici Germanici fuſus eſt.

Carolus Caluus.

Gallicæ minæ.

Proximo anno profectus eſt in Italiam Caluus, quò eum ſequuti ſunt nepotes duo illi Ludouici filij. Cognita hac fama ſubitò ex timore morbo correptus interijt. Interea tamẽ

Calui mors

pertinaciter in transferendo imperio laborauit Ioannes pontifex, & voluit Calui filium patris loco ſuccedere. Proinde à Germanis legatis, & qui his addicti erant, captus eſt Romæ: ſed elapſus ex eorum manibus ad Galliæ regem profugit, vbi Ludouicum Balbum Calui filium Cæſarem creauit. Balbus hic non amplius duobus annis poſt Calui patris mortem ſuperſtes vixit. Atque ita demum adfectatio imperij infeliciter ceſsit Gallis, & ſimul fallacibus technis ſuis fruſtratus eſt pontifex.

## Quintus Germanus Cæſar.

Carolus Craſſus.

ANno Chriſti 881, imperium ad Germanos rediјt. Etenim ingreſſis iterum Italiam Saracenis & depopulantibus omnia, reuocarunt Romani ex Gallia pontificem: erat enim ſubſidio opus Italis contra Saracenos. Et mortuo rege Galliæ, cùm nondum eſſet ætate adultus regius hæres, magnæ paſſim diſſenſiones in Gallia concitabantur de adminiſtrando regno, donec regius filius adoleſceret. Itaque hac neceſsitate compulſus papa ſubſidia Germanorum implorauit ad eripiendam Italiam ex impetu periculorũ. Ve-

nit tum in Italiam Carolus Craſſus Germanici filius, & profligatis Saracenis, imperialem coronam accepit anno Chriſti 882. Regnauit Carolus poſt acceptum diadema annos 9. Sub id tempus Normandi irruentes in Galliam tanta vbique damna intulerunt, vt coacti ſint Galli præſidia à Germanis poſtulare. éſtque omnium conſenſu Carolus rex Galliæ deſignatus, atque ea demum occaſione, & Germaniæ, & Galliæ regnum obtinuit Carolus Craſſus iterum. Cæterùm non multo pòſt eadem hæc regna dirempta ſunt. In Morauico bello moleſtiæ & laboris impatiens Craſſus, relicto imperio, fratris ſui filium Arnolphum Cæſarem conſtituit, à quo deſtinati ſunt Carolo in imperio tanti reditus, quanti ſatis eſſe potuerunt ad regiũ apparatum, donec viueret.

Normãdi in Galliã irruentes

## Sextus Cæſar Germanicus.

ARnolfus Carolomani filius, Bauariæ Sueuiæ, atque Francorum dux, Caroli tertij nepos, eidẽ in imperio ſuffectus eſt anno Chriſti 891 regnauit annos duodecim. Primum Morauos vicit, deinde Normãdos, qui iam ex Gallia reuerſi ad Rhenum vſque

Arnolfus Cæſar.

peruenerant, & Vuormaciam profecti Moguntinenſem epiſcopum ſupplicio adfecerãt.

Normãdi uicti.

Victi à Cæſare Normandi Chriſtianam fidem tandem amplexi ſunt. Poſtea, vbi dux Spoletanus Vuido per tumultum Cæſar eſſet creatus, in Italiam profectus Arnolfus, magna vi Romam cepit, & à Formoſo pontifice maximo coronatus. Itaque occupata rurſus Italia, in exilium pulſus eſt Vuido. Burgundionum quoque ducatum Germanico imperio reſtituit.

al. Martinus 12.

Ioãni 9 ſucceßit tertius papa Marinus.

Marino ſucceſsit 112 papa Adrianus 3.

Adrianus 3 ſecutus eſt 113 Stephanus quintus.

Poſt Stephanum quintum factus eſt papa 114 Formoſus.

Iterum tum ingens diſsidium fuit Romæ de electione: nam & Sergius ſimul pontifex creatus eſt: ſed pulſo Sergio à fautoribus Formoſi, adſcitus eſt Cæſar à Formoſo in Italiã, vt ea occaſione papatũ retineret. Etenim ꝓfugerat in Galliam Sergius, & moliebatur præſidio Gallorum pontificatum conſequi. Cæterùm poſt annos aliquot pontifex factus eſt defuncto Formoſo, & maiorem quàm debuiſſet

buiſſet pro pontificia manſuetudine, tyrannidem & inſolentiam exercuit. Effoſſum Formoſi cadauer degradari mandauit, & capite truncatum in Tyberim fluuium cum ſumma ignominia abijci. Scribunt Sergium hunc planè incultum, & nulla præditum eruditione fuiſſe: id quod crudelia eius facta ſatis arguunt. Sergius pontifex indoctus & tyrannus.

Formoſo ſucceſsit papa 115 Bonifacius ſextus.

Poſt bonifacium 6 factus eſt Papa 116 Stephanus 6. Hic reſcidit & damnauit omnes ordinationes Formoſi.

Stephanũ ſecutus eſt 117 papa Romanus.

Romani ſucceſſor fuit 118 papa Theodorus ſecundus.

Poſt Theodorum ſecundum factus eſt 119 papa Ioannes 10. Hic reiectas à Stephano ſexto ordinationes Formoſi iterum recepit, & approbauit.

Poſt Ioannem 10 factus eſt 120 papa Benedictus 4.

Poſt Benedictum 4 factus eſt 121 papa Leo quintus. captus hic eſt à Chriſtophoro.

Poſt Leonem 5 factus eſt 122 papa Chriſtophorus. captus hic eſt à Sergio tertio.

Poſt Chriſtophorum factus eſt 123 papa Sergius 3. Is humatum corpus Formoſi truncari capite iuſsit. Res plena horroris eſt, vel legere, vel meminiſſe tantam tyrannidem inter ſe mutuo exercuiſſe pōtifices Romanos. Et fieri non potuit in tanta crudelitate, vt Christianæ pietatis ratio haberetur: ne cui mirum ſit interim, ſi qui abuſus & peruerſæ opiniones in eccleſiam irrepſerint.

Pontificū Romanorum tyrānis.

## Septimus Germanicus Cæſar.

Ludouicus 3.

ANno Chriſti 903 Ludouicus Arnolfi filius, patri in imperio ſuffectus, regnauit annos decem. Coronam accepiſſe nuſquam legitur. Etenim mortuo Arnolfo, Hūgari maximo impetu Germaniam inuaſerunt. His oppoſuit ſe optimus princeps Cæſar Ludouicus, & grauiter proſtrauit eos apud Lycum fluuium, ſed ab illis poſtea viciſsim victus eſt. Tum verò victores Hungari maximas vbique calamitates, & damna incredibilia Sueuis, Francis, Bauaris & Auſtriacis intulerunt. Trucidatis quibuſuis ſine delectu & commiſeratione, templa, vrbes, villas, pagos, omnia denique incendio deuaſtarunt.

Hungari Germaniā & Italiā vaſtantes.

*Poſtea Italiam ingreßi ſimili crudelitate vſi ſunt. Erat tum Foroiulij princeps Berengarius, qui collectis ingentibus copijs aduerſus Hungaros, quanquam interim parum feliciter pugnaret, tamen ex ea expeditione tātam exiſtimationem nominis conſecutus eſt, vt poſtea Cæſarem ſe voluerit nominari.* Berengarius Foroiulij princeps.

## Octauus Germanicus Cæſar.

A*Nno Chriſti 912 Conradus deſignatus Cæſar, regnauit annos ſeptem. Cæterùm à pontifice coronatus non eſt. Ludouici tertij ex fratre nepos erat: dux Francorū fuit, & nouißimus ex nobilißima poſteritate Caroli Magni, id quod ex ſubſcripto Genealogiæ ordine poteris æſtimare, quem ideo ſubiecimus, vt cognoſcatur quantis caſibus, & quàm varijs vicißitudinibus expoſitum fuerit regnum Germanorum: id quod legi citra ingentem admirationem non poteſt. Illud enim vbique videre licet, florere aliquādiu maxima regna in mundo, ſed tādem debilitari, & turbulentis motibus miſceri: interim diuino tamē fato ſic ſeruari, vt nō prorſus intereant. Ludouicus tertius nullū filium reliquit: ideóque Franci & Saxones pariter* Conradus primus.

Otho Saxonum dux.

contendebāt, Othonem Saxonum ducē Cæſarem deſignare: verùm reſtitit optimus princeps, nolens eam ignominiam generoſiſſimæ ſtirpi Caroli inferri. Proinde Conradum Frācorum ducem Cæſarem creandum conſuluit. Itaque ſucceſſit Conradus in imperio, ſed in maiore authoritate Otho erat, & viuente Conrado plura negocia quoque in imperio confecit: interim tamen ſumma fide & integritate vſus eſt erga Conradum Cæſarem.

Interea autem dux Foroiulianus Berengarius imperatoris ſibi nomen vſurpabat in Italia, inſtigabátque Hungaros, vt iterum Germaniam depopularentur, ſed hos ſuperauit Conradus præſidio Othonis ducis.

Henricus Auceps.

Porrò mortuo Othone, timebat fortaſſe Conradus Cæſar, ne Othonis filius Henricus Auceps potentia nimium creſceret. Itaque ſubtraxit partem illorum, quæ Othoni patri antea conceſſerat. Et quum id egerrimè ferret Henricus, conatus eſt Cæſar per inſidias eum opprimere, & ad id perficiendum ſubornatus eſt Moguntinus Epiſcopus. Sed inſidiæ patefactæ ſunt: tum verò vehementer commotus Henricus ad ſuos rediјt, & ea omnia eripuit Moguntino præſuli, quæ eius

ditioni in Thuringia atque in Heßia ſubiecta erant. Hinc verò ingens bellũ inter Frãcos & Saxones ortum eſt.

Cæterùm moriturus iam Conradus, accerſito ad ſe fratre ſuo duce Ebrardo, mãdauit vt imperiale diadema ad Hẽricum Saxonum ducem deferret: nam hunc exiſtimabat dignißimum imperij adminiſtratione. Hortatus quoque eſt Ebrardum principem ſumma diligẽtia, vt bello quod aduerſus Hẽricum Saxonem ſuſceperat, finem imponeret, ne Frãci ſuperſtites adhuc è ſtirpe prorſus interirent. Nam ſatis conſyderare ſe fortunari res Henrici diuinitus. Conſilio huic paruit Ebrardus dux vltro, & tranſlata ad Henricum corona, & firmata vtrinque pace fidum ſe poſtea Henrico præbuit. Atque hac occaſione contigit, vt imperium à Caroli poſteris ad Saxones ſit tranſlatum. Imperiũ ad Saxones tranſlatum.

## Genealogia Caroli Magni.

Carolus Magnus imperator.

Ludou. pius imperator huius filij hi tres fuerunt.

| | | |
|---|---|---|
| Ludouicus Germanicus, | Lotharius Imperator. | Carolus Caluus Galliæ. |

| | | |
|---|---|---|
| qui Alemaniã habuit & Bohemos ſub- egit: eius fi- lij fuerunt, | Lotharingiã & Italiam habuit, eius filius Ludoui- cus ſecundus. | rex: filius hu- ius, Ludoui- cus Balbus rex Galliæ. |

Ludouicus, Carolus Craſſus, qui Caluo imperium eripuit, & Carolomanus.

Carolomani filius erat Arnolfus, qui poſt Craſſum imperauit.

## Arnolfi filij.

| | |
|---|---|
| Ludouicus 3 imperator. | Conradus: & huius filij fuerunt, |

| | |
|---|---|
| Ebrardus, cuius poſteri ſunt Francorum principes. | Conradus, poſtremus in hac progenie Cæſar. |

Ludouicus 2 imperator Saracenos ex Italia propulſauit. Poſt eũ voluit papa imperiũ ad Gallos, ad Caluũ transferre, ſed filij Ludouici Germanici imperiũ Germanis reſtituerũt.

Non multo pòſt & Galliæ regnũ à poſteritate Caroli tranſlatum eſt. Vſqueadeò in humanis rebus nihil in ſuo ſtatu perpetuò firmũ perſiſtit, vt vel ſummorũ heroũ ꝓgenies, nunc in altum elatas florere, nunc rurſus in imum deiectas frangi & debilitari dicas.

Poſt Sergium factus eſt 124 papa Anaſtaſius tertius.

Poſt Anaſtaſium 3 factus eſt 125 papa Lando.

Poſt Landonem factus eſt 126 papa Ioannes vndecimus.

## Nonus Germanicus Cæſar.

ANno Chriſti 920 Cæſar factus Henricus primus Auceps dictus, Saxoniæ princeps, regnauit annos 17. A pontifice maximo coronatus non eſt, neque in Italiam perrexit, tametſi interim duo in Italia imperatoris ſibi nomen vſurpabant, & per tumultus concertatione facta aliquoties inter ſe iuſto exercitu pugnarant. Etenim plus ſatis negocij habuit in Germania Henricus, quam optimus princeps pro ſingulari prudētia ſua ſummo ſtudio pacauit, & excellentiorē reddere conatus eſt. Henricus primus.

Porrò Germanicum regnum nunquam ferè caruit ſeditioſis tumultibus, nunquam propemodum deſignatus Cæſar eſt ſine ſeditione quorundam principum, qui imperatoris nomen rapere vellent. Interim tamen ſemper adfuit Deus ritè vocatis Cæſaribus, & tuta-

tus eſt legitimi imperij authoritatẽ, & vindicatum eſt in ſeditioſos. Dux Bauariæ Arnoldus quũ infeſtis armis oppoſuiſſet ſe Hẽrico, is arcendæ iniuriæ cauſa profectus eſt cũ inſtructis copijs aduerſus Bauaros: ſed nihil hoſtiliter tentans, poſtulauit Arnoldum ducem ad colloquium familiare. Contulit cum eo ſermones, & monuit ſerio imperij maieſtatem à Deo donari: quòd ſi reliquorum principum ſuffragijs Cæſar eligeretur, tum ſe vltro ceſſurum, & ſub eius ditionem ſubmittere ſe primum omnium paratum eſſe. Retulit hæc Arnoldus dux ad ſuos: à quibus reſponſum eſt, Videri palã à Salomone veriſſime dictũ eſſe de Sapientia: Per me reges dominantur. Et quum appareat ſatis, ſapientia & comitate ſumma præditum eſſe Henricum, Deum haud dubiè adeſſe ei: proinde ab inceptis porrò deſiſteret, neq; moliretur amplius aliquid in Henricum. Quieuit itaque dux Arnoldus, & ſine cæde ſuorum vltro paruit. Quis quæſo non diceret hos principes Germanos minimè barbaros fuiſſe, & verè heroica ſapientia, & humanitate ſummæ præditos excelluiſſe? Quin & illud ſcriptũ reperitur, ſancto Vdalrico viſionis phantaſma

Henrici Cæſaris colloquiũ cũ Arnoldo Bauariæ duce.

Viſio S. Vdalrici.

de duce Bauariæ obſeruatũ: oſtẽſum enim à Deo ducẽ gladiũ capulo carentẽ habere: quo ſignificabatur nõ vſurũ ducẽ gladio, hoc eſt, imperiũ retinere nõ poſſe. Itaq; monuit principem, ne quid imprudenter tentaret.

Poſtea ab Henrico Brandeburgũ captum eſt: & ſubacti Vandali ad mare vſq;, Chriſtianæ fidei profeßionem ſumpſerunt. Res geſtæ Henrici primi

Pragenſem vrbem obſedit, & Bohemos imperij legibus ſubiecit.

Inde verò quadraginta milia Hungarorũ apud Meſburgum proſtrauit, vnde & ingentem ſui timorem ac æſtimationẽ apud nationes exteras ſibi conciliauit, & toti Germaniæ ſummam tranquillitatem peperit. Lotharingiæ terram Germaniæ regno reſtituit, & à Rudolpho Burgũdionum rege lanceam illam qua Chriſtus perfoſſus eſt, conſequutus eſt: quam olim habuerat Conſtantinus.

Henricus Auceps morti iam proximus, ſucceſſorem in imperio conſtituit Othonem filium ſuum, ne quod dißidium de poſſeßione imperij poſt ſuam mortem poſſet exoriri.

Ioanni vndecimo ſucceßit 127 papa Leo ſextus.

Leoni 6 ſucceßit 128 papa Stephanus 7.

*Stephanum 7 ſecutus eſt 129 papa Ioannes duodecimus.*

*Ioãni duodecimo ſucceßit 130 papa Leo 7.*

*Leoni 7 ſucceßit 113 papa Stephanus 8 Germanus.*

## Decimus Germanicus Cæſar.

Otho I. Motus contra Othonem.

*OTho primus Henrici Aucupis filius auſpicatus eſt regnum ſuum anno Chriſti 938, & imperauit annos triginta ſex. Aquiſgrani ab Epiſcopo Moguntinenſi imperialem coronam accepit. In initio imperij Othoni tres ingentes, & pleni magnis periculis tumultus ſimul exorti ſunt.*

Ebradus Palatinus Giſelbertus Lotharingiæ princeps. Henricus Othonis frater.

*Primi tumultus auctores fuerũt Ebrardus Palatinus, & Giſelbertus Lotharingiæ princeps. Hi, quòd ex poſteritate Caroli & Francorũ erant, contẽdebant ſucceſsionis iure imperium à Saxonibus ad Francos deriuare: & vt conatus illi plus iuris habere viderentur, pertraxerunt ad ſe Henricum fratrem Othonis natu grandiorem, eo prætextu, quòd ætatis nomine ipſi deberetur adminiſtratio imperij, & non Othoni.*

*Durauit hoc bellum cum Palatino comite Ebrardo & duce Giſelberto annos ſex, &*

plurimæ in eo pugnæ cōmiſſæ ſunt. Cæſarem ſecuti ſunt princeps Hermannus Sueuus, & Conradus Francorum dux, dictus Conradus Vuormacięſis Sapiēs, Ebrardi nepos. Ab his vltimo pugnatū eſt contra hoſtes apud Andernacum cōflictu grauiſsimo, in quo Palatinus Ebrardus occubuit, & dux Giſelbertus inter fugiendum in Rheno ſubmerſus eſt. Plenum eſt horroris exemplum, quo moneri poſſumus, ſeditionis ſtudiū etiam in ſummis principibus inultum à Deo nō relinqui. Cæterùm hic Ebrardus an is ſit de quo diximus antea, qui coronam Henrico Aucupi portarit, certò non conſtat. Nam noſtrarum hiſtoriarum ſcriptores, homines rudes, & imperiti planè fuerunt illarum rerum, quarum obſeruatio in contexendis hiſtorijs eſt neceſſaria. Hermannus Sueuiæ princeps. Conradus Francorū dux.

Porrò poſt adeptam hanc victoriam, nondum ſopita contentio erat, quem cum Henrico fratre habuit Otho Cæſar, & præterea cum Epiſcopo Moguntino. Henricus Meſburgi obſidione cinctus eſt: ſed vidēs conatus ſuos irritos eſſe, & debilitari ſua præſidia, ipſe ad Othonem Cæſarē ſupplex venit, & orans delicti veniam, in gratiam ab Othone eſt receptus, ac non multò poſt defunctis Ba- Motus ſecundus cū Henrico fratre.

uariæ ducibus ſine hærede maſculo, donauit Otho Cæſar fratrem ſuum Hẽricum ducatu Bauarico. Ille autẽ Henricus Cæſar, qui Bãbergæ ſepultus eſt, huius Henrici ducis ex filio nepos fuit : id quod infra dicemus.

Poſtea & Moguntiam obſeſſam cepit Cæſar, & captus epiſcopus eſt, verùm intra paucos dies liber dimiſſus eſt.

Motus tertius contra Othonem à proprio filio.

Tertius motus contra Othonem multos poſt annos coortus eſt à proprio eius filio Ludolfo, ex ea occaſione: Otho primum reginã ex Anglia habuit, Edith appellatam, quæ Magdeburgi ſepulta eſt. Ex hac filium Ludolfum ſuſceperat. poſt huius obitũ Burgundici ſanguinis reginã duxit, id quod Ludolphus nõ ꝓbauit. Cæterùm quid porrò acciderit, incertum planè eſt. Nã noſtri apud Germanos hiſtoriarum ſcriptores nullas ferè res geſtas integrè per ſuas cauſas & circũſtãtias expreſſerunt: & ne potuerunt id quidẽ, quãdo monachi priuato ocio fruentes, plerunque fuerunt alieni à rebus omnibus quæ in Rep. adminiſtranda geruntur: vt interim non dicam ſegniores eos quoque fuiſſe, ꝙ qui cauſas & occaſiones maximarũ rerum ex alijs cognoſcere, & ſcrutari voluiſſent ex officio

veri hiſtorici. Tamen hoc memorant, Salfeldiæ Ludolfum cōuentum habuiſſe, & cōſpiraſſe aduerſus patrem, & appellant Salfeldiam locum conſilijs funeſtū. Interim tamen Ludolſus maximos quoſq; principes huius cōſilij, & cōſpirationis participes habuit, inter quos Francorū quoq; dux Cōradus ſapiens fuit. Interea verò dum hæc gerūtur, in Italia pater eſt, qui ſimulatq; reuerſus eſt in Germaniam, Moguntiæ obſedit filium. Verùm elapſus Ludolſus, Ratiſbonam vſq; ꝓfugit: ſed ſubſecutus pater, Ratiſbonā quoq; grauiter obſedit duobus menſibus. Perierūt in ea obſidione homines nō pauci, inter quos vel præcipuus fuit dux Bauariæ iunior, Arnoldus. Poſt huius mortē pacē vltro expetens Ludolfus, nudatis pedibus ſupplex venit in cōſpectum patris, & humi prouolutus, omni cum miſeratione admiſſi peccati condonationem poſtulauit. Itaq; receptus eſt in gratiam patris, & firmiſſimè pacis leges cōſtitutæ ſunt. Salfeldia. Arnoldus dux Bauariæ.

Nunquā ferè inter Cæſares quiſquā vel plures, vel periculoſiores res habuit atq; confecit q̃ hic Otho Cæſar, ſiquid ego poſſum cōſiderare. Sed interim in illis omnibus nō ſine fauore Dei, incredibili ſemper felicitate vſus

eſt. Nam interea dum geruntur hæc bella, Bohemos, Hungaros & Francos vicit: præterea & Italiæ ſtatum turbulentum tranquillauit, id quod breuiter indicabimus.

Hungari fuſi ab Othone.

Hungaros apud Auguſtam vrbem ad Lycum fluuium fudit, atque ita debilitauit robur eorum, vt poſtea Germaniam amplius ingredi non ſint auſi. In hoc conflictu occubuit Conradus Sapiẽs: vbi etiam S. Vdalricus Auguſtanus Epiſcopus in exercitu apud Cæſarem fuit.

S. Vdalricus.

Porrò cum maximis vndique periculis circumueniretur Otho, cõfidebant Franci facili labore ſe ad ſuos imperiũ rurſus trãſlaturos: ſed hic in Othone compertũ eſt, fruſtra ſe homines ei opponere cui Deus eſt propitius. Othonem circuncingũt hoſtes innumeri, Bohemi, Franci, Hungari, Itali, Galli: ſed horum omnium viribus virtus optimi principis frangi & opprimi nõ potuit. Galli cõminabantur, ducere in Germaniam tantũ exercitum, quantus viſus antea nõ fuiſſet. Ad quæ reſpondiſſe Othonem ferunt. Inanes eas cõminationes parum decere ſapiẽtes principes, cùm conſtet victoriam & euentum belli in manu Dei eſſe. Reſpondit & hoc quoque,

ductarum ſe in Galliam totpileos ſtramine contextos, quot nunquam antea vidiſſent: & ea de cauſa omnes in toto exercitu ſtramineos pileos ferebant, quem vſpue ad Lutetiã Pariſiorũ perduxit. Nam Hugo princeps in Gallia captum tenebat regem Gallorum dominum ſuum, & idem ſtatuerat Galliã, & imperij quoq; dignitatem ſibi vſurpare. Captus eſt hic ab Othone in Pariſienſi vrbe, & liberatum regem Ludouicum affinem ſuum in Galliæ regnũ reſtituit. Nupta erat Ludouico huic Othonis ſoror Gerburga. Otho tum Germaniã inferiorem, Lotharingiam, & Burgundiam imperio Germanico reſtituit.

Hugo Galliæ princeps

Ludouicus reſtitutus in Galliæ regnum.

In Italiam quoque ſæpiſſime per incurſionem impetum fecerant Hungari, ſed interim Cæſaribus quibuſdam ante Othonis tempora tantũ negocij fuerat in Germania, vt Italiæ ſuccurrere non potuerint. Iam verò extrema neceſſitate adactis Italiæ principibus ad reſiſtendum Hungaris, contigit vt Berengarius Foroiulianus princeps magnã ſibi virtutis admirationem pararet, & poſtea totius Italie regnum ſibi vſurparet. Et quanquam alij quoq; principes ꝓpter Italiæ principatũ tumultuarentur, tamen potẽtia excel-

lens alios Berengarius in tertium vſq; hæredem Italiam occuparat. Is Cæſaris ſibi titulum arrogabat, & ſumma in Italia crudelitate vtebatur. Aduerſus huius tyrãnidem opem & præſidia quæſierunt Itali apud Othonem. Itaque profectus in Italiam Otho, Longobardiam inuaſit, & obtinuit. Berengarius vltronea deditione impetrauit apud Othonem eam gratiam, vt non pelleretur prorſus ex Italia, ſed ducatum poßidendum retineret. Poſt duodecim annos iterum euocatus eſt Otho in Italiam, vt Italos vnà cum clero & pontifice Romano ex tyrannide Berẽgarij vindicaret, quod & ſtrenuè perfecit. Nam vbi iterum veniſſet in Italiam, Berẽgarium & filium Albertũ captos relegauit propter perfidiam: patrem vnà cum coniuge Bambergam, vbi & totã vitam ſuam trãſegerunt exules: filium verò, Byzantium. In hac expeditione Romam ingreſſus Otho à Ioanne xij. eſt coronatus. Otho hic primus eſt imperator, qui pontifici iuramentum præſtitit, cuius forma extat 63 diſtinct. cap. Tibi domino Ioanni.

Berengarius Othoni ſe dedidit.

Berengarius ob perfidiam captus cũ filio.

Otho primus iuramentum præſtans

Poſtea verò ſecundo reuerſus eſt Otho Romam, vt papam Ioannem corriperet, quòd

plurimorum

plurimorum criminum reus ageretur. Proinde ſceleris ſui conſcius ſibi pōtifex ob metum Othonis profugit. Ideóque in locum eius ſuffectus eſt papa Leo octauus. Cæterū ſub ambitionem Othonis reuerſus Ioannes Romam, eiecit Leonem: qui iterum ad imperatorem profugit. Sed prudentiſsimus Cæſar ſumma induſtria vſus, ne ſchiſmatis occaſionem daret, permiſit papatu fungi Ioānem donec viueret: cæterùm mortuo Ioanne, Leonem vt legitimè creatum pōtificem eſſe reſtituendum. verùm id noluerunt ratum habere Romani, qui repudiato Leone alium quendam Benedictum elegerunt in odium Cæſaris. Tum verò rediēs Otho, Papæ poſſeſsiones inuaſit, & magnam vbique cladem commiſit. Obſedit etiam vrbem Romam, donec ciues fame ac egeſtate coacti Othoni portas vltro aperuerunt. Obtruncatis tum multis Romanis, & relegatis cōſulibus reſtituit Leonē, & pacatis rebus reuerſus eſt in Germaniā, ducto ſecum Benedicto, qui Hamburgi ſeruatus eſt. Contētiones pontificum.

Tertio Romā ꝓfectus Otho, Saracenos & Græcos ex vltimis Italiæ partibus fugauit, tum filium ſuum Othonē imperij cōſortem electū, adductum ſecum iuſsit coronari,

eiq; Cæſaris Conſtantinopolitani filiam reginam in matrimonium tradi curauit. Ex his omnibus facile æſtimari poteſt, & hunc Othonem etiam ex illis heroibus extitiſſe vnũ, quos ad procumbentem ſtatum orbis reparandum ſubinde donauit Deus. Collapſum enim imperium Romanum erexit, & totam Europam pacatam reddidit: tutatus eſt ſuo præſidio totam Italiam & Germaniã: Hũgaros & Gallos domuit. Breuiter, imperij maieſtatem ſuo priſtino nitori reſtituit, & in ordinem redegit: poſtea in ſumma tranquillitate Quedelnburgi moritur. Memoriæ etiã proditũ eſt, reperiſſe eum primum argenti fodinas in Miſnia. Contulit præterea multa beneficia Eccleſiæ, ad conſeruandã religionem, & prouehẽdam doctrinã pietatis, ob quam etiam cauſam non parũ multos Epiſcopatus inſtituit, vt Magdeburgi, Miſniæ, Brandemburgi, Meſburgi & Ceitzæ.

Argenti fodinæ in Miſnia inuentæ.

Poſt Stephanum 8 factus eſt 132 papa Martinus tertius.

Martino 3 ſucceſſit 133 papa Agapetus 2.

Agapeto ſucceſſit 134 papa Ioannes 13.

Is Othonem primũ Cæſarea corona exorna-

uit: poſtea profugiens Roma, timebat ne ob vitæ impuritatē ab Othone officio eijceretur.

Profugo Ioanni ſuffectus eſt 135 papa Leo 8.

Porrò vbi Romam rediſſet Ioannes, ad Cæſarem Leo profugit, ſed mortuo Ioāne reſtitutus eſt.

Leoni ſuceßit 136 papa Ioannes 14. Ab hoc Otho ſecundus imperij corona donatus eſt.

## Cæſar Germanus XI.

ANno Chriſti 974, Otho ſecūdus regnauit poſt obitum patris annos decem, & aduerſus hunc exortus tumultus eſt. Nā cognatus eius Henricus, Bauariæ dux, imperium affectabat. Non eſt is Henricus frater Othonis primi, de quo ſuprà dictum eſt, qui conſpiratione facta inſurrexit in fratrem Othonis, & poſtea reconciltatus Cæſari Bauarorum ducatum adeptus eſt. Nā primus hic Saxonici ſanguinis dux Bauariæ annos 15 ante Othonem fatis conceſſerat. Verùm huius primi Henrici filius eſt Henricus is qui Othoni ſecūdo ſeſe oppoſuit, ſed hunc ſtudētem nouis rebus ſtatim armis domuit Otho.

Otho ſecūdus.

Henricus Bauariæ Dux.

Galli domiti ab Othone ſecundo.

Poſtea Galli apud Aquiſgranum inopinatò Cæſarem oppreſſerunt, & vix elapſus eſt ex eorum inſidijs. Verùm exercitu reparato, Galliam ingreſſus Otho, Pariſios vſque depopulatus eſt omnia, & ad pacem poſcẽdam coegit Gallos, qui iureiurando ſe tum aſtrinxerunt, quòd poſtea Lotharingiã amplius non eſſent aſſerturi.

Otho ſecũdus, à nautis captus.

Porrò pacata Germania, profectus eſt in Italiã. Ibi verò in Apulia cum Græcis & Saracenis congreſſus eſt, ſed victo ſuo exercitu, ipſe inter fugiendum à nautis captus eſt. Verùm cùm ob Grææ linguæ cognitionẽ ignotus eſſet nautis, neq; haberetur princeps Germanus, facili pecunia ab hoſtibus ſe redemit, & Romã reuerſus pro veteri ſuo more imperium adminiſtrauit. Ferunt ab Italis veneno necatum, propter ſeueritatem duriorem, qua in imperio vſus eſt.

Ioanni decimo quarto ſucceſsit 137 papa Benedictus quintus.

Benedicto ſucceſsit 138 papa Donus 2.

Dono mortuo factus eſt 139 Bapa Bonifacius viij.

Bonifacio ſucceſsit 140 Papa penedictus vi. huius tẽporibus Cæſar factus eſt Otho 3.

## Cæſar Germanus. xij.

Otho tertius.

ANno Chriſti 983 Otho tertius imperauit poſt mortem ſui patris annos 19. ætate puer erat vix dum annum duodecimum egreſſus cum moreretur pater: proinde Henricus Bauariæ dux, cognatus Othonis huius, ſeruandum eum Romæ curauit. & iterum cœpit imperij poſſeßionem ſibi vſurpare. Itali plerique Creſcentium declarandum Cæſarem ſuadebant, vt Imperialis maieſtas ad Italos reduceretur iterum. Sed fideles erga ſuum dominum Germani principes, reuocatum ab Henrico iuniorem Othonem, cõmunibus omnium ſuffragijs Cæſarẽ deſignarũt, id quod & conſenſu ſuo ratum aſſeruit Benedictus pontifex maximus.

Germanorum ſtudium & fidelitas in conſeruãdo imperio.

Primũ bellũ geßit contra Gallos, qui præſtiti iuriſiurãdi obliti, iterum Lotharingiam inuaſerant, captis etiam vrbibus aliquot, ſed repulſis Gallis Otho retinuit Lotharingiam.

Creſcentij principis Romani ſupplicium ob affectatum imperium.

Interea temporis princeps quidam Romanus Creſcentius, vſurpato ſibi imperiali nomine, ſummam crudelitatem in Italia exercuit. Itaque ingentibus copijs accinctus Romã venit Otho, & captum Creſcentium, naſo &

auribus truncatus, retrorſum aſino impoſuit, & ſpectaculi loco per vrbem Romam circunuectum ſuſpendi mandauit.

## Origo & inſtitutio Principum Electorũ in Germania.

OTho iam natus annos vigintiocto cum ea eſſet ingenij prõptitudine præditus, vt ob ſingularẽ prudentiã vulgò eũ appellarent, Mirabilia mũdi: & præterea cognitæ iam eſſent Saxonibus hominibus prõptis, & vehemẽtibus fallaces technæ Gallorum, item eſſet iam animaduerſum ingentes & periculoſos motus, & contra Cæſares, & alioqui in Rep. excitari per Romanos pontifices, primũ Brunonem Saxonem cognatũ ſuum põtificem creauit Otho, qui poſt adeptum papatum, Gregorius Quintus eſt appellatus, à quo coronam imperij accepit Otho tertius. Ad hæc, cùm cõſideraret ſapientiſſimus Cæſar, perpetuo æſtuare Gallos & Italos transferendæ Imperialis maieſtatis cupiditate à Germanis, & inter Germanos quoq; ꝓpter electionem nunquã diſſenſiones defuiſſe apud maiores ſuos, interim tamen tam potentem monarcham in primis neceſſarium eſſe Chri

*Otho tertius Mirabilia mũdi vocatus.*

*Bruno põtifex Saxo.*

ſtiano orbi ad tutandum Romanũ pontificẽ, & Italiæ libertatem: denique ad conſeruandam concordiam religionis in tota Europa, hanc ipſam tamen monarchiam diu nõ poſſe durare ſtabilem, niſi & peculiaris cuiuſdam, & potentiſſimæ nationis ſubſidio perpetuò firmata conſiſteret: proinde ſuffragatione & ope pontificis Gregorij: qui quia Germanus erat, in re tam neceſſaria facilè annuit: tulit ſanctionem principum electorum in deligendo Cæſare. Atque vt cõcordia ſeruaretur in electione religionis cauſa, inter ſacri ordinis præſules & principes reliquos, delegata eſt ea auctoritas conſtituendi Romanum Cæſarem ſeptem Germaniæ primarijs principibus, Moguntino, Agrippinenſi, & Treuirenſi archiepiſcopis. Additi his ſunt princeps Bohemiæ (nam tum regem adhuc Bohemia non habebat) Comes Palatinus Rheni, dux Saxoniæ, Marchio Brandẽburgenſis In quo equidem miror qua de cauſa tam ſublimis dignitas cõmiſſa non ſit principibus alijs, qui tum temporis multò potentiores fuerunt, vtpote Bauariæ, Sueuorum & Francorũ ducibus, & præſertim Bauariæ duci, qui præter alios ꝓximus tum erat cognatus Othonis

Electores ſeptem.

& amplitudine ditionis potentiſſimus. Nã Bauariam & Auſtriã vſq; ad Aquileiã ſubiectam habebat, quam Henricus Othonis primi frater vicerat. Quinetiam Sueuorum dux affinitate ꝓximus erat Othoni Cæſari. Etenim Sueuiæ dux Hermanus, ſub Othone I, cùm non haberet hæredem maſculũ tradidit in matrimonium filiam ſuã Ludolfo primi Othonis filio, aduerſus quem bellum geſſerat Otho pater. Porrò ab hoc Ludolfo Sueuorum duces ortum habent. Et certè mirum videri poteſt, quæ fuerit occaſio illius inſtitutionis principum electorum ſanciendæ. Noſtri apud Germanos hiſtoriographi adeò omnis iudicij expertes fuiſſe videntur, vt illorum lectionis quemque merito tædere poſſit. Ioannes Stabius D. Maximiliani mathematicus, ſæpe mihi narrauit, D. Maximilianum Cæſarem de imperitia hiſtoricorum Germanorum conqueri ſolitum fuiſſe, ꝙ tam præclarorum & prudentum principum, quos donaſſet Deus, res geſtas non ſolùm ſine ordine conſcripſiſſent, ſed corrupiſſent etiam malè ſcribendo. Et præceperat memorabiliora quæque ex omnibus hiſtoricis decerpta, ordine quodam in compendioſa Chronica digeri:

Ioannes Stabius mathematicus.

Hiſtorici Germani imperiti.

id quod haud dubiè fuiſſet factum, ſi aut diutius vixiſſet, aut non præ grauiorum rerum ſollicitudine id prætermiſiſſet prudentiſsimus imperator.

Ego verò, quanquam temerarius videri queam, ſi quod mihi videatur, ſubiecero: tamen indicabo quibus ego adducar cōiecturis, vt certi aliquid pronuntiem de re tanta.

Bohemia haud dubiè propter ſitus conuenientiam, & quia natura eſt munita, in ius electionis venit. Bohemia cur habeat ius electionis.

Saxonibus Saxonici ſanguinis princeps Otho meritò eum honorem detulit: nam & potentia alioqui tum longe maximus fuit Ducatus Saxonicus.

Brandēburgum tenuerunt tunc Saxonici quoq; principes, cognati Cæſaris: & facilis coniectura eſt, fauiſſe Othonem impenſius hiſce regionibus, quàm ducatibus reliquis.

Palatinatui exiſtimo cōtigiſſe hāc prærogatiuā electionis præ aliјs principatibus, non alia occaſione, q̄ vt is honos haberetur Caroli poſteris, vt decus hoc nō apud Saxones tantùm eſſet, ſed pars quoq; eius ad Frācos trāſmitteretur, quandoquidē erāt Palatini Comites ſub id tēpus ex genere Caroli Magni.

Electorũ principũ quanta utilitas.

Cæterùm quantas laudes mereatur ordinatio hæc de inſtitutis electoribus principibus, id nunc ꝑ eius ordinis dignitate commemorare non poſſum. Res ipſa teſtatur, quantam vtilitatem attulerit. Nam hac ordinatione durauit imperium ſupra quingẽtos annos in Germania. Eſt præterea in humanis rebus nihil neq; melius, neq; ſalutarius illis conſilijs & inſtitutis, quibus occaſio præciditur ſubinde mutandi gubernationem imperiorum: id quod ex benignitate Dei, per hanc ipſam ſanctionem de electoribus factum eſſe conſtat. Hac ratione proſpectum eſt imperio, quo minus inſidioſæ & clanculariæ conſpirationes papæ, & Gallorũ regis ſucceſſerint, qui à Germanis ad Gallos imperij celſitudinem conati ſunt ſæpenumero transferre. Et habet Cæſar plus præſidij à principibus, quã do eorum conſenſu eligitur: & minus cõcertationis exoriri poteſt propter electionẽ, cùm primariorum principum vota in vno aliquo conſentiũt. Præterea quoq;, cùm maieſtas imperij ad multos ſimul principes relegata ſit, ſperari poteſt & firmiorẽ & diuturniorem fore imperij ſtatum, quàm ſi in vnius alicuius ſanguinis ſucceßione hæreret. Omnia hæc eò

faciũt, ne qua magna contentio electionis gratia exoriatur, atque adeò vt Occidentalis imperij caput certo in loco exiſtat, idq; vt religionis concordia & publica trãquillitas per totum hoc Occidentale regnum ſub certo capite conſeruetur, Olim Athenienſes ſuam ordinationem de Areopagitis, & Lacedæmonij item ſua ſtatuta de Ephoris, immodicis laudibus vexerũt, & verè quidem: nam illis Reſpub. ipſorũ multo tempore firmæ permanſerunt. Verumenimuero hæc ſanctio Othonis de Electoribus cõſtitutis, vt multo vtilior eſt, ita longè maiorem laudem & prædicationem meretur, vtpote per quã non in vna aut altera vrbe ſeu regione, ſed in toto Occidente ſtabilitas imperij, & conſtans religio multis annis ſint conſeruatæ. Et debent electores principes hanc ſuam prærogatiuam merito maximi reputare. Primum omnis Chriſtiani orbis cauſa, quòd apud eos hæc celſitudo repoſita ſit. Sunt enim illi veluti firmum caput, quo perpetuo totũ hoc Occidentale regnum retinetur & compingitur: nam ipſiſsima radix dici poſſunt, ex qua ſemper Cæſares enaſci oportet. Deinde quoque in hac vita, nulla illis poteſt eminẽtior dignitas

contingere, quam quòd ea auctoritas illis legitimè data ſit, quæ omnium regum ac principum ſublimitatem multis partibus exuperat. Proinde hæc ipſa ordinatio ſummũ profecto donum & ordinatio Dei cenſeri debet: quare & maximi eam facere, & ſynceram conſeruare oportet, ne qua detur occaſio, ordinationis adeò piæ & ſalutaris, imò pulcherrimæ harmoniæ, in hac vita diſcerpendæ. Apud illos enim conſiſtit ſumma Romani imperij. Ideóque diſtractis electoribus, & regnum deficere, & non longè extremi iudicij diem abeſſe neceſſe eſt. Nam ſub hoc imperio mundus finem habiturus eſt. Scriptum reperio inſtitutionem principum electorum factam fuiſſe,

| | | |
|---|---|---|
| | Anno Chriſti | 1002 |
| al. 4963. | Anno mundi | 4946 |
| | Anno Romæ | 1752 |

Anno 201 poſt coronationem Caroli magni.

Othe 3. ueneno necatus. Cõſtituta hac ordinatione, Itali varios tumultus concitarunt aduerſus Othonem Tertium, adeò vt Romæ tutus eſſe non poſſet: & dum proficiſcitur in Germaniã, miſſo per inſidias veneno, à Creſcentij vxore necatus eſt,

anno ætatis ſuæ 30. Auguſtæ ſepultus eſt.

Benedicto 6 ſucceſsit 141 papa Ioãnes 15. Captus eſt à Bonifacij patre, quòd non conſenſiſſet in electionem Bonifacij.

Ioanni 15 ſucceſsit papa 142 Ioannes 16.

Ioannem 16 ſecutus eſt papa 143 Ioannes 17. Captus & pulſus à Creſcentio, opem ab Othone quæſiuit.

Poſt Ioannem 17, factus eſt papa 144 Gregorius 5, Saxonici ſanguinis princeps, idq; ob eam cauſam, de qua paulo ante memoraui. Studebant enim ſubinde Itali nouis rebus contra Cæſares, neque vnquam materia tumultuum deerat. Ideo res viſa eſt neceſſaria publicæ tranquillitati conſeruandæ, vt Germanus põtifex crearetur. Sed interim tamen expulſus eſt Gregorius ab Italis, ſuffecto in eius locum Ioanne quodam: ſed magna vi reuerſus Romam Otho, reſtituit Gregorium cognatum ſuum.

Gregorio 5 ſucceſsit 145 papa Syluester 2. Magnus is fuiſſe fertur. Syluester papa magnus.

Poſt magnum hunc factus eſt 146 papa Ioannes 18. Huius temporibus horribili aſpectu cometa apparuit verſus meridiem, quem non minor fames, quàm peſtis ſecuta eſt.

## Cæſar Germanus xiij.

Henricus Claudus.

ANno Chriſti 1003, delectus Cæſar eſt Henricus, huius nominis ſecundus, Bauariæ dux. Antea diximus ab Othone primo, Henrico fratri ſuo Bauaricum ducatum donatum eſſe. Illius autem Henrici nepotem ex filio hunc Henricum Cæſarem fuiſſe arbitror. Nam Henricus frater Othonis primi, annos quindecim ante Othonis obitum, in fata conceſſerat. Ea autem negligentia apud noſtros hiſtoricos fuit, vt ex illorũ monumẽtis pro certo adfirmare non queam, an Henrici illius filius, aut ex filio nepos fuerit. Illud certè mirum videtur, ne canonicis quidẽ Bãbergenſis Eccleſiæ genealogiã fundatoris ſui certo compertam eſſe.

Henrici 2 res geſtæ

Primus hic eſt electorum principum ſuffragijs deſignatus Cæſar, & imperauit annos 22. Prudẽtia & inſignibus victorijs clarus, multa & ingentia bella mirabili felicitate geßit. Principio Bohemos & Vãdalos bello fatigatos, tributarios & ſubditos ſibi fecit. Metas & Gãdauũ obſedit: vicit & Lotharingiã ac Flandriã. In Italia aduerſus Saracenos pugnauit, & expulit eos ex Italia Vi-

ctor tum coronatus eſt Romæ à Benedicto 7. Hungaros ad Chriſtianam fidem pertraxit: & Stephano Hungarorum regi ſororem in matrimonium tradidit. Ante obitum ſuum legitimo ſuffragio Electorum, Conradū Francum ſecundum huius nominis, Cæſarem dixit. Epiſcopatus Bambergenſis fundator, Bambergæ ſepultus eſt.

Stephanus Hungarorum rex.

Ioanne 18 mortuo, ſucceßit papa 147 Ioannes 19.

Ioannem decimum nonū ſequutus eſt 148 papa Sergius 4.

Sergium 4 ſecutus eſt 149 Benedictus 7, à quo Henricus Claudus Imperij coronā accepit.

Benedictum ſeptimum ſecutus eſt 150 papa Ioannes 20. Is Claudium Cæſarem coronauit.

## Germanus Cæſar xiiij.

ANno Chriſti 1025, Cæſar electus eſt Conradus Francus, qui prope Spiram vrbem in Limburgica arce habitauit, & præfuit imperio annos quindecim. Cæterùm cùm ſub initium ſui imperij videret turbari paßim omnia, effecit vt in cōſortium imperij

Conradus ſecundus.

filius ſuus eligeretur, ne ſe in Italiam profe-
cto, ſine capite certo imperij ſubditi inter ſe tumultuarentur in Germania.

Erneſtus Sueuiæ dux.

Erneſtus Sueuiæ dux, & Catuli (nam & Catuli item in Sueuia domini fuerunt) hi inquam rebelles Cæſari fuerunt: ſed eos ita cõpeſcuit, vt ſtatim ſpõte parerẽt. Inde in Hũgariam profectus, eius res compoſuit. Burgũdiam & Leodium, regnum Arelatenſe iterum cepit, & ſubiectum ſuo imperio adminiſtrauit. Poſtea Italiam ingreſſus, Mediolanum obſedit, & Romam veniens, à Ioanne vigeſimo coronam accepit. Inſurgẽtes ſub id tempus aduerſus Conradum Romani, grauiter cæſi ſunt à Cæſarianis: verùm pacatæ ſunt res Romanorum. Interea dum hæc in Italia geruntur, Sueuiæ dux Erneſtus nouos iterum motus concitauit, ideóque in regreſſu Conradi ab eo fugatus & confoſſus eſt. Ducatum donauit Conradus Hermanno Erneſti fratri. Conditæ ſunt ab hoc Conrado multæ leges, quæ hodie etiam extant adhuc. Concilium ſub hoc Cæſare habitum eſt Triburi ad Moguntiam. Magnis ſumptibus inſtituit baſilicam Spirẽſem, in qua ſepultus eſt cum regina ſua Giſela.

Giſelæ

*Giſelæ huius magnæ laudes feruntur. Regina Burgundica fuit, ex poſteritate Caroli. Maritũ primo habuit Erneſtum Sueuiæ ducẽ: ex qua duos filios ſuſceperat, Erneſtũ, qui pulſus eſt, & Hermannũ: poſtea deſpõſata eſt in matrimonium Conrado Cæſari.*

Giſela regina Burgundica.

*Primum omnium hic meminerunt ſcriptores Marchiæ in Auſtria, quam tum occupauit Albertus Sueuiæ dux, frater maioris Erneſti. Neq; verò tum erat adhuc ducatus Auſtriæ, ſed à Sueuis tenebatur, qui per vim Auſtriam Hungaris ademerant.*

Marchiæ in Auſtria prima mẽtio.

*Quin & comitatus Thuringicus initiũ accepit temporibus huius Conradi: nam Giſelæ cognatus erat Ludouicus Barbatus, ex Caroli genere. Is quia diu in aula verſatus erat, & diligentem operam multis in rebus nauauerat apud Cæſarẽ factus eſt Thuringiæ comes. Itaque domini Thuringiæ ex Caroli ſanguine originem habent.*

Thuringici Comitatus initiũ & dominij: unde Ludouicus Barbatus.

*Poſt Ioannem 20 factus eſt papa 151 Benedictus 8, quo fugato Sylueſter quidã pecunia papatũ redemit. Porrò, reuerſus Benedictus, vt factiones cõcitaret cõtra Sylueſtrũ, tertio cuidã, qui Gregorius ſextus dictus eſt, vendidit ius ſuum in pontificatu. Itaq; ceſsit*

occupauit. ceſſit

huic Benedictus: ſed Syluester contrà ius ſuũ tueri volebat aduerſus Gregoriũ. Cõtrouerſia hæc coegit Cæſarem Henricum Nigrum Romam ꝓficiſci, qui ~~tria illa fœdiſſima monſtra~~ meritò ſuo pontificatu abdicauit, & in locum Syndegerium Bambergenſem Epiſcopũ ſuffecit, qui dictus eſt Clemens ſecundus 152 papa, à quo coronatus eſt Henricus Niger.

[margin: Tres pōtifices de pontificatu concertātes, depoſiti.]

Circa hæc tempora Cardinalium nomen in vſu eſſe cœpit: vnde æſtimari poteſt hanc ipſam dignitatem in Eccleſia vetuſtiorem non fuiſſe.

At verò, cùm ſubinde incidiſſent grauiſſimæ contentiones, & diſſidia ex diuerſitate votorum, in creando Romano pontifice, ſanctionem tulit Henricus Niger, ne porro papa deligeretur ſine Cæſaris conſenſu & cõfirmatione. Conſtitutio hæc grauiter poſtea impugnata eſt à Romanis pontificibus, adeò etiam vt teterrima bella inde nata ſint Hẽrici quarti & quinti temporibus.

## Cæſar Germanus XV.

[margin: Henricus tertius Niger.]

ANno Chriſti 1040, Hẽricus tertius Niger appellatus, imperare cœpit, & regnauit annos decem & ſeptẽ. Primum Bo-

hemos bello inuaſit, ſed ab his Hungarorum præſidio adiutis victus eſt. Poſtero anno adeò fatigati ſunt bello Bohemi per Hēricum, vt princeps Bohemorū neceßitate adactus, Ratiſbonā venerit, & vltrò ſe tributariū Cæſari dediderit. Inde Hungariā ingreſſus per triēniū bellum geßit, & captis vrbibus aliquot ad pacē poſcendā Hungaros cōpulit. Subegit & Lotharingiæ ducem vt pareret imperio.

Romæ tres pontifices inter ſe concertantes de papatu ſimul reiecit, pontificiæ ſedi Germano præſule præfecto, quem Clementem 2 appellauere. Inde apud Capuam Saracenos vicit. Poſtea in Germaniā reuerſus ſynodum habuit Moguntiæ, in qua Leo papa fuit.

Dux Bauariæ Cuno, qui poſt D. Henricum ducatui præfuit, præſidio & conſpiratione Hungarorum fretus, oppoſuit ſe imperatori: conabatur enim hac via regni poſſeſſionē ad ſe transferre, ſed victis à Cæſare Hūgaris, exploſus Bauariæ dux, totam ætatem ſuam exul in Hungaria tranſegit Bauaria interim ſine duce & gubernatore erat. Cuno dux Bauariæ. Malum cōſilium, &c.

Priuſquam moreretur Henricus Niger, Henricum filium annos quinque natum, Cæſarem elegit, & Aquiſgrani coronari cura-

uit, vt certũ caput imperij eſſet, neque turbæ exorirentur propter electionem. Itaque puer ſub matris tutela aliquandiu regnauit. Mater Henrici 4 Agnes dicta erat, nata in Pictonum Comitatu Galliæ.

Poſt Clementẽ factus eſt 153 papa Damaſus 2, qui vi papatum occupauit.

Damaſo ſecundo ſucceſsit 154 papa Leo 9. Is fuit in concilio Moguntiæ habito, & aliquandiu poſtea verſatus eſt apud Henricum Nigrum.

Berengarius.

Illius temporibus Berengarius Diaconus Andegauanus in Gallia docebat, Verum corpus & ſanguinem Chriſti non eſſe in pane & vino, iuxta inſtitutum Chriſti. Impia hæc hæreſis apud Heluetios noſtro tempore per Zuinglium renouata eſt. A Leone in cõcilio Vercellenſi damnatus eſt hic error: ſed interim relicta huius impietatis ſeminaria multum negocij fecerunt poſteris quoque.

Leoni 9 ſucceſsit 155 papa Victor 2. Fuit is antea Epiſcopus Eichſtettenſis.

Victori ſecundo ſucceſsit 156 papa Stephanus nonus.

Stephano 9 ſucceſsit 157 papa Benedictus nonus.

Benedictum ſequutus eſt 158 papa Nicolaus 2. Hic abdicauit pontificatu Benedictū, & primus ſtatuiſſe dicitur ius eligendi pontificis in poſterum penes Cardinales tantùm fore. Iterum ab hoc quoque Berengarius damnatus eſt, & coactus ad reuocandum quæ de ſacramento impiè docuerat.

Nicolao ſecundo ſucceſsit 159 papa Alexander 2. & tum propter electionem magni conflictus Romæ fuerunt.

Alexandro 2 ſucceſsit 160 papa Gregorius ſeptimus, antea Hiltebrādus appellatus. Is excommunicauit, & perſequutus eſt Hēricum quartum, bellis etiam acerrimis concitatis, vt adſereret & obtineret, ſine Cæſaris ſuffragio & confirmatione pontificem creādum eſſe, ne Cæſares auctoritatem ſibi vendicarent in pontifices dominandi: de quo plura in Henrico quarto dicemus.

## Cæſar Germanus XVI.

Henricus quartus.

ANno Chriſti 1057 imperare cœpit mortuo patre Henricus quartus, puer adhuc, & regnauit annis quinquaginta. In hoc virtus huius generis imperatorum nō tantùm defecit, ſed totius Germaniæ imperium adeò

corruere cœpit, vt poſtea nunquā vel in veterem ſtatum redigi, vel priſtinas vires recuperare potuerit integrè. Tragœdiæ huius auctor papa Hiltebrandus fuit, qui omnia ferè inter Germaniæ principes teterrimis bellis commiſcuit.

*Hiltebrādus papa quanti mali author.*

In pueritia Henrici Cæſaris, Agnes mater eius non ſine laude imperio præfuit: bona pace Germaniā & Italiā tranquillauit: ſed Colonienſis Epiſcopus puerū principem duodecimū annum iam ingreſſam, & maturum imperio clàm abduxit, & ipſe interim poſtea regni gubernacula tenuit. Dicitur & indignè educari curauiſſe Cæſaream ſobolem.

*De pōtificia electione ſanctio Henrici Nigri.*

Longum eſt referre hic omnes cauſas: tantum quæ memorabilia ſunt, commemorabo breuiter. Pater Hēricus Niger, optimo ſanè cōſilio ſanctionem de pontificia electione tulerat, vt ea ſine imperatoris permiſſu non fieret. Iam verò vbi Hiltebrandus ſedi papali præfectus eſt, contrà ſtatuit decretum, à Cæſare pontificatus confirmationem non eſſe petendam. Atqui hanc conſtitutionē patris ſui ratam haberi voluit Cæſar. Præterea quoq; inſerat imperatori conferendi Epiſcopatus imperij, ſed ne id quidem ferre voluit Hil-

*Hiltebrādi papæ tyrannis derogando Cæſareū authoritati.*

tebrandus. Etenim contigit ſæpe, vt defuncto epiſcopo aliquo, alius in eius locum à Cæſare alius rurſus à papa conſtitueretur, & ab hoc excommunicaretur alter. Tãdem in hanc cataſtophen abijt hæc tragœdia, vt Cæſar ipſe à ſummo pontifice non ſit excõmunicatus ſolùm, ſed & reliquis potẽtioribus principibus mandatum ſit, vt imperatorem alium deſignarent. Et huius ludi veluti choragus fuit, in gratiam pontificis, diœceſis Halberſtadianæ epiſcopus in Saxonia. Itaq; defecerunt ab Henrico quarto, Otho Saxoniæ dux, Rudolfus dux Sueuiæ, cui Cæſaris Germana ſoror nupta erat, & epiſcopi plerique, maximè Saxones. A Cæſare ſtabant Bohemi, & principes Catuli, quibus pulſo Othone Saxone, donauerat Henricus Bauariam. Præterea & Epiſcopi quidã, ~~qui improbabant tyrannidem papæ, in deroganda auctoritate Cæſarum pro ſua libidine. Quare & ipſi~~ ſynodos facientes, reiecta excõmunicatione papæ Hiltebrandi, ipſum viciſſim excommunicarunt.

Ab Henrico quarto qui defecerint in gratiã papæ.

Iam verò in Italiam profectus eſt Cæſar, tranſigendæ huius controuerſiæ cauſa: interea ab aduerſa parte creatus Cæſar eſt

in Phorcenſi oppido Rudolfus Sueuiæ dux, idque ſub annum Chriſti 1077. Rudolpho miſſa eſt à pontifice corona, cui verſiculus hic inſcriptus erat: Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolfo.

Quo ſignificare voluit, à Chriſto imperium collatum eſſe pontifici, & ab hoc conferri principibus viciſsim. Proinde properè in Germaniam redit Henricus, & ex Sueuia pellit Rudolfum in Saxoniam, & aliquot pugnas cum eo commiſit ad Vnſtrotum amnem, in quibus Vuormacenſis & Magdeburgenſis Epiſcopi occubuerunt.

Anno 1080 nouiſsimè pugnatum eſt cōtra Rudolfum apud Meſburgum, & in ipſo conflictu dextera manus Rudolfo amputata eſt. Profugientibus iam in vrbem Meſburgum omnibus, Cæſari in lecto decūbenti, circunſtātibus iam Epiſcopis, manus allata eſt, quam vbi vidiſſet, En, inquit, domini mei Epiſcopi hæc manus eſt, qua domino meo Hērico Cæſari fidem confirmaui: ipſi vos nunc expendite, quàm piè cōſulueritis mihi, vt ab eo deficerem. Miſerabilis omnino querimonia hæc eſt, quæ teſtatur boni principis perturbatum animū, ſeipſum ſeditionis reum indi-

Rudolfi Cæſaris quærela de epiſcopis.

caſſe. Ita demum ſub electionis ſuæ annum quartum mortuus eſt Rudolfus. Quem quæſo niſi ferreus planè ſit, ad parendum ſuo magiſtratui non commoueat, & à ſeditionis ſtudio deterreat hoc exemplum tam horrendum? Interim tamẽ epiſcopi quieti non erãt, & poſt hunc caſum etiam filium contra patrem ſollicitarunt. Pontifex Hiltebrandus phantaſma ſibi per quietem obſeruatum gloriabatur, illegitimum Cæſarem eo anno periturum. Sed hoc Caiaphæ vaticinium erat: nam ſupplicij pœna non in Henricum, ſed in papæ complices redundabat.

Hiltebrãbus papa alter Caiaphas.

Poſt hanc victoriam Romam venit, & vrbe per vim capta, cepit papam Hiltebrãdum, eumq; officio deiecit, & in eius locum Rauennates Epiſcopus, Clemens dictus, ſuffectus eſt, & ab hoc imperialem coronam accepit Henricus quartus. Cæterùm non multo pòſt, in exilio mortuus eſt pontifex Hiltebrandus.

Sigebertus hiſtoricus non admodũ laudat Hiltebrandum, & reprehendit facinora hominis, quòd ſine magna cauſa, & eccleſiæ, & imperij ſtatum tranquillum perturbarit: & ſcribit quoque, idipſum conqueſtum fuiſ-

Hiltebrādus papa primus ſacerdotum connubia diuulſit in Germania.

ſe Hiltebrandum iam moriturum, & per legatos petijſſe ab Henrico admiſsi criminis cōdonationem. Hiltebrandus ꝓhibuit ſacerdotes Germaniæ matrimonia contrahere, & multa iam contracta matrimonia diuulſit.

Anno 1103, victis iam ab Henrico Saxonibus, & trucidato Comite Miſniæ Ecberto, cui ſpem fecerant Epiſcopi adipiſcendi imperij poſt Rudolfum, præterea & cōpoſitis iam Germaniæ & Italiæ rebus delectus eſt ab Henrico quarto Henricus quintus filius eius imperator. Porrò hunc Hēricum filium ſollicitarunt Epiſcopi, vt aduerſus patrem inſurgeret, eumq; imperio pelleret. Id verò ingenti dolore affecit optimum principem. Itaque fœdere inito Henricus filius anno milleſimo centeſimo quinto, primum Mogūtiæ obſedit patrem: ſed oppugnationem detrectantibus principibus, coactus eſt diſcedere Henricus filius, & relicta Moguntia, Norimbergā cum exercitu petijt, eámque ſpacio duorum menſium obtinuit & diripuit. Inſequutus eſt pater filium, & vtrinque ad tempus in aduerſis caſtris erant prope Ratiſbonam: ſed interponentibus ſe ſemper principibus, nunquam iuſto conflictu pugnatum eſt. Atque moni-

Henricus 5 obſedit patrē ab epiſcopis inſtigatus

Noriberga capta ab Henrico 5.

tus per ſilium pater, vt à proprijs ſibi miniſtris caueret, profugit clam Leodium, & ibi eodem anno è viuis exceßit. Cæterùm dum quinquennio, propter excommunicationē pōtificis inhumatus iacuiſſet, in Spirenſi baſilica ſepultus eſt accepta abſolutione. Hodie etiamnum ſcripta exſtant, miſſa ab Henrico patre ad Francorum regem, de iniuria filij, & malitia eorum qui filium aduerſus patrem inſtigabant.

## Occupata vrbs Hieroſolymitana.

TEmporibus huius Henrici quarti, expeditio in Iudæam cœpit aduerſus Saracenos & Turcas. Primus dux erat Godfridus Bilionēſis, Lotharingiæ princeps. Comitati ſūt hūc præſtātißimi quiq; principes ex Gallia. *Godfridus Bilionenſis.*

Anno 1099, Godfridus potitus eſt vrbe Hieroſolymitana, & ſtatim rex creatus eſt. Coronari autem diademate aureo recuſauit, quòd Chriſto eo in loco corona ſpinis contexta fuiſſet olim impoſita. Contigit quadringētis ſexagintaocto annis hoc ante id tempus quo Hieruſalem ex Perſarum poteſtate per Heraclium erepta eſt. Tum verò non multo

*ſupra annos tredecim, Saraceni Hieroſolymitanæ vrbis domini facti fuerant. Poſtea iam multis annis exactis, à Turcis Saraceni pulſi ſunt ex Hieroſolyma. Sub hæc tempora iterum potiti ſunt Chriſtiani Hieruſalem, & multas præterea circunquaque vrbes ac regiones ſubegerunt. Regnum Hieroſolymæ habuerunt annos 88, vſque ad annũ Chriſti milleſimum centeſimum octogeſimum ſeptimum. Sub Friderico Barbaroſſa iterum à Sultano occupata eſt Hieruſalem.*

## Mutatio multorum ducatuum in Germania.

Ciuile bellum in Germania concitatũ à papa.

*QVantum aceruum calamitatum traxerit ſecum ciuile bellum in Germania excitatum artibus papæ, inde facilè æſtimari poteſt, quòd principibus multis, & ſummis quibuſque hominibus cæſis dominia paßim ſunt immutata. Henricus quartus Bauariam Catulis Sueuiæ principibus dedit: Sueuiæ ducatum, poſt defunctum Rudolphũ, donauit Henricus genero ſuo Friderico Staufſenſi. Francorum genus intra breue admodũ tempus interijt. Ecbertus comes Miſniæ cæſus eſt. Gebhardus illius Lotharij pater pu-*

gna quoque occubuit, qui poſtea imperator factus eſt: & (vt ſemel omnia dicam) Germaniæ vires debilitatæ prorſus & immutatæ ſunt hac ciuili concertatione principum.

Hiltebrādo defuncto electus eſt extra vrbem Romam à socijs eius pontifex quidam Victor dictus, huius nominis tertius, in odiū Clemētis. Sed Victore paulo pòſt mortuo, ab iiſdem creatus eſt papa Vrbanus ſecundus. Is Romam rediyt præſidio illorum qui iam expeditionem parabant Hieroſolymam. Reſtitutus exegit Clementem.

Vrbano 2 ſucceſsit papa Paſchalis 2. Primum captus hic eſt ab Henrico quinto: poſtea ab eo coronam imperialem extorſit.

## Cæſar Germanus xvij.

ANno 1107 poſt obitū patris imperium Henrici quinti cœpit, & regnauit annos vigint i. Scilicet digna huic ab Epiſcopis gratia relata eſt, quòd conſilia eorum ſequutus optimum imperatorem patrem ſuum bello erat inſectatus. Romam veniens, à pōtifice coronam impetrare nō potuit, niſi prius ſtatuere vellet, porrò pro rato habēdum eſſe, & pontificem Romanum, & Epiſcopos ſine

Henricus Quintus.

Cæſaris approbatione & conſenſu creandos. Præterea & tumultus à pontifice ſub idem tempus excitatus eſt tantus in vrbe Roma, vt niſi ſua ipſius manu vitã defendiſſet Cæſar, iam periiſſet. Victore Cæſare, trucidati & capti ſunt Romani. Captus eſt & põtifex, & abductus extra vrbem, & cum de coronatione & iure electiuo in creandis pontifice & epiſcopis cum eo ageretur, conſenſit vltro Paſchalis, vt hanc ſibi prærogatiuam vſurparent Cæſares, ne quis vel pontifex, vel epiſcopus citra eorum ſuffragationẽ deſignaretur. Inde Romam reuerſi ſunt, & à Paſchali inſignitus eſt Henricus quintus diademate imperiali.

Cæterum poſt diſceſſum imperatoris ex Italia, mutauit ſententiam pontifex, & coacta Synodo, non ſolùm reuocauit conceſſum priuilegium, ſed excommunicauit etiam Cæſarem. Quod vbi nunciatũ eſt Hẽrico quinto, ilico Romam magna vi repetẽs fugauit pontificem, & alium eius in locum ſuffecit. interea nihil feriatum eſt ab epiſcopis in Germania, qui denuò incitarunt Saxones aduerſus Cæſarem, adeò etiam vt iterũ Germania diſcordijs mutuis agitata, infeſtis copijs vtrin

que congreſſa ſit, & commiſſa pugna anno 1115. tertio idus Februarij, apud Mansfeldium, iuxta Catulariam ſyluam, in quo conflictu perijt comes Hoterus de Manſfeld. Pugna apud Mãſfeldium.

Porrò videns Cæſar ſedari non poſſe hanc tragœdiam ſine perpetuo cõflictu, neq; quieſcere Romanos pontifices, niſi vt patrẽ ſuum, ipſum quoque antea oppreßiſſent, publicæ tranquillitati imperij conſuluit optimus princeps, & iure priuilegij ſui vltro ceßit. Itaque per hanc occaſionem firmata pace inter pontificem & Cæſarem: præterea & inter reliquos principes, eáque publicè ad Rhenum non procul à Vuormacia, vbi ingentes copiæ vtriuſque partis in caſtris erant, proclamata, ſumma lætitia in tota Germania coorta eſt, propter initum hoc fœdus concordiæ publicæ. Henricus 5 ceſsit de iure electiuo.

Geßit & hic Henricus bella in Hollandia, & Lotharingia. Porrò Lotharius Saxoniæ dux, qui poſt Henricum Cæſar factus eſt, Moguntiam venit in vili & oblonga veſte, gratiam expetens ſupplex à Cæſare. Eam vltro pro ſingulari clementia ſua conceßit ei Henricus. Habuit hic Cæſar Hẽricus nullam maſculam prolem, & ducatus Franco-

*rum ceßio Conrado, filio Friderici Stauffenſis, & ſorori Henrici quinti.*

*Paſchali ſecundo ſucceßit Gelaſius 2. Pulſus hic eſt Roma ab Henrico quinto, & eius loco ſuffectus eſt Gregorius papa. Gelaſius in Gallia exul obijt.*

*Gelaſio 2 defuncto, delectus eſt in Gallia papa Calliſtus 2. Romã veniens aliquot pugnas habuit cũ antipapa Gregorio, quem Hẽricus quintus ſtatuerat. Tandem captus Gregorius, & retrorſum aſino impoſitus circunuectus eſt. Sub Calliſto pacis fœdera cũ Henrico quinto ſunt conſtituta.*

*Calliſto 2 ſucceßit papa Honorius 2. Poſt Honorium factus eſt papa Innocentius 2. In odium huius electus eſt Petrus Leonis, qui ſe Anacletum appellauit. Ab hoc per vim pulſus eſt Innocentius. Compeſcuit hos motus Lotharius, qui ab Innocentio corona imperij eſt inſignitus.*

## Cæſar Germanus xviij.

**Lotharius Saxo.** A*Nnno 1127, Lotharius Saxoniæ dux, ab Electoribus Cæſar creatus eſt, cuius pater Gebhardus ab Henrico quarto cæſus eſt. Regnauit Lotharius annos tredecim.*

*Grauißimis*

Grauiſſimis ſubinde inſultibus conquaſſatum eſt hoc imperium Germanicū. Nam iterum tunc contra Lotharium quoque ingens, & diuturnus exortus tumultus eſt. Etenim Sueui & Francones, quibus iam diu cum Saxonibus bellum fuerat, ęgerrimè ferebant imperij celſitudinem ad Saxones deriuari. Præterea erant & filij ducum Sueuicorum, ex ſorore Henrici quinti prognati: ideóque hi iure ad ſe pertinere imperium contendebant. Dederat Henricus quintus Conrado Sueuo ſororio ſuo nepoti, Franciæ Orientalis ducatum. Fauebat huic comes Palatinus Godfridus, à quo Conradus electus eſt Cæſar, & ſecutæ ſunt huius partes Sueuorum & Frācorum vrbes.

Cæterùm Bauariæ dux Henricus Catulus Lothario adhæſit: nam Lotharij gener erat quo nomine & Saxoniæ poſſeſſio hæreditaria ſucceſſione contigit Bauaris. Et qui hodie adhuc Brunſuigcenſes principes vocātur, Bauarici ſanguinis ſunt, ex Catulo Henrico Bauariæ duce. Brūſuigcenſes prīcipes à Catulis.

Porrò, vt Lotharium anteuorteret Cōradus, Italiam ingreſſus, Lōgobardiam occupauit, vbi & ferrea corona inſignitus eſt. Inte-

*rea à Lothario obſeſſæ, & victæ ſunt vrbes, Spira, Vlma & Norimberga, & inde conſecutus eſt Conradum in Italiã. Nam maiori prudentia & calliditate inſtructus Saxo, facilè cogitauit, ſine Germaniæ firmo præſidio Italiã à Cõrado nõ poſſe retineri. Proinde vbi cognouit Cõradus, & vrbes Germanicas amiſſas eſſe, & nullam ſpem præſidiorum expectadã eſſe ex Germania, ad ſeruãdum regnũ Italicũ, relicta Italia, pacis cõditiones per D. Bernhardum apud Lotharium pactus eſt, & vltro ſuſcepto imperio ceßit.*

D. Bernhardus pacificator inter Conradũ & Lotharium Cæſares.

*Lotharius bis in Italiam profectus eſt. Primum ad cõpeſcendos motus contra Innocentiũ, alio pontifice electo, coortos Romæ. Deinde contra Rogerium, qui Cãpaniã & Apuliam inuaſerat. Exturbauit hũc ex Italia: ſed defuncto Lothario Rogerius redijt.*

## Reparatæ & reſtitutæ leges Romanorum.

L*Otharius non modò cõmendatur ob inſignem fortitudinem in rebus bellicis gerendis, quibus & Germaniæ & Italiæ res læta pace cõpoſuit: ſed etiã ꝓpter religionis & optimarũ legum ſtudium. Fuit eius tẽporibus*

*in Italia vir magnæ eruditionis Vuernherus, quem Accurſius Irenerium ſæpe nominat, apud reginã Mechtildim. Is obſitos iam pulueribus in Bibliothecis legum Romanarum libros reperit, & in lucẽ reduxit. Mandauit hos publicè in ſcholis tractari Lotharius, & iterum ſecundum eas leges ius dici in iudicijs imperialibus. Itaque per hanc occaſionem in vſum reuocatus eſt is theſaurus, quo neq; vtilior, neq; precioſior eſſe alius poteſt, nimirum ex quo innumeræ cõmoditates defluxere. Primum enim certum & humanæ rationi conſentaneum ius reſtitutũ eſt vniuerſæ Europæ. Nam omnes regiones, & omnes aliæ leges vtuntur hoc Romano iure tanquam amuſſi quadã in æquitate cognoſcenda: eſt enim publicæ honeſtati ꝓximè accõmodatum. Deinde ad hoc quoq; non mediocriter conducunt reſtaurata hæc iura Romana, ꝙ ea de cõmunibus officijs huius vitæ, & optimis moribus præcepta tradunt, quæ nuſquam alibi ferè reperiuntur: vt interim taceam, & puritatem Latinæ linguæ ex reparato hoc iure iterum veluti renatam florere cœpiſſe. Porrò inſtituto hoc ſtudio iuris, ſtatim magni & multi præclari Iuriſconſulti extiterũt, quibus &*

Vuernherus reſtitutor legum.

Legum Ro. laus & utilitas.

interpretari leges,& in publicũ vſum reuocare hæc iura curæ fuit. Equidem mirari ſatis non queo,tantam illius temporis homines cognitionem eſſe conſecutos , quo vſus Latinæ linguæ,hiſtoriæ, omnes denique Romanæ diſciplinæ veteres erant intermiſſæ,ita vt facilè æſtimare poßis,primos illos iuriſconſ.non ſolùm ſummæ diligentiæ & ſedulitatis homines in ſtudijs,ſed magnos atq; prudẽtes quoque,& vſu Rerũpub.viros exercitatiſsimos fuiſſe:nam ſine ea exercitatione, ne poſsibile quidem fuiſſet, leges Romanas cognoſcere. Itaque illi ipſi doctores iuris, nihilo inferiores cenſendi ſunt veteribus illis iuriſperitis,Vlpiano,Seruio & reliquis.

Azo. Azo,qui vel præcipuus eſt inter cõmentatores iuris, vixit temporibus huius Lothar-

Accurſ. rij.Poſthunc Accurſius vixit,& is tempora Friderici ſecundi attigit. Sub Henrico Lucelburgenſi,multi & præclari doctores fuerunt, Bartholus & alij.Gratianus, qui Decretorum libros congeſsit,Lotharij etiã tem-

Barthol, poribus fuit. Erãt autem & antea quoque

Gratianus tales libri.Nam huius generis libellus quidã conſcriptus erat ab epiſcopo Vuormacienſi quodam, qui tum erat in manibus hominũ,

& nos eum vidimus noſtra hac ætate. Cæterùm floreſcētibus iam vbique legū ſtudijs, eaq́; doctiſsimis quibuſque (quemadmodū in re noua fieri ſolet) amplectentibus, videntes monachi ſcripturæ ſacræ cognitionem frigeſcere, & contemni præ ſtudio iuriſconſultorum, & ipſi quoque theologicum ſtudium auſpicari cœpere. Atq; exemplo iuriſcōſultorum diſputationes ſcholaſticas de rebus ſacris inſtituerūt. Initiū hoc habuit ſcholaſtica theologia, de quo paulo pòſt plura dicemus.

Monachi qua occaſione ad ſcribendū adducti.

## Cæſar Germanus xix.

ANno Chriſti 1140 Lothario Saxoni in regnum ſucceſsit Conradus natus Suæuiædux, & ab Henrico quinto princeps Frācorum factus. Imperauit annos 14. Coronā à pontifice accepiſſe nuſquam legitur. Cōradus hic, id quod antea diximus, cōtra Lotharium arma cepit, ſed dedere ſe ſub Cæſaris poteſtatem coactus eſt: ac mortuo Lothario, ſucceſsio imperij ad Conradū delata eſt: quanquam Bauarorū & Saxonum dux Hēricus gener Lotharij ambiuit imperiū, & Auguſtæ obſedit Conradū: ſed excōmunicauit Hēricū Conradus Cæſar, & Bauariæ ducatum

Conradus Sueuus.

Comiti Auſtriaco donauit. Verùm non fuit admodũ diuturnũ hoc bellũ: nam non multo pòſt in Saxonia fatis conceßit Henricus, & in monumentũ Lotharij ſoceri ſui illatus eſt. Inde ꝓpter ducatũ Bauariæ, cũ duce & Cæſare Conrado bellum geſtum eſt à Catulo quodã principe, ſed conatibus irritis. Proinde tandem per Fridericum, qui Cæſar poſtea factus eſt, reconciliatus eſt Conrado. Ex cõcilio D. Bernhardi cũ multis principibus, & maximo exercitu Hieroſolymam eſt profectus Conradus cõtra Saracenos Chriſti hoſtes, aduerſus quos & vnà quoq; arma parauit Ludouicus Francorum rex: ſed Conſtãtinopolitani Cæſaris Emanuelis perfidia plurimi milites perierunt. Interim tamen in Aſia & Hieroſolymæ multæ, & ingẽtes pugnæ à noſtris commiſſæ ſunt. Quarto tandẽ anno poſt expeditionem primum reuerſus eſt Cõradus in Germaniam, & in Lorchẽſi oppido, apud Gemund mortuus ſepelitur.

Conradus Hieroſolim. profectus cõtra Saracenos.

In bellò cum Catulis geſto cepit Conradus arcem & Vueinſburgum vrbem, non ꝓcul à Necchare fluuio ſitã. Mãdauit tum Cæſar omnes equeſtri ordinis viros capi: mulieribus abire permiſſum eſt cum tãta ſarcina bono

rum quantam poſſent ferre. Tum verò relictis rebus, nobiles pueros omnes aſportare maluerunt. Id verò cùm calũniarentur quidam, qui retinere captiuos pueros volebant: nam bonorum non hominum aſportãdorum beneficium ꝓpoſitum eſſe: adeo delectatus eſt eſt Cæſar hac virtute fœminarum nobiliũ, vt non ſolùm illis puerorum, ſed omnium etiam opum copiam fecerit, vt ſecum auferrent. Nobilium matronarũ uirtus in urbe Vueiſbur.

Innocentio ſecundo ſucceßit papa Celeſtinus ſecundus,

Celeſtino 2 ſucceßit Lucius 2.

Poſt Luciũ 2 factus eſt papa Eugenius tertius. Contra hunc alius à Romanis creatus pontifex eſt, à quo pulſus eſt Eugenius, ſed cõparato Gallorum præſidio reuerſus, & victo aduerſario reſtitutus eſt.

Eugenio 3 ſucceßit Anaſtaſius 4.

Anaſtaſiũ ſecutus eſt papa Adrianus quartus. Ab hoc corona imperij donatus eſt Fridericus Barbaroſſa: ſed poſtea Vuilhelmi Siculi, qui Neapolin tenebat, partes ſecutus eſt, & Lõgobardos ſibi obnoxios fecit, fœdiſſima coniuratione inita cõtra imperium. Excommunicauit Fridericũ, & teterrima bella in Italia conciuit. Scriptum reperitur, non Vuilhelmus Siculus.

Adriani papæ querela cũ moreretur.

diu antea cum moreretur, dixiſſe eum: Non eſſe in terris aliud vitæ genus calamitoſius papatu, & ſanguine parare pontificatũ, non eſſe Petro, ſed Romulo potius ſuccedere, qui propter monarchiam occidit fratrem. Teſtãtur ſatis hæc verba, pœnituiſſe eum cœptæ cõtrouerſiæ aduerſus Cæſarem.

Poſt Adrianũ ingens ſchiſma exortũ eſt. Cardinaliũ quidã Octauianum elegerũt, qui Victor dictus eſt. A quibuſdã electus eſt Alexãder tertius. Fridericus Barbaroſſa Octauianum, vt verum pontificem complexus eſt, ſed interim tamen ſynodis coactis diſquirendum præcepit, vter pontifex eſſet manſurus. Sed detrectans auctoritatem conciliorũ Alexander, intra Galliam ſe cõtinet, & excommunicat Fridericum. Tandem præſidio Italorum potitus eſt papatu Alexãder, & Romam rediit, quò tũ & Fridericus venit. Sed timore perculſus Alexander Venetias ꝓfugit, vbi pax tandem ſancita eſt. Sed de his in hiſtoria Friderici plura dicemus.

## Cæſar Germanus XX.

Fridericus Barbaroſſa.

ANno Chriſti 1152. Cæſar electus eſt Fridericus primus huius nominis cognomẽ

to Barbaroſſa. Imperio præfuit annos 37. ex inclyta Sueuorum domo progenitus dux fuit, Conradi Cæſaris ex fratre nepos, audacia, fortitudine, & iuſtitia clariſsimus princeps. Quantum ego conſyderare poſſum eius res geſtas, videtur Fridericus, vt humaniſsimus Sueuus, æquo animo ferre non potuiſſe iniurias illas, quibus à Romanis pontificibus affectus eſt, & ex hac occaſione contigiſſe arbitror, vt durius aduerſus eos egerit.

In initio ſui imperij Bauariã & Auſtriã in concordiã redegit, & Catulo Henrico Saxoniæ duci, Henrici generi Lotharij filio, Bauariam reſtituit. Henricum cognatum ſuum comitem Auſtriacum creauit, & vtriuſque ducatus terminos diſcriminales poſuit, Tunc primum Auſtriæ ducatus cœpit. Porrò Bauariã non diu tenuit Henricus Catulus: nam deſeruit Fridericum in Italia, & in Germania nouas factiones concitauit aduerſus eum. Itaque propulſato poſtea Henrico per Fridericum, Bauariæ ducatus donatus eſt Othoni de Vuitelſbach. Atq; ex huius Othonis ſanguine illi principes, qui hodie Bauariam tenent, & Palatini comites Rheni progeniti ſunt. Electiuum ius Saxonæ principi ab An-

Bauariæ duces & Palatini comites.

halt Bernhardo donauit. Profugus Hēricus in Angliam cum vxore & liberis abijt: ſed tandem vbi reuerſus eſt, tranſactio facta eſt, vt Hēricus Catulus Brunſuigcenſem ducatum obtineret. Tum verò Philippus Colonienſis epiſcopus armata vi Vueſphaliam ademit Saxonico ducatui.

Fridericus Lubècam obſedit, & imperio ſubiugam reddidit. Coegit & Danorum regem ad pacis conditiones petendas.

Mediolanum.

Mediolanenſes rebelles erant, & nitebātur reliquas Italiæ vrbes ſub ſuū imperium perducere. Nam ea conſuetudo & libido dominandi, etiamnum durat apud Italos: quā ob rem profectus in Italiam Fridericus, pacauit tumultus omnes. Poſtea verò pontifex Romanus ſolicitauit Mediolanenſes & vrbes reliquas ad coniurationem aduerſus Fridericum, eúmque excommunicauit. Qua de cauſa quartùm iam profectus in Italiā, ſubegit, atque diripuit Mediolanum, omnesque rationes ineundæ concordiæ inter ſe & pontificem tentauit, ſed fruſtrà. Nam abduci nō potuit Alexander tertius pontifex, quo minus laceſſeret humaniſſimū principem: ideóque Romam petijt Fridericus, ſed ad Vene-

Fridericus excōmunicatus à pōtifice.

*toſ profugit Alexander. Miſſus eſt tum à Friderico cõtra Venetos Otho filius eius: quo capto nauali prælio, pacis conditiones ſuſceptæ ſunt. Etenim videbat Fridericus imperator quieſcere nullo modo poſſe Romanos põtifices. Ad hæc expendebat quoq; præterquã quòd captus filius eſſet, quos euentus habuerant Cæſares ſuperiores. Itaque vſus eſt Fridericus deiectione, & ſumma humilitate. Nam Venetias venit, ac pro templi foribus humi ꝓſtratus ante pontificem, pedibus calcari ſe permiſit: qui clamari quoq; præcepit, Super aſpidem & Baſiliſcum ambulabis: ac tum demum eum abſoluit. Fridericus contradixit, Exhiberi à ſe eam humilitatem nõ Alexandro, ſed Petro. Ad quæ reſpondit Alexander, Et mihi & Petro. Cæterùm, quid de hoc facto pontificis cenſeri debeat, id ego lectorem ſino iudicare. A pontificibus bella ſine vlla legitima occaſione cõcitata ſũt. Contẽdit enim Alexãder priuatæ ſuæ electionis cauſa, neq; vel cõcilium, neq; vllas cõditiones alias vnquã voluit admittere. Et præter hãc iniuriã ſumma etiã libidine atq; ſuperbia vſus eſt in eminentiſſimã orbis Chriſtiani poteſtatem, dum Cæſarẽ pedibus cõculcat*

Friderici humilitas

Alexand. pape 3. ſumma in Cæſarem Fridericũ tyrannis.

quem Deus etiam honorandum præcepit.

Porrò hac tranſactione facta, conſortē imperij gubernādi delegit Hēricū filium ſuum, anno 1186: ne ſine rectore eſſet imperiū, dum ipſe ꝓfectionē adornaret in Aſiā. Cōſtantinam Rogerij filiam vxorē deſpōdit filio, qua occaſione Siciliæ & Neapolitanū regnū ad imperium, & ad Germanos redijt, & regē iuniorem Italiæ gubernandæ præfecit. Non multo pòſt maximo apparatu & comitatu multorū principum in Aſiam ꝓfectus eſt, Hieroſolymitanæ vrbis, quæ non diu antea amiſſa erat, recuperādæ cauſa. Cepit in Cilicia multas potētiſsimas vrbes, & Saracenos ac Turcas ꝓſtrauit. Sultanū in tantū ſui nominis terrorē coniecit, vt ipſe à ſuis multarū ingentiū ciuitatū mœnia ſolo iuſserit æquari in Syria, cùm diffideret ſe eas retinere poſſe, & ipſe in AEgyptum profugit. Nam & Angliæ & Frāciæ reges iam in Aſiā appulerāt magno exercitu. Sed quid fit? dū maximas copias collectas habent, Fortuna quæ nūquam perpetuo bona eſt, aduerſari cœpit. Fridericus capta iam Armenia, caloris cauſa equo in rapidum amnem ingreſſus eſt, & ſtrenuiſsimus heros in vndis perijt, āno 1189.

Frideri. I in Aſiam profectus quæ bella geſſerit.

Neq; verò mirum videri debet, periiſſe hoc modo in amne Fridericum: nam teſtãtur hiſtoriæ aliàs quoque ſæpe ingredi aquas ſolitum fuiſſe. In altera expeditione ad Mediolanum caſtra ſua poſuerant Itali in vlteriori parte Abduæ fluuij, qui Albi minor nõ eſt, & ludebant Fridericũ Cæſarẽ, qui cum ſuo exercitu ab hac parte fluminis erat, exiſtimãtes amne interlabẽte, impune ſe poſſe in Cæſarem iocari. Tum verò intrepidè cõmiſit ſe flumini Cæſar, iuſſitq; equeſtres copias conſequi. Id verò nunquã exiſtimãtes fore Itali, quia ſine iuſto ordine paſſim aut iacebãt, aut vagabantur temerè, fugam cepere: ac à non magna equitum turma victi ſunt. Teſtatur hoc factum inſignis audaciæ principem fuiſſe Fridericum, præterea & qui facili de cauſa aquis ſe committere non ſit veritus. Fridericus ſæpe aquis ſe cõmiſit.

Bohemiæ princeps à Friderico rex eſt creatus ob præcipuam & inſignem eius fidem, qua erga Cæſarem Fridericum ad Mediolanum vſus erat.

Alexandro 3 ſucceſsit papa Lucius 3.

Lucio tertio ſucceſsit papa Vrbanus 3.

Vrbano tertio mortuo, factus eſt papa Gregorius 8.

Gregorio octauo ſucceßit papa Clemens tertius.

Clementem tertiũ ſecutus eſt papa Celeſtinus tertius. Ab hoc coronam imperij accepit Henricus Barbaroſſæ filius.

## Cæſar Germanus xxj.

Henricus ſextus.

ANno 1190 poſt defunctum patrem Fridericum regnare cœpit Henricus ſextus huius nominis, & regnauit annos ſeptẽ. Maxima in Apulia bella geßit, & totum regnum tandem ſubegit. In Germania aduerſarios habuit Colonienſem & Leodiẽſem Epiſcopos, præterea & Burgundiones. In hoc tumultu Leodienſis Epiſcopus ferro cõfoſſus eſt, & hoc caſu permoti alij quieuerunt ab incepto, & vltro paruerunt. Fridericũ filium adhuc puerum conſenſu electorum Cæſarem creauit. Electio ſigillatis tabulis electorum principum cõfirmata eſt, dictus eſt hic poſtea Fridericus ſecundus. Porrò moriens iam Henricus, tutelam pueri, & imperij gubernationem commiſit fratri ſuo Philippo, penes quem viuente etiam Hẽrico ſumma imperij adminiſtrandi fuit.

Fridericus 2.

Innocentius 3 papa.

Celeſtinũ 3 ſecutus eſt papa Innocẽtius 3.

*Is perſecutus eſt Cæſarem Philippum, & dixiſſe fertur: Velle ſe Philippo imperialem coronam adimere, aut pontificiam infulam ab eo ſibi eripi. Inſignib. imperij donauit Othonem Saxonem. Sed ne hæc quidem diuturna & firma amicitia fuit: nam non multo poſt Otho à pontifice excommunicatus eſt.* corrigatur lectio.

## Cæſar Germanus xxij.

*ANno 1198 electus Imp. eſt Philip. Barbaroſſæ filius, Sueuiæ dux, & Cæſaris nomine Italiæ gubernator, regnauit ãnos x. Huius tempore maximæ ſeditiones in Germania exortæ ſunt. Nam defuncto Henrico, properè ex Italia maturato reditu ſuo, monuit Electores principes Philippus, de facta electione in iuniore nepote ſuo Friderico Cæſare creato: & ne quam mutationem pateretur imperium, ſibi aut committendã adminiſtrationem, aut creãdum ſe Imperatorem, & non alium principem. Id verò vbi olfecit Innocentius pontifex Romanus, ſollicitauit ſeriò principes Electores, vt alius imperator eligeretur: indicans apertè ſe Philippum ferre non poſſe: erat enim illi infenſus, quòd gubernator Italiæ neſcio quid commiſiſſet in*

Philippus Barbaroſæ filius.

pontificem, propter quod & excommunicatus fuerat ab Innocentio. Iam verò abſoluerat ab excommunicatione Philippum legatus quidam, qui & hoc nomine pontifici pœnas dedit. Sed quid opus eſt verbis? Pontifex exoſus erat vniuerſum genus Friderici, illudq́; extirpare cogitabat. Proinde ab Electoribus deſignatus eſt imper. Bartholdus dux Zeringenſis, qui præterquam quòd opibus potētiſſimus erat, nullam ferè laudem meruit. Philip. in oppido Mulhauſen erat, quò & multi principes, Bohemiæ, Saxoniæ, Bauariæ & Sueuiæ confluxerant, à quibus Cæſar creatus eſt. At verò ſimulatque cognouit Zeringēſis dux potentia ac viribus minorem ſe eſſe Philippo, vltro ad eum venit, & veluti domino ſuo ſe ſponte dedidit, nolens imperatoriæ Maieſtatis appellationem in ſe recipere. Cæterùm pōtifex Romanus nihilo magis ab instituto ſuo deſtitit: ſed effecit, vt & à Colonienſi Epiſcopo, & Comite Palatino Rheni, Brunſuigcenſis princeps, ꝓfugi Henrici filius, Otho quartus huius nominis Cæſar crearetur. Hunc cōfirmauit, & coronauit Innocētius, excommunicato Philippo. Itaque defecerunt ad Othonem non pauci principes, Bohemus,

Bartholdus dux Zeringēſis.

hemus, Comes Thuringiæ Hermannus, Epiſcopus Argentinenſis. Sed interim tamẽ fortunauit Deus res Philippi, adeò vt imperiũ per totam vitam ſuam adminiſtrarit. Primũ in Alſatiam profectus Argentoratum cepit, & Epiſcopum Argentinenſem ad deditionem coegit. Interea temporis Spiras vſque Otho peruenerat: ſed & is inde à Philippo in Saxoniam retro fugatus eſt, & ſubſequente iam Philippo in Thuringiam. Conuenerant eò Bohemiæ rex, & Thuringiæ Comes: ſed hi pugnam detrectantes, Philippi imperio ſe ſubdiderunt. Poſtea & Colonieſi vrbe obſeſſa adegit ad deditionem epiſcopũ, qui etſi coronauerat iam antea Othonem, tamen & Philippum Aquiſgrani imperiali diademate donauit. Non multò poſt armatus Otho præſidio quorũdam Epiſcoporum, deſtituit Coloniẽſem Epiſcopum propter defectionem ad Philippum: tum verò Coloniã reuerſus Philippus aliquot prælia commiſit cum Othone, & victoriam adeptus eſt, cæterùm Otho in Angliam profugit.

Fortunati legitime uocati.

Tandem vbi iam vidiſſent principes infirmatas partes Othonis, & retineri imperium à Philippo, qui & alioqui familiarẽ ſe præ-

*Irene filia Cæſaris Conſtantinopolitani.*

*bebat principibus. (Vxorẽ Irenem habebat Cæſaris Conſtantinopolitani filiam: ex qua quatuor filias habuerat, quarum vnam Bohemiæ regis filio, vnam item Brabantiæ principi in matrimonium tradiderat) Tunc inquam vbi vidiſſent hæc omnia principes, de tranſigenda controuerſia conſultarunt. Miſſi ad pontificem ſummum legati ſunt de concordia ineunda inter papam & Philippum, præterea vt Otho quoque in gratiam reciperetur. Itaque miſſis à pontifice in Germaniã legatis, abſolutus eſt ab excommunicatione Cæſar Philippus. Tranſactio quoque facta eſt, vt filiarum vna nuberet Othoni, quo tãto firmius initæ concordiæ & familiaritatis vinculum ſeruaretur inter vtrunque. Facta hæc ſunt omnia.*

*Porrò ſancito iam hoc fœdere, egit Bambergæ poſtea Philippus. & die quodam cum eſſet ei à medico vena inciſa, & nihil iam mali ſuſpicaretur optimus princeps, & ſolus in conclaui non haberet plures ſecum, præter Cancellariũ & Dapiferum de Vualpurc, eſt ingreſſus ad eũ Otho de Vuitelſpach, cuius genus Fridericus primus celebre & clarum fecerat. Is vbi Cæſarem ſine præſidio ſolum*

eſſe videt, ferro obruit inopinatum, & ingens vulnus collo imperatoris inflixit. Adcurrit Dapifer opem laturus ſuo principi, ſed latro impune ob celeritatem elapſus eſt. Lethale hoc vulnus Philippo fuit: mortuus Bãbergæ ſepelitur. Sed poſtea à Friderico ſecũdo humatum corpus Spiram tranſlatum eſt. Saxo, quod monumentum tegit, inſcriptũ eſt, Philippus Bambergenſis. Neque verò parricida Otho de Vuitelſpach, ſuo tãdem merito ſupplicio caruit. Nam & ipſe nõ multo poſt trucidatus periјt.

## Mendicãtiũ Monachorum ordines inſtituti.

TEmporibus Philippi Dominicus & Frãciſcus mendicantium Monachorum ordines inſtituerunt. Nam qui aut Canonici, aut Monachi opulentiores erant, ij iam domini potentes facti, contempto miniſterio docendi in Eccleſia, cum Cæſaribus & principibus bella gerebant. Itaque hi duo viri tum prædicare cœperunt, & ſocios ſibi adſciuerunt homines modeſtos & pacatos, quales ſtudioſi literarum erant: atque hoc rei initium fuit. Poſtea horum exemplo plu-

corrigatur locus

res ordines orti ſunt: id quod plerunque fieri ſolet, quoties res nouæ incipiunt eſſe in admiratione. Sed vt nihil perpetuò firmum, & in ſuo gradu ſtabile perdurat in humanis rebus: ita & monachorum ordines hoc tēpore ſuum ſtatū, & doctrinas amittere videmus.

## Cæſar Germanus xxiij.

al. anno Chriſti, 1207.
Otho Brūſuigcenſis

ANno Chriſti 1209 poſt defunctum Philippum, imperij celſitudo Othoni Brūſuigcenſi principi ceßit, qui antea quoque in odium Philippi Cæſar creatus fuerat. Regnauit poſt Philippi obitum annos quatuor. Porrò inter hos quatuor annos primum Romam eſt profectus, & imperij coronā ab Innocentio accepit. In Italia regali planè, & ſumptuoſißimo apparatu vſus eſt, & oſtendit grauitatem inſignem in principes & ciuitates omnes, adeò vt ſupplices eū omnes reuererentur. Poſt coronationē vrbes aliquot imperiales à pontifice iam occupatas cepit, ſed hæc occaſio fuit ruptæ amicitiæ pontificiæ. Proinde anathemate notauit Othonem Innocentius, etiam cum præſens adhuc eſſet in Italia: & ante reditum Othonis in Germaniam, legatos miſit ad principes, vt Cæſa-

rem alium, nimirum Fridericum ſecundum Henrici ſexti filium, eligerent.

Superbũ planè atq; crudele fuit, ad eum modum excommunicari à põtificibus Cæſares, neq; excommunicari tantùm, ſed imperio deijci, ita vt nihil ferè honeſti cogitare queas in his factis pontificũ, præſertim ſi cauſas & rationes omnes expenderis. Hi omnes vno ordine excommunicati ſunt, qui fuerant interim potẽtiſsimi & cordati Cæſares, qui magna & præclara negocia confecerunt.

Pontifices ſuperbi & crudeles.

Henricus quartus Francus.
Henricus quintus Francus.
Fridericus primus Sueuus.
Philippus Friderici primi filius.
Otho quartus dux Brunſuigcenſis.
Fridericus ſecũdus Henrici ſexti filius.
Conradus Friderici filius.

Cæſares excõmunicati à põtificibus.

Anno 1212 reuerſus Otho in Germaniã, quanquã cognoſceret exaſperatos in ſe principum animos, tamen comitiorũ diem dixit Norimbergæ, & monuit principes, ne permitterent id iuris põtificibus Romanis, vt ipſi ꝓ ſua libidine imperio deijcerent Cæſares: nã imperium non ad papam, ſed ad Germanos principes pertinere. Pertraxit hac monitione

*principes quoſdam in ſuam ſententiam, & inuaſit Comitem Thuringiæ Hermannũ patrem Ludouici comitis, cui diua Elizabeth nupta erat. Nam vt gratificaretur Hermãnus Comes pontifici, oppoſuit ſe imperatori veluti pontificijs diris & excommunicatione hominis cõdemnato. Sed ab omnibus poſtea principibus deſtitutus eſt Otho, vno Marchiæ comite in Miſnia excepto. Nam venit iam hoſtis Othonis in Germaniam Fridericus iunior: præterea adnitente papa, Francorum rex in Othonem arma ſumpſerat. Ceterùm nuncio allato de aduentu Friderici, profectionem parauit aduerſus eum Otho in Alſatiam vſque, & Briſacæ erat cum ſuo exercitu: verùm deſtitutus omni præſidio ſuorum, in Saxoniã profugere coactus eſt. Tum verò reparato exercitu, & Angliæ regis ope adiutus, in inferiorem Germaniam contendit contra Gallorum regem, à quo victus eſt, & obijt poſtea anno 1218. Priuatus imperij titulis annos quinque vixit.*

Hermannus Thuri giæ comes
Diua Elizabeth.

## Cæſar Germanus xxiiij.

A*Nno Chriſti 1213 Fridericus huius nominis 2, Barbaroſſæ filius, Neapolita-*

Fridericus ſecundus.

nus, Siciliæ rex & Sueuiæ dux, Othone deiecto, Cæſar delectus eſt, & coronam imperij Aquiſgrani accepit. Regnauit annos triginta ſeptem. Interim tamen annos quinq; antequam moreretur, à papa Innocētio priuatus eſt imperio. Nemo ſatis miſerari poteſt fortē huius laudatiſsimi Cæſaris, qui multis & præclaris virtutibus præditus erat, & interim tamen maximas atq; grauiſsimas inſectationes pontificum Romanorum ſuſtinuit. Multarum linguarum peritiſsimus fuit. Latinè enim & Germanicè, Græcè & Saracenorum linguam nouit exactè. Ad hæc & bonarum artium diſciplinas promouit. Effecit vt Ptolemæi Almageſtum ex Saracenico idiomate Latinitate donaretur, & ea occaſione Aſtronomicæ diſciplinæ, quas multis iam annis nemo hominum in Europa tradiderat, in lucem reuocatæ ſunt.

Aſtronomicæ diſciplinæ à Friderico 2 reuocatæ.

Primum bellum in Germania aduerſus Othonē quartum geſsit, ex conſilio papæ: ſed idem à pontifice præmium retulit, quod alijs Cæſaribus contigit ante ſua tempora.

Secundū bellum in Brabātia geſsit contra Brabātiæ ducē, & partes Othonis, & Lotharingiā Germanico imperio iterum reſtituit.

Anno 1220 Fridericus ab Honorio tertio papa imperij coronam accepit. In Thuſciæ Comites duo occuparant vrbes quaſdã, quæ ad imperium pertinebant. quas cùm cepiſſet Fridericus, expulſi comites ꝓfugerunt ad Honorium pontificem, à quo recepti ſunt in defenſionẽ, & præcepit Friderico, vt eos in vrbium ablatarum poſſeßionem reſtitueret. Id verò facere recuſantem Fridericum excõmunicauit papa Honorius, omni qua eum complexus antea erat amicitia deleta.

Anno 1222 iterum in Germaniam rediјt Fridericus, & comitijs Herbipoli habitis, iuniorem filium ſuum Hericũ imperij cõſortem fecit, & Aquiſgrani eſt coronatus. At verò poſtea captus eſt is Hẽricus à Friderico patre, propter initum fœdus in Lõgobardia cum ciuitatibus aliquot aduerſus patrem: & viuente adhuc patre, ſitu ac ſquallore carceris extinctus eſt Henricus.

Henricus à Friderico patre captus.

Quanquã Hieroſolyma vrbs amiſſa iam erat, tamen poſſederunt interim Chriſtiani alias magnas & potentes ciuitates in Syria. Verum in dies magis ac magis creſcente potentia Turcarum, & retrolabente fortuna Chriſtianorũ Romam venit Ioannes, qui re-

gis Hieroſolymitani titulũ adhuc tenebat, ac opem ab Honorio papa petijt, impetrauitq; vt ab Honorio abſolueretur Fridericus anathemati obnoxius. Itaq; cõſenſerunt vltro Fridericus & Germaniæ principes ad exercitũ parandum ꝑ Hieroſolymæ vrbis liberatione: & rex Hieroſolymitanus tradidit Iolen filiam ſuam in matrimonium Friderico Cæſari. Vnde id quoq; hodie eſt, vt regni Hieroſolymitani titulum vendicent ſibi Siciliæ reges. Proinde ingẽti exercitu inſtructo Hieruſalem petebat Cæſar, cum multis Germaniæ principibus, inter quos & Ludouicus Landgrauius fuit, cui Elizabeth nupſerat, & is in ea expeditione Brunduſij obijt.

Ioãnes Ieroſolymorum rex

Ludouicus Lãdgrauius.

Anno 1228 ꝑfectus eſt Fridericus Hieroſolymã, & negocium ita confecit, vt à Sultano non ſolùm Hieroſolyma, ſed multæ aliæ vrbes in vicinia ſitæ vltro ei ſint redditæ. Coronatus eſt Hieroſolymæ Fridericus anno 1229. Hieroſolymam & Ioppen vrbes munitionibus firmari curauit, aduerſus vim hoſtium. Pacis fœdera ſanciuit cũ Sultano decennij ſpacio. Significauit hæc omnia per epiſtolam pontifici Romano, petijtq; excõmunicationis abſolutionẽ. Nã & ab hoc Grego

rio papa anathemate notatus erat, neſcio cuius iuris cauſa in regno Siciliæ. Sed parum erat pontifici negare Cæſari abſolutionem: nam & hos quoque dolos ſiue iniuriã potius fecit abſenti Friderico. Etenim contra eum ciuitates Italiæ mouit, occupauitque per vim vrbes aliquas in hæreditario eius regno Neapolitano. Itaque hac neceſsitate coactus eſt Fridericus redire in Siciliam, & hæreditarium regnum ſuum ex periculi metu eripere. Quanquam autem ſumma vſus erat perfidia pontifex in abſentem Cæſarem, tamen tanta demiſsione abſolutionẽ poſtulauit, vt promitteret ſe à pontifice Siciliani regni feudum accepturũ. Ad hæc & principes Germanos uocabat in Italiam, vt vel per eos cõtrouerſia inter ſe & pontificem trãſigeretur. Proinde liberauit Gregorius Cæſarem ab anathematis diris iterum anno 1230. Poſtea tertium venit in Germaniam Fridericus, & bellum in Auſtria contra Hungaros geſsit, & cœpit Viennam vrbem, quæ vt eſſet & maneret imperialis ciuitas, datis literis id voluit ratum confirmari. Tum quoque filium ſuum Conradum Viennæ Cæſarẽ elegit, mortuo iam in carcere Henrico filio.

LAnno 1258 iterum redeunte in Italiam Friderico, Mediolanenſes contra eum inſurrexerunt, & aliæ pleræque præpotentes ciuitates. Mediolanum grauiſsima clade affecit Fridericus: qua de cauſa ciuitates inito fœdere cum pontifice, conſpirãt contra Fridericum Cæſarem, quem & hoc nomine tertiò excõmunicat papa Gregorius, & hæreticũ proſcribit, concitatis etiam ad arma contra eum Venetis. Fridericus editis ſcriptis publicè queſtus eſt de illata iniuria, & interim ſupplex quoque abſolutionem petijt à pontifice. Erãt ex Cardinalium ordine multi, qui conſilia papæ non probabant. Cæterùm vbi precibus de impetranda venia non dabatur locus omnino apud Gregoriũ, neceſsitas compulit Fridericum, vt ſe tueretur, & non caruit ſua factione, quæ tum in Italia potẽtiſsima erat. Nam diuiſa tum erat Italia in Guelphos & Gibelinos: hi pro Cæſare, illi verò ꝓ pontifice ſentiebant. Vtrunq; nomẽ ex Germanis ortum in Italiam trãſlatum erat. Nam Guelphorum genus perpetua odia exercuerat aduerſus ſanguinẽ Friderici. Vnde & Guelphi dicti ſunt, vt perpetuò infenſi hoſtes Friderici. Porrò Friderici generis origo à Vueiblingis

Fridericus 2 tertio excommunicatus.

Guelphi.

eſt, vnde appellati ſunt Guiblingini: id quod mutato nomine Gibelini dixerunt Itali.

Gibelini. Pontifex grauiſsima neceſsitate cōpulſus, crucem & indulgentias publicauit aduerſus Cæſarem Fridericum, perinde ac manifeſtè impium & prophanatorem religionis. Tulit id multò ægerrimè Fridericus: obſedit Romam, ſed re infecta diſceſsit, ac Rauennam vrbem cepit.

Fridericus 2 abdicatur à papa īperio. Anno 1245 Innocentius 4 habito cōcilio Lugduni, abdicauit imperio Fridericū, vſus Gallorū præſidio: & per literas ſignificauit Electoribus principibus, vt aliū Cæſarē deſignarent. Illi verò dixerunt imperatorē Henricum Thuringiæ Landgrauium, is ante Vlmam vrbem tormento bellico ictus perijt.

Victoria Fridericus nouam in Italia vrbem cōdidit, quæ Victoria dicta eſt. Vbi argēti inopia laborabat, è corio iuſsit numiſmatis formam parari, vt eſſet quo militibus ſtipendia ſoluerentur: cæterùm quam primum argēti copia fieret, ſe id quod ex corio erat, vero & bono numiſmate commutaturum, id quod liberaliter etiam poſtea fecit. Iam verò cum nulla amplius ex Germania ſperare præſidia poſſet: præterea & captus eſſet Encius filius

eius, qui & periit in carcere, variè adflictus eſt, & contulit ſe in Apuliam, vbi & mortuus eſt, anno 1250. Sunt qui ſcribunt veneno necatum eſſe. Scilicet quieſcere non poterant ſanctiſsimi patres, niſi prorſus optimum principem extinctum vidiſſent. Neapolitanũ regnum hæredi filio ſuo Conrado reliquit. Italia factionibus diuiſa manſit poſtea ſemper. Pars enim imperio, pars pontifici adhæſit, donec Venetorum & Mediolanenſium vires creſcere, & augeri cœpiſſent poſtea.

Innocentio 3 ſucceſsit Honorius 3, à quo coronam accepit Fridericus 2, & excommunicatus eſt poſtea.

Honorio 3 ſucceſsit Gregorius nonus, à quo ſimiliter anathemate notatus eſt imperator Fridericus.

Mortuo Gregorio 9 papa factus eſt Celeſtinus quartus.

Poſt Celeſtinũ papa factus eſt Innocentius 4. Is imperio priuauit Fridericum, & filium eius Conradum anathemati ſubiecit.

## Cæſar Germanus XXV.

ANno 1250 regnauit Conradus Friderici filius mortuo patre, ſed ab Innocentio Conradus quartus.

quarto excommunicatione notatus eſt. Lãdgrauius Thuringiæ Hẽricus vicit eum apud Francofordiam, viuente adhuc patre Friderico. Sunt qui ſcripſere poſt Henrici obitũ geſtum hoc bellum contra Conradum à Vuilhelmo Landgrauio. At verò vbi conſiderauit Conradus, ſe deſtitutum præſidio Germanorum principum, contulit ſe in hæreditarium regnum ſuum Neapolis, ibique defunctus vita eſt, anno 1253.

Finis Sueuiæ ducũ.

Conradus de quo modò diximus, vxorem habuit Bauarici ſanguinis, ex qua filium ſuſceperat Conradinum, qui in hæreditario ducatu ſuo Sueuiæ educabatur, & poſt obitum patris hæreditarium regnum ſuum Neapolis petere volebat. Tum verò aduerſus eum vocabat in regnum Neapolitanum põtifex Clemens Carolum Gallorum regis fratrẽ Cõradinũ, vt qui Sueuiæ dux erat, magna præſidia & copias Germanorum circum ſe habebat, & principio magnis victoriis vſus eſt. At verò tandem per inſidias Conradinus Conradi filius, & Fridericus Auſtriæ dux capti ſunt. Præterea & ſordidius quàm decebat tractati, & contumelijs adfecti ſunt.

Tandem conſilio papæ ceruicem carnifici

amputandam præbuere. O inſignem crudelitatem. Saxeus planè eſſet, quem non tantæ crudelitatis exempla commouerẽt, nimirum tam generoſum regem, à tot Cæſaribus ortũ, adeò ſine ullo iure & ratione, tam turpiter à Clemente papa è medio ſublatum eſſe. Scripta etiam hodie adhuc extant, quæ tũc temporis edita ſunt, in quibus queritur de iniuria optimus princeps, & totã cauſam ordine commemorat longa narratione: ut dubiũ non ſit meram tyrannidem aduerſus Cõradinum exercuiſſe papam. Clementis papæ inſignis crudelitas in Cõradinũ.

## Cæſar Germanus xxvj.

ANno 1254 electus eſt Cæſar Vuilhelmus Hollandiæ Comes. Principẽ ferunt probitate morũ, & uitæ innocentia inſignẽ fuiſſe, & à Friſijs cæſus eſt anno 1256. Vuilhelmus.

## Interregnum.

Mortuo hoc Vuilhelmo, ſine certo Cæſare ſtetit imperium annos ſeptendecim, idq́; non ſine ſummo exitio Germanicæ nationis. Infortunium hoc natum eſt ex bellis ciuilibus, quæ in imperio per pontifices Romanos ſunt excitata. Porrò diſsidio propter electionem

Alphonſus rex Hiſpaniæ & mathematicus.

orto inter electores, à quibuſdam electus eſt Cæſar Alphonſus Hiſpaniæ rex, propterea quòd ſapientia nõ vulgari, & præclaris virtutibus præditus erat. At verò is eſt Alfonſus, qui aſtronomicis artibus nõ ſolùm ipſe eſt delectatus, ſed etiam multis præclaris libellis de ea ſcriptis ſtudium eius auxit, & emẽdauit. Caterùm Alfonſus, quanquã monitus à papa de recipienda imperij maieſtate, tamen id conſtãter recuſauit, ꝑpter incertam fidem & inſtabilem concordiam Romanorũ pontificum cũ imperatoribus. Pars altera electorum deſignauit Cæſarem Richardum regis Angliæ fratrem, eumq; Baſileam vſq; auxerunt, verùm ab imperio receptus non eſt.

Innocentio mortuo factus eſt papa Alexander quartus. Vixerunt hoc tempore Albertus Magnus, & Thomas Aquinas.

Alexandro quarto ſucceßit papa Vrbanus quartus.

Vrbanum 4 ſecutus eſt papa Clemens 4, qui Conradinum truncari iußit.

Clemente quarto defuncto, ob diſſenſionẽ de eligẽdo pontifice ortam, vacauit papatus biennij ſpacio: tandem creatus eſt pontifex Gregorius decimus. Is monuit initio ſui põ-

tificatus

tificatus electores, vt conſentientibus votis imperatorem iterum deſignarent, ne imperij ſtatus prorſus collaberetur.

## Cæſar Germanus xvij.

ANno Chriſti 1273, electus Cæſar eſt Rudolfus comes Habiſburgius, & Alſatiæ comes prouincialis. Regnauit annos 19. Confirmatus eſt à pontifice. Conuenerãt enim Cæſar & Pontifex Lauſanæ, id quod verſiculi veteres teſtantur, Rudolfus

Bis ſexcenti ſeptuaginta tresq́; ſtetere
Anni, Lauſanæ dum rex & papa fuere.

Cæterùm in Italiam non eſt profectus Rudolfus, neque coronã imperialem accepit. Solebat ille AEſopi fabulam recitare de vulpe, quæ leoni in ſpelunca ægrotanti dixerat, Ideo ſe terreri ab ingreſſu, quòd veſtigia omnia ingrediẽtium, non egredientium eſſent animaliũ. Ad eundẽ modũ & ſe conſiderare, maiores ſuos ingreſſos quidem ſæpe magnis copijs Italiã, ſed male tractatos domum plerunque rediſſe. Interim tamen vicarium gubernatorem miſit in Italiã, qui receptus eſt à potiſſima parte vrbium Italicarum.

Reſiſterunt Rudolfo primum Bohemi &

Othacarus rex Bohemorum.

Bauari, ſed Bauariam citò ſubiugatam reddidit. Othacarus rex Bohemorum noluit parere, & præterea iam vacuam hæredibus Auſtriam, quæ imperio tunc ceſſerat, contra ius faſq; occupabat. Miſſus eſt itaq; à Rudolfo Norimbergenſis Burggrauius in Bohemiã, vt nunciaret regi ex imperatoris iuſſu, vt pareret, & auſtria cederet: ſed vtrunq; recuſauit Othacarus. Proinde poſt multas diſceptationes ſuper ea re habitas, ducit in Auſtriã armatas copias Rudolfus, eamq; occupauit. Obſidione cinxit Viennam vrbem, & ingẽti prælio pugnatum eſt apud Niderſbruggũ anno 1278. Othacarus in eo conflictu cæſus eſt. Ita demum redacta Auſtria eſt ſub ditionem Rudolfi, & in ea ducem poſtea conſtituit Albertũ filium ſuum: vt ea occaſione iam porrò ſit Auſtria beneficium ſeu feudũ imperiale. Porrò ab hoc Alberto iam inde originẽ ducunt Auſtriaci principes, vſque ad laudatiſſimum Cæſarem, D. Carolũ quintũ, & regem Ferdinandum fratrem eius.

Albertus Auſtriæ dux.

Vuenceſlaus Bohemiæ rex inter diuos relatus.

Rudolfus Cæſar ſumma clemẽtia ac humanitate vſus eſt erga Vuenceſlaum Othacari filium: reliquit enim illi Bohemiæ regnũ, & filium ei in matrimonium dedit. Vuen-

ceſlaus hic in diuorum numerũ relatus eſt, & ſacris honoribus colitur. Rudolfus & Burgundiones domuit. In Alſatia primum ſeditioſas vrbes, quæ conſpirauerant in eum, vicepit, & dignas de illis pœnas ſumpſit. Inter eas vrbes Haganoa, Colmaria, Tigurum & Berna fuerunt.

Anno 1286, Comitem Vuirtembergenſem Ebrardum inuaſit, & Stutgardiũ obſedit. Tandem cauſa per epiſcopum Moguntinenſem tranſacta eſt.

Anno 1290: Rudolfus celebria comitia habuit Erfurdiæ, & præſidio vrbis Erfurdianæ diripuit & ſolo æquauit circiter ſexaginta arces in Thuringia. Eo demum pacto turbatũ & plenũ ſeditionibus ſtatũ Germaniæ, dũ certis imperatoribus caret, ſub pacis leges iterũ redegit Rudolfus, & collapſum imperiũ ferè erexit. Mortuus eſt anno Chriſti 1292.

Gregorio 10 ſucceſsit papa Innocentius 5.

Innocentio 5 ſucceſſit Adrianus 5.

Adrianum 5 ſecutus eſt papa Ioannes 21 medicus.

Ioanne 21 mortuo, papa factus eſt Nicolaus 3. Moliebatur is duobus nepotibus ſuis duo Italiæ regna tradere, vt alter Hetruriæ,

alter verò Longobardorum rex eſſet: videbat enim pontifex plus ſatis negotij fieri Rudolfo in Germania, putabatq; ea de cauſa in Italiam venire eũ non poſſe. Verùm quo minus ſuccederent conatus papæ, reſtiterunt Cæſarianæ vrbes, & miſit Rudolfus vicarium gubernatorem in Italiam.

Poſt Nicolaum tertium factus eſt papa Martinus quartus.

Martino quarto mortuo, papa factus eſt Honorius quartus.

Poſt Honorium quartum factus eſt papa Nicolaus tertius.

## Cæſar Germanicus xxviij.

Adolphus

ANno Chriſti 1292 Adolfus Comes de Naſſau Cæſar eligitur. Fuerat hic antea apud Rudolfum in magna æſtimatione Erat præterea eius frater Moguntinẽſis epiſcopus, & huius ſuffragio iuuabatur Adolfus, vt imperiũ conſequeretur. Regnauit annos ſex, & per electores ab imperio depoſitus eſt: nã ad tolerandos ſumptus eminẽtiæ Cæſareæ nõ ſatis ſufficiebant copiæ familiares: ad hæc & magnus in rebus gerendis planè erat infortunatus. Memorabile bellũ quod geſſit id fuit,

quòd in Thuringiam duxerit exercitũ. Nam Alberto Landgrauio Thuringiæ contentio erat cum filio ſuo Dietero, & Friderico, cui à morſa maxilla cognomen erat. Et vendidit is Adolfo Cæſari ꝓuincialẽ comitatũ Thuringiæ. Studebat is quoq; generis ſui nobilitatem reddere illuſtriorem, & in Thuringiam profectus, magnis eam cladibus adfecit. Obſedit Crutzbergiũ, Franccenſtein, & Friburgum. Verũ à Friderico repulſus eſt. Porrò ob varias & multas perturbationes, quæ tũ erãt in imperio compeſcendas, potentiori quodam capite opus erat in Germania. Ideoq; cõuentu habito ab Electoribus principibus Moguntiæ, deligitur Cæſar Albertus Auſtriæ dux, Rudolfi Cæſaris filius. Sed cũ vi retinere vellet imperium Adolfus, armatis copijs cõtra eum profectus eſt dux Albertus, & infeſtis ſignis vtrinque pugnatum eſt prope Vuormaciã. In eo conflictu perijt adolfus anno 1298. id quod hi verſus teſtantur: Albertus Auſtriæ dux.

*Anno milleno trecentis bis minus annis,*
*In Iulio menſe, rex Adolfus cadit enſe.*

Poſt Nicolaum quartum factus eſt papa Celeſtinus quintus. Is relicto pontificatu monachus factus eſt.

Poſt Celeſtinum quintum factus eſt Bonifacius octauus papa. Ab hoc ferunt deceptum Celeſtinum voce tanquam cœlitus miſſa per cannam ad eum facta, vt deſereret pontificatum, & Bonifacium inſtitueret. Ingentia bella in Italia excitauit. Excõmunicauit Gallorum regem, & titulum regni Gallici donauit Alberto Cæſari, vt hac occaſione tãdem inter ſe conflictarentur Germani & Galli. Poſtremò captus eſt Bonifacius, & in carcere periit. Atque hinc eſt quod dicitur de eo: Intrauit vt vulpes, regnauit vt lupus, mortuus eſt vt canis.

al. regnauit ut leo.

## Cæſar Germanus xxix.

Albertus primus.

ANno 1298, cœpit regnare Albertus Auſtriæ dux, Cæſaris Rudolfi filius. Imperauit annos decẽ: bello ſuperauit Adolphũ Cæſarem. Primùm Bonifacius papa ratum habere noluit imperium Alberti: poſtea vltro confirmauit in odium Gallorum regis, & donatum Albertum titulo regni Gallici, extimulauit eum contra Franciæ regem. Verùm rex Gallorum tradita filia in matrimonium filio Alberti, placauit eum, ne quid hoſtiliter aduerſus eum tentaret. In Bohemiam

expeditionẽ adornauit, & filium ſuum Bohemiæ regem conſtituit. Bohemiam & Moguntiam hoſtilia fœdera ineuntes contra ſe, ita domuit, vt pareret imperio.

Tandem à fratris filio, & comitibus quibuſdam Auſtriæ trucidatus eſt. Fortè id ita voluit Deus, ne cædes in Adolfum Cæſarem commiſſa foret impunita. Quanquam enim is erat non paris potentiæ, tamen interim vt dominum ſuum conſtitutum à Deo venerari debuiſſet. Parricidæ & ſuas quoque pœnas dedere. Deus enim cædes & latrocinia inulta non ſint.

Poſt Bonifacium octauum, factus eſt papa Benedictus decimus.

Tranſlatio ſedis pontificiæ à Romanis in Galliam.

Benedicto 10 mortuo declaratus eſt papa Clemẽs 5, genere Gallus. Egit hic in Gallia apud Lugdunenſes, & abſoluit ab excõmunicatione regem Gallorum. Porrò iam inde ab hoc tempore, hoc eſt anno 1305 tranſlata fuit pontificia ſedes ab vrbe Romana Auenionem Galliæ vrbem, vbi manſit annos 71.

Temporibus his Fratricelli fuerunt, qui planè Anabaptiſtarũ more, qui noſtra hac Fratricelli.

ætate in incertum vagantur, ſenſerunt, nihil proprij habendum, non eſſe adminiſtrandas Reſp. Chriſtianis, & ſimiles phanaticas opiniones habuerunt.

## Turcæ.

TEmporibus Alberti Auſtriaci, genus Othomani apud Turcas potentia & æſtimatione extreſcere cœpit: ex cuius ſanguine illi Turcici reges, qui hodie imperant originem ducunt.

## Cæſar Germanus XXX.

Hẽricus 7 Lucelburgenſis. ANno Chriſti 1309, imperator electus eſt Henricus princeps Lucelburgenſis. Regnauit annos ſex. Etenim interea dum in Gallia pontifex erat, ambuit imperij dignitatem rex Gallorum, & conſenſu pontificis, ſui ſe voti compotem fore ſperabat. Sed ne inter pontificem quidem & Gallum cõcordia diu ſtabilis fuit. Proinde monuit papa electores principes, qui iam multo tempore de electione diſſenſerant, vt maturarent concordibus votis Lucelburgẽſem principem imperatorem, deſignare, qni tum ob ſapientiam cum ſumma grauitate coniunctam clariſſimus habebatu

princeps. Electum ſtatim confirmauit pontifex. Itaque votis & ſtudio ſuo fruſtratus eſt Gallus in transferenda ad ſe imperij Romani dignitate.

Primum ſpoliauit Henricus Comitem Vuirtembergenſem omnibus fortunis, qui rebellis erat imperio. Ioanni filio ſuo regis Bohemici filiam vxorem dedit: eſtq́; hac occaſione Ioan. Lucelburgenſis princeps Caroli 4 pater rex Bohemiæ factus.

Poſtea cum ingentibus copijs in Italiam deſcendit, & tantam ſui formidinem incuſſit Italiæ, quantam multo tempore antea nullus imperator alius. Vrbes quædam non niſi vi coactæ, dedere ſe voluerunt, vtpote Cremona & Brixia: reliquæ vltro paruerunt. Romæ imperator coronatus eſt. Florentiam grauiſsima obſidione preßit, quo tempore vt ſcriptum reperitur, monachus quidam prædicatorij ordinis ſubornatus a Florentinis, perdidit Henricum veneno, quod Euchariſtiæ illitum dederat ei. Quin & pontifex ipſe ſuis iam armis inſtructus minabatur Henrico excommunicationis telo, vbi augeri æſtimationem eius in Italia ſenſit.

Hẽricus 5 ueneno necatus à monacho.

## Cæſar Germanicus xxxj.

Ludouicus Bauarus.

ANno Chriſti 1314 conuenerant Fräcofordiæ electores principes, Moguntineſis, Treuerenſis & Colonienſis Epiſcopi: Ioannes Bohemiæ rex, Rudolphus Comes Palatinus Rheni, Rudolphus Saxoniæ dux, Volcmarus Marchio Brademburgenſis, die Luciæ à Moguntino & Treuerenſi Epiſcopis & Bohemiæ rege, & Marchione Brandemburgenſi electus eſt Ludouicus Bauarus. Et contra hunc delegerüt Fridericum Auſtriacum Coloniẽſis Epiſcopus, Palatinus, & Saxoniæ dux, Ludouicus Aquiſgrani coronatus eſt. Fridericus Bonæ imperij inſignia accepit. Controuerſia hæc in eligendo ingentis ciuilis belli occaſionem peperit in Germania. Auſtriæ dux fautores habuit pontificẽ, Fräciæ, & Hungariæ reges, Sueuos, Palatinum, Argentinenſes, & alias multas vrbes. Ludouicum autem, qui viribus infirmior erat, & deſtitutus humano præſidio, fortunauit Deus. Imperauit annos xxxiij.

Fridericus Auſtriæ dux cõtra Ludouicum electus.

Anno 1323, collatis ſignis pugnatü eſt inter eos ad Neccharem fluuium, & vtrinq; multi occubuerunt in prælio.

Anno 1335, pridie Michaelis, ingenti cõflictu cõgreſſus eſt Ludouicus cnm Friderico. Fridericum iuuabat frater eius Lupoldus, coniunctis Sueuis & Heluetiis, & magna quoque parte Hungarorum. Ludouicum ſecutus erat Bohemiæ rex, & Norimbergici caſtri comes, & principes plerique alij. Iam verò cùm cunctaretur Lupoldus, vt traijcere amnem non poſſet, cæſus eſt à Ludouico exercitus Auſtriacus, & captus eſt Fridericus à Franco quodam, cui Ebrardo Moſbachio nomen erat, qui perduxit eũ ad Burggrauium Norimbergẽſem, à quo ad Ludouicũ miſſus eſt. At verò vbi vidit Lupoldus opem ferre ſe non poſſe fratri, tanta animi indignatione ac furore percitus eſt, vt ſeipſum penè interfeciſſet, niſi ſui cohibuiſſent eum: qui & conſuluerunt quoque, vt recederet, neque ſua ſpõte deijceret ſe in periculum. Poſtea verò nequicquã multa tentauit Lupoldus, & apud pontificem, & Francorum regem, vt vi eriperet Fridericum fratrem: nam Gallus alieno negocio non admodum mouebatur. Fridericus trium annorum ſpacio captus fuit in arce quadam apud Bauaro: tandem tranſacta cõtrouerſia, dimiſſus eſt hac lege, vt imperio

Lupoldus

Fridericus captus ab Ebrardo Moſbachio.

cederet: quod cùm vltro recepiſſet, reſtitutus eſt à Ludouico in Auſtriam. Itaque vſus eſt ſumma humanitate atq; clemẽtia Ludouicus in hoſtem ſuum, interim tamen nõ quieſcente Lupoldo à motibus excitandis, etiam poſt liberatum Fridericum.

Ludouicus excõmunicatus.

Schiſma in Germania.

Poſtea cenſuris pontificijs animaduertit in Cæſarem Ludouicũ Ioannes vigeſimus ſecũdus, quòd ante coronationem imperiali auctoritate & imperio vſus fuiſſet in Italia. Occaſio ingẽtis ſchiſmatis inde orta eſt apud Germanos, idq; durauit circiter vigintiquatuor ãnos. Interea magnæ paſsim ſeditiones, in imperio & vrbibus ſunt natæ, & pars altera alios per coniurationẽ pellere & opprimere conabatur. Et quanquam nõ ſemel petijſſet abſolutionem à pontifice Ludouicus, tamen nullis eam precibus potuit impetrare, vt & Benedictus papa poſt Ioãnẽ, & alij multi clari & honeſti viri reiecerint acta põtificis. Et extant etiãnum cõtrouerſiæ ſcriptæ inter pontificem & Cæſarẽ: in quibus gloriarĩ veritus non eſt Ioãnes papa, penes ſe ſummam auctoritatẽ, & ius eſſe creãdi & deponendi nõ ſolùm reges, ſed imperatores omnes pro ſua volũtate. Æſtimari ex his po-

teſt facile, non graui admodum de cauſa papam exercuiſſe tanta odia aduerſus imperatorem. Non deerant quoq; ſub idem hoc tempus homines eruditi, qui ſcripta pontificis palàm inſectabantur, inter hos fuit Occã. Principes Germani omnes tam eccleſiaſtici, quàm equeſtris ordinis imperatori adhæſerũt quoad tandem compulſi quidam ſunt ad defectionem, atque adeò etiam ad electionem alterius Cæſaris per pontificem.

*Ioãnis 22 papæ inſtantia.*

*Occã Ioãnis pontificis inſectator.*

In Italia maximas factiones habuit Ludouicus Galeacius Mediolanenſis: & Sena. Rom. expetit aduentum Ludouici in Italiã. Itaque profectus eſt comitante Regina, quæ & peperit Romæ filium qui dictus eſt Ludouicus Romanus, & factus poſtea ab imperatore Marchio Brãdemburgenſis. Mediolani ab epiſcopo, Romæ à Cardinali de columna coronatus eſt. Conſtituit quoque Romæ pontificem Petrũ Corbarienſem, qui non multo pòſt Auenionem pertractus eſt vinctus ad Ioannem 22, à quo in carcerem eſt coniectus, in quo perijt.

*Galeacius Mediolanenſis.*

*Ludouicus Romanus.*

Porrò dum hæc omnia geruntur, nullis obteſtationibus aſſequi potuit Ludouicus, vt anathemate liberaretur à pontifice. Verum-

enimuero id tandem indefeſſis conatibus ſuis effecit papa, vt in Lucelburgo conuentu habito Moguntinus, Treuerenſis & Colonienſis Epiſcopi, & Bohemiæ rex, vnà cum Saxoniæ duce alium imperatorem deſignarent. Electus eſt Carolus quartus Morauiæ Comes prouincialis, filius Bohemiæ regis. Is à Clemente ſexto pontifice tum confirmatus eſt. Cæterum dum Aquiſgranum & Colonia vrbes Cæſarẽ agnoſcere non volunt, Bonæ imperij inſignibus eſt exornatus.

Nicolaus Auguſtus ſtultitiæ inſignis.

Contigit ſub hoc tempus Romæ inſignis cuiuſdam ſtultitiæ exemplum: Nicolaus quidam ſcriba vrbis Romæ ea erat potẽtia & auctoritate, vt penes eum totius vrbis imperium eſſe diceres: nam aberant tum adhuc quoque pontifices in Galliam tranſlati. Appellauit hic Nicolaus ſe Tribunum Auguſtum, & publicis ſcriptis editis eſt teſtatus, Romam adhuc verũ caput eſſe imperij, & ideo ex auctoritate vrbis Romæ, penes ſe ſummã poteſtatem eſſe tractandi cauſas imperij. Et pro ea auctoritate vocauit Ludouicũ & Carolum, vt coram ſe in iudicio comparerẽt, & cauſam ſuam ipſius arbitrio committerent. Similem ſtultitiam eius generis exercuit ſæ-

pe in vrbes & reges quoque alios, ad biẽnij ſpacium. Tandem à pontificia factione pulſus miſer hic Auguſtus, profugit ad Carolũ quartum. Carolus verò hominem temerariũ Auenionem miſit ad pontificem, à quo captus in carcere ſeruatus eſt.

Anno Chriſti 1345 obijt Ludouicus Bauarus. Tum verò cum ingentibus copijs ex Bohemia Ratiſbonam venit Carolus, vbi imperator agnitus eſt. Inde & à Norimbergenſibus receptus eſt: prætexuit enim Carolus clementem ſibi à pontifice abſolutionem contigiſſe, pro expiandis grauibus peccatis illis, quibus dum Ludouico adhæſiſſent, redditi eſſent obnoxij. Baſileæ cum conſuli cõmitteretur, vt vrbis nomine abſolutionem peteret, reſpondit: Arbitrari ſe nihil eos criminis admiſiſſe, quòd Ludouicũ habuiſſent Cæſarem, neque etiam exiſtimare ſe Ludouicum hæreticũ fuiſſe: interim tamen ſi à delictis abſolui poſſent, id ſe non ægre laturum. Itaque abſoluti ſunt.

Anno 1348, defuncto iam Ludouico maior etiam diſcordia orta eſt: Mogũtinus, Palatinus, Brãdemburgenſis & Saxoniæ dux, filius illius, cuius ſuffragio Carolus creatus

*erat imperator, conuenerunt, & reiecta Caroli electione adſciuerunt ad ſuſcipiendam maieſtatem imperij Eduardum Angliæ regem: ſed ille vt rem moleſtiarum plenam ſuſcipere recuſauit. Inde delegerũt Fridericum Miſniæ comitem prouincialem. Cæterùm & hic contempſit imperij titulos. noluit enim in exitium hæreditariæ terræ ſuæ cum Bohemis vicinis belligerari.*

Guntherus Comes Schuuartzburgenſis, electus Cæſar.

*Anno 1350, Francofordiæ Cæſar electus eſt, non omnium tamen electorum conſenſu. Gũtherus Comes Schuuartzburgicus, Recepit is gubernacula imperij, & inſtructus omnibus præſidijs ad retinendum imperium, ſatis munitus erat aduerſus vim Caroli, qui tunc Moguntiæ agebat. Cæterùm paucis pòſt diebus Guntherus veneno necatus perijt Frãcofordiæ ſtatim. Itaque imperio ſolus Carolus potitus, Francofordiam venit, & ꝑ Cæſare receptus eſt.*

*Poſt Clementem v factus eſt papa Ioãnes 22, qui præter iuſtam causam in optimum Cæſarem Ludouicum cenſuris pontificijs animaduertit.*

Benedict. 11 papa.

*Poſt Ioannem xxij factus eſt papa Benedictus vndecimus. Is nũquam Ioãnis actionem*

nem contra Ludouicum comprobauerat, & pontifex factus vltro eum abſoluiſſet, niſi cõminationibus ſuis Franciæ & Neapolis reges eũ id facere ꝓhibuiſſent. Porrò cùm inter dicendum cõmemorarent regi legati, Ludouicum multa nefanda contra pontificẽ machinatum, reſpõdit Benedictus: Imò nos fecimus contra eũ. Vixit in papatu ad breue tẽpus: idcirco cauſæ omnes infectæ hæſere. Locus iſte corrigendus

Poſt Benedictũ xi factus eſt papa Clemens 6. Is renouauit illatæ excõmunicationis tela contra Ludouicum, & acerrimè eũ perſequutus eſt: tametſi interim de pacis cõditionibus tractaretur in Viẽnenſi conſilio apud Gallos, & ſupplicẽ ſe declararet Cæſar Ludouicus. Emit hic Clemẽs Auenionẽ Frãciæ, atq; ita vrbs hæc iuris pontificij facta eſt. Auenio urbs pontificia.

Porrò hiſce temporibus in Germania & Gallia ſimul multæ turbæ hominum oberrarunt paßim, qui ſeipſos virgis concidebant. Multi eorum Spiram venerunt ipſis comitiorum diebus, magnam religionis ſpeciem præ ſe ferentes. Sanctimoniæ nomine à ciuibus ad prandia ſunt inuitati. Erroris fucus vt nihil differebat ab Anabaptiſtarum opinione religioſa, ita ſecta non minus per- Flagellatorum ſecta.

nicioſa erat illis temporibus. Tandem verò damnata eſt.

Clementem ſequutus eſt papa Innocẽtius 6. huius temporibus Carolus 4 coronatus eſt Romæ.

## Cæſar Germanus xxxij.

Carolus quartus

ANno Chriſti 1350, poſt obitum Gũtheri Schuartzburgẽſis, imperare cepit Carolus, huius nominis quartus, Lucelburgenſis ſanguinis princeps, Ioannis Bohemorum regis filius. Erat enim is Henrici Lucelburgenſis filius. Porrò ab hoc anno 1350 regnauit Carolus annos viginti octo.

Anno 1355, Carolus in Italiam deſcẽdit, & humaniſſimè ab vrbibus exceptus eſt. Romæ totus Senatus, & optimi quique obuiam procedentes, eius aduẽtum religioſe excepere. Ille verò, vt viciſſim ſuam humanitatem Romanis teſtaretur, equo deſcendit, & pedes deditionẽ vrbis recepit. Poſtea ab Hoſtienſi Cardinali coronatus eſt. Ciuitates pontificij iuris in Italia, ſed interim rebelles, ſubegit in põtificis gratiam, vt amplius non reluctarentur. Alia quæ in hac expeditione fecerit, non reperio.

Anno 1360 Carolus Ebrardum Vuirtembergenſem Comitem ingēti exercitu oppreſsit, atq; depopulatus eſt. Tandē autē per Auguſtanum, Argentinenſem & Spirenſem Epiſcopos controuerſia compoſita eſt.

Anno 1366 iterum in Italiam perrexit Carolus, in qua vrbes quaſdam tumultuum cupidas compeſcuit, & ſubegit.

Carolus Vlmā obſedit, ſed qua de cauſa, id nuſquā reperio ſcriptū. Etenim imperiti hiſtoricæ ꝓprietatis Germani noſtri, circunſtantias & cauſas rerum geſtarū nō attenderūt.

Magnā laudem meruit Carolus ob auream bullā conditam, in qua multa, quæ ad publicā pacem ſeruandā pertinent, cōmodè complexus eſt. Rerum Bohemicarū in primis ſtudioſus fuit. Gymnaſiū publicū Pragæ inſtituit. Sunt qui improbant, iura in Arelatēſi regno tradita ab eo eſſe Gallorum regi.

Carolus 4 aureæ bullæ auctor. Pragenſe Gymnaſium.

Anno 1370, Carolus filium ſuū Vuēceſlaum Cæſarē creari fecit. Alteri ſuo filio Sigiſmundo comitatū Marchiæ Brādēburgenſis, quē emerat à Ludouico Romano donauit.

Anno 1377, Vdalricus Vuirtēbergēſis comes infeliciter ante Reutlingiū vrbē pugnauit. Perierūt in eo cōflictu homines multi & præclari.

Heluetia. De Heluetijs hic auctor falſa quædam ſcripſiſſe accuſatur.

Sub hæc tempora Heluetica fœdera cœpere, & primum Lucerna, deinde Berna, poſtea Tigurum Heluetijs ſe adiunxerunt, & generoſiſsimus princeps Lupoldus Auſtriæ dux ab Heluetijs victus occubuit, anno 1385.

Cæterùm quando extant paßim rerum Helueticarum hiſtoriæ, ſuperuacaneum eſſe, exiſtimo facta eorum longa commemoratione in hoc libello recenſere.

Innocentium 6 ſequutus eſt papa Vrbanus quintus.

Quæ eo conceſſerat anno 1305.

Vrbano 5 ſucceßit papa Gregorius xi. Is Romam ex Gallia transtulit iterum pontificiam ſeßionem anno 1376.

Schiſma tempore Gregorij II.

Poſt Gregorium xi, ingens ſchiſma ortum eſt, Itali Italum pontificem Vrbanum 6 dictum creauerunt, & is Romæ manſit, Galli item elegerunt pontificem, quem Clementem ſeptimum appellarunt. Is Auenionem ſe recepit. Erat itaque diuiſa Roma, erant & pontifices duo: alter in alterum cenſuris ſæuiebat. Porrò Italia, Germania & Hungaria Vrbano Romanorũ pontifici adhæſerũt. Durauit hoc ſchiſma vſque ad Conſtantiẽſe concilium annos nouem & triginta.

## Cæſar Germanus xxxiij.

ANno 1378, poſt obitum Caroli, imperare cœdit Vuenceſlaus filius eius, & regnauit mortuo patre annis vigintiduobus. Vuenceſlaus Cæſar.

His temporibus apud Pragenſes publicè docere cœpit Ioannes Hus contra indulgentias pontificias, atque ex hac occaſione pernicioſi tumultus in Bohemia contra ſacerdotes & monachos exorti ſunt. Ioannes Hus.

Vuenceſlaus tandem à Sigiſmundo fratre ſuo captus eſt, & Viennæ in carcere ſeruatus. Alia de hoc Vuenceſlao non reperio, quæ digna exiſtimem vt conſcribantur.

## Cæſar Germanus xxxiiij.

ANno 1400, Cæſar factus eſt Rupertus Comes Palatinus Rheni. Imperio præfuit annos decem. Cæterùm cùm iam multos annos Italia abfuiſſent Cæſares, Galeaciorū potentia apud Mediolanenſes creuerat, & Florentini quoque facti opulentiores erāt, & bella gerebāt contra Mediolanēſes. Florētini opem petebāt à Ruperto Cæſare ad comprimendam potentiam Galeaciorum. Proinde adiuturus Florentinos Rupertus tranſcendit Rupertus Cæſar.

in Italiam, & cepit Galeacium. Verùenimuerò deſtitutus Rupertus Cæſar ducis Auſtriaci & epiſcopi Colonienſis præſidio, infirmior erat, q̃ vt poſſet res tantas conficere: & quanquã tentaſſet varia, tamen negocio infecto in Germaniã redire eſt coactus.

Poſt Vrbanum 6 factus eſt papa Romæ Bonifacius nonus.

Et contra hunc Auenione creatus eſt papa poſt Clemẽtem ſeptimum, Petrus Luna, dictus Benedictus 12.

Poſt Bonifacium 9 factus eſt Romæ papa Innocentius ſeptimus.

Poſt Innocentiũ ſeptimũ factus eſt Romæ papa Gregorius 12. Is promiſit ceſſurum ſe pontificatu, ſi Benedictus item cedere non recuſaret. Cæterũ fugiente Benedicto in Hiſpanias relicto Auenione, reuocauit promiſſum ſuum Gregorius de reſignando papatu. Proinde concilio Piſis habito, vterq; & Gregorius & Benedictus pontificatu ſunt depoſiti, & in locum eorũ ſuffectus eſt tertius papa Alexander quintus. Gregorius profugit Ariminũ, vbi manſit vſq; ad Conſtantienſis concilij tempora. Alexãder quintus Bononiæ egit: nã Hũgari occupata tum vrbe Roma,

incredibilem tyrannidem exercebãt, & belligerabantur cum Gallis propter Neapolin.

Poſt Alexandrũ v. factus eſt papa Bononiæ Ioannes 23. Itaque hic Ioannes vigeſimuſtertius Bononiæ, Gregorius Arimini, Benedictus in Hiſpania ſuperſtites vixerunt, vſque dum Conſtantiæ publica ſynodus cogeretur. Sunt autem tres hi pariter in eo cõcilio papatu deiecti. Schiſmatrium paparum.

Ætate Ruperti Cæſaris vixit lõgè crudeliſſimus tyrannus Tamerlanes Tartarus, qui immani deuaſtatione totum ferè Orientem & Aſiam peragrauit cum decies centenorum milium exercitu. Perſas, Armenios, Syrius depopulatus eſt. Item & minorem Aſiam inuaſit, & Turcicũ Cæſarem Paiaſetum cepit: eúmq; perinde ac auem cauea incluſum ſecum ſpectaculi & ludibrij loco circunuexit. Tamerlanes tyrannus. Paiaſetus Turcicus Cæſar.

## Cæſar Germanus XXXV.

ANno milleſimo quadringenteſimo decimo, poſt obitum Ruperti Cæſaris, Sigiſmundus imperator factus eſt. Filius fuit Caroli, quarti. Marchio Brãdemburgenſis, Hũgariæ & Bohemiæ rex imperio præfuit an- Sigiſmundus.

nos ſeptem & viginti. Sapientia, eruditione & probitate clariſſimus princeps fuit: ſtatura talis, qualis principem tantum decebat. Effigies eius graphice admodum depicta etiã hodie adhuc reperitur apud generoſum & nobilem Comitem Hoierum de Manſſeld. Ingentia bella in Hungaria geſsit cõtra Hũgaros, à quibus captus eſt. Contra Turcas ſæpius pugnauit. Cæterùm Cæſar factus omnium nationum præſidio ingentem expeditionem extruxit aduerſus Turcas, id quod infrà dicemus.

Concilium Conſtantienſe.

Initio ſui imperij Sigiſmundus in Italiam tranſcendit, ac conſultauit cum ponfice Ioanne de publico concilio cogendo, ſchiſmatis tollendi cauſa. Ipſe quoque ad Gallorũ regem profectus eſt, & eum coegit, vt in conuocanda ſynodo conſentiret. Proinde ſuffragatione papæ Ioannis, Cæſaris, ad hæc Franciæ, Hiſpaniæ, & Angliæ regum Conſtãtienſe concilium inchoatum eſt, anno 1414, ad quod Ioannes pontifex ipſe venit.

Imperator Sigiſmundus ſub natalẽ domini Conſtantiam venit, & in miſſæ ſacro tanquam Diaconus Euangeliũ cecinit, Exijt edictum à Cæſare Auguſto.

Poſtea de Ioanne Hus tractatum eſt, & damnato eius dogmate, vnà cum Hieronymo Pragenſi eſt exuſtus. Inde de ſchiſmate pacando egerunt, ac tribus pontificibus Ioanne 23, Gregorio & Benedicto papatu depoſitis, ſuffectus eſt in pontificatu Otho de Columna, qui Martinus quintus dictus eſt.

De his lege AEneam Syluiũ lib. de origine & geſtis Bohemorũ, ca. 35, 36

Porrò verò cùm pœniteret Ioannem 23, quòd vltro conſenſiſſet in abdicationem põtificatus, clam fugam meditabatur, adiuuãte eum Friderico Auſtriæ duce. Sed inter fugiẽdum retractus eſt per Cæſarianos Ioannes. Dux Auſtriæ verò ꝓſcriptus eſt à Cæſare, direptis aliquot pagis in eius ducatu: tandem ad hunc modum tranſacta controuerſia eſt: Suaſum eſt Friderico, vt vltro reſignatis in poteſtatẽ Cæſaris omnibus terris ſuis, ſupplex condemnationem criminis precaretur. Proinde clementia & humanitate imperatoris in Auſtriacum ducatum reſtitutus eſt.

At verò deſtitutus Ioannes papa Ludouico Palatino comiti ſeruandus eſt traditus. Is abduxit eum in arcẽ Manheym, non longè ab Heidelberga ciuitate: ibi triennij ſpacio ſeruatus eſt. Inde à Martino pontifice in gratiam receptus, Cardinalem egit. Itaque

pernicioſo ſchiſmate illo, quod inter pontifices erat ſublato, concordiæ atque tranquillitas Eccleſiæ eſt reſtituta, idq́; ductu & ſtudio Sigiſmundi Cæſaris, qui hoc nomine longè maximas laudes meruit.

Reliqua quæ in hoc conuentu geſta ſunt, ſuperuacaneum eſt memorare: extant enim de his omnibus integri libelli conſcripti.

Comites prouinciales Marchiæ brandemburgen.

Anno 1417, prima dominica poſt reſurrectionē Domini, donauit Sigiſmundus Cæſar laudatiſſimo principi Friderico, Burggrauio Norimbergenſi ius electiuum imperij, & prouincialem comitatum Marchiæ Brandēburgenſis in concilio: idq; ob excellentes eius virtutes, & ſummam fidem, quam in maximis quibuſq; cauſis cōficiendis erga imperiū declarat. At qui verò quàm inſignes principes, & ante adeptam electionis dignitatem, & poſtea quoq; fuerint in hoc genere Burggrauiorum, id quidem longum eſſet hic recēſere: quin & ſuprà quoq; eorum iam ſæpe facta eſt mentio. Poſtquam autem electores facti ſunt, maximis ſemper & grauiſſimis rebus imperij tractādis intenti fuerūt, quo nomine frequens admodum ipſorum mentio iam deinceps incidet. Proinde in hiſtorijs noſtro-

rum temporũ, præ alijs omnibus, Albertus Marchio prædicatur, qui ob virtutes ſuas Germanici Achillis cognomẽtum eſt adeptus. Albertus Marchio Achilles cognominatus.

Illud quoq; noſtris tẽporibus obſcurũ non eſt, Ioachimum Marchionem electorẽ Brandemburgenſem clementiſsimum principem meum, & fratrem eius Albertum Cardinalem & electorem Archiepiſcopum Moguntinum, & Magdeburgenſem, &c. eximia quadam ſapientia, & omnibus heroicis virtutibus à Deo exornatos eſſe, & idcirco in ſummis & difficilibus negocijs, non ſolũ quæ ad imperium, ſed ad vniuerſum orbem Chriſtianum pertinent, eorum operã & cõſilium præ alijs multis requiri. Neq; enim in imperijs aliter fieri poteſt, quæ quandiu cõſiſtunt, neceſſe eſt ſapientia ſummorum hominũ adminiſtrari: id quod in diuinis literis Sapientia ipſa teſtatur, Per me reges regnant.

Celebrato concilio crebræ expeditiones in Bohemiam adornatæ ſunt aduerſus ſeditioſos, & malè feriatos homines: qui poſt mortem Ioannis Hus templa pariter & monaſteria diripiebant & populabantur. Dux eorũ Ziſcha dictus erat. Ingens clades vtrinque commiſſa eſt in Bohemos & Germanos Ziſcha dux ſectæ Huſsitanæ.

Sigiſmundi expeditio cótra Turcas.

qui contra eos profecti erant, neq; tamen hoc modo ſeditionis incendium reſtinctum eſt.

Sigiſmundus, id quod ſuprà diximus, lõgè maximum exercitum ex Germanis, Burgũdionibus, Gallis, Italis, Hungaris deniq; collectum aduerſus Turcas parauit, & vſque ad Adrianopolim perduxit. Erant in hac expeditione ſummi principes, Cæſar Sigiſmundus & Philippus Burgundionum dux. Cæterùm Gallis contendentibus primum ſibi in acie locum deberi, perturbati ordines ſunt, non ſine incredibili iactura Chriſtianorum: nam victi ſunt ab hoſtibus, & Burgundionum dux captus eſt. Cæſar Sigiſmundus Conſtantinopolin profugit. Tandem multo tempore poſteà Burgundionum princeps liberatus eſt.

Sigiſmundi hiſtoria cum miniſtro quodam.

Narratur de Sigiſmundo hiſtoria admodum feſtiua. Miniſtrum familiarem habuit multis annis, in quem parum fuerat liberalis: quanquam interim munificentia, & largiendo clariſſimus erat princeps: id quod & Leonardus Aretinus ſcribit, qui viderat Sigiſmundum Cæſarem, & pontificis nomine multas coram eo cauſas egerat. Porrò accidit, vt cùm amnem eſſet ingreſſus, equus ipſius meieret, quod vbi vidiſſet mini-

ſter, qui prope antecedebat Cæſarem, per iocum inquit: Equi eãdem eſſe naturam, quam & dominus haberet. Atq; audiens hoc ipſum per occaſionem Cæſar, mirabatur, iubebatq; indicari ſibi hoc dictum. Reſpõdit miniſter: In amnem vrinam ſpargere equum, vbi iam antea aquæ abundarent: ſic & erga illos beneficum eſſe Cæſarem, quibus iam antea opes adfluerent ſatis, nec haberẽt illis admodum opus. Animaduertit imperator Sigiſmundus, perſtringi ſe modeſtè quod in miniſtrum iam veteranum nihil beneficij peculiaris, aut eximij contuliſſet, & ſubiecit: Nũquam quidem ſibi benemerendi voluntatem defuiſſe, ſed principum dona non illorum eſſe propriè qui ea merentur, ſed quibus ſint deſtinata fato. Et id re comprobaturum ſe dixit, quàm primũ ocij & quietis occaſio tantiſper daretur. Poſtea ocium nactus Cæſar, pyxides duas parari iuſsit, magnitudinis & formæ eiuſdem. In vnam aurum, in alteram plumbum ponit, pondere eodem: & miniſtro aduocato, præcepit, vt alteram pyxidem deligeret. Cõſternatus miniſter, librãdo modo hãc, modo alteram pyxidem tollit, neſciens vtram debeat potiſsimum eligere: tandem eam au-

fert pyxidẽ, quæ plumbum continebat. Quod vbi conſpexit ille, iam recluſa pyxide aiebat Cæſar: Videri palàm non ſuã voluntatẽ, ſed ipſius infortuniũ obſtitiſſe hactenus, quo minus beneficium ſit conſecutus. Teſtatur ſanè hoc factũ, prudenter conſideraſſe Cæſarẽ, felicem ſucceſſum rerum à Deo contingere.

Succeſſus fœlix à deo

Cæſar Sigiſmundus hæredẽ maſculum nõ habuit, filiam vnicã in matrimonium dedit Alberto Auſtriaco duci, qui hac occaſione Hungariæ & Bohemiæ rex factus eſt.

Albertus Auſtriacus. Concilũ Baſilieſe.

Anno Chriſti 1434 viuẽte adhuc Sigiſmundo, cõciliũ Baſilienſe cœpit. Erat enim in Cõſtantiẽſi ſynodo ſtatutũ, vt poſt annos duodecim nouum concilium cogeretur. Cæterùm vbi in fata cõceſſit Sigiſmundus põtifex Romanus celebrata Synodo primum Ferrariæ, deinde Florentiæ, impediuit ſucceſſum Baſilienſis concilij: & id fecit tanto facilius, ꝙ nemo Monarcha, aut inſignis prnceps quiſquã decretum de concilio Baſilienſi tueretur.

Mortuo Martino v. papa factus eſt Eugenius quartus. Is Romæ coronauit Sigiſmundum Cæſarem.

## Cæſar Germanus xxxvj.

ANno Chriſti 1438. poſt obitum Sigiſmũdi Cæſar creatus eſt Albertus Auſtriaci ſanguinis princeps, Hungariæ & Bohemiæ rex. Vitam finiuit ſecundo imperij ſui anno. Albertus ſecundus

Boheniæ pars Polouiæ regi adhæſit, conabaturq; regnum Bohemicum ad Polonos transferre. Ingentes copias duxerunt Poloni in Bohemiam, & pertraxerunt in ſuam factionem ſeditioſum hominum genus, Taboritas. Contra hos miſſus eſt ab Alberto Cæſare Marchio Brandemburgenſis Albertus, Is frequentibus prælijs factis effecit, vt inter Cæſarem & Polonum res componeretur.

Cæſar Albertus maximis copijs inſtructus Hungariã ingreſſus eſt, contra Turcã Amuratem, qui tum inuaſerat Hungariã per incurſionẽ. Veniente Alberto Cæſare retrofugit, & oppugnata Sinderouien vrbe, in Græciam ſe conuertit, & Theſſalonicam vrbem vicit. In hac expeditione in morbum incidit Albertus, & reductus Viennam non multos poſt dies è viuis exceſſit.

## Cæſar Germanus xxxvij.

ANno Chriſti 1440, poſt obitum Alberti deſignatus Cæſar eſt Fridericus Fridericus tertius.

tertius huius nominis, Auſtriæ dux. Imperio præfuit annos 53.

Iam verò filia Sigiſmundi Cæſaris, Alberti coniunx vterum geſtabat: ſed Hungarorũ quidã expectatione futuri hæredis regni abiecta adſciuerunt in regnũ iuniorem Poloniæ regẽ Vladiſlaum. Erat autem in Hũgaria regius gubernator Ioannes Huniades, Mathiæ pater. Is ingenti conflictu debilitauerat Turcarũ vires, coegeratq; Amuratẽ ad pacis conditiones poſcendas. At verò ſimulatq; in regnũ Vladiſlaus venit, ſperabant Hungari, ſi ipſorũ & Polonorũ vires coniungerentur, facile ſe magnã gloriã relaturos, ſi Turcã inuaderẽt. Et fortaſſe cupiditate huius gloriæ delectatus eſt ætate iuuenis rex Vladiſlaus, & idcirco ĩduciarũ leges initas cũ Turca diuulſit atq; irritas fecit Iulianus Cardinalis, hoc prætextu: Nefas eſſe concordiæ fœdera ſancire cũ Turcis, nõ cõſentiente pontifice, nimirũ cùm cauſa ea ad vniuerſum orbẽ Chriſtianũ pertineret. Itaq; collecto exercitu ꝓfectus eſt Vladiſlaus contra Amuratẽ Varnã vſq;, quæ nõ longè à Cõſtantinopoli diſtat: tãetſi interim Ioãnes Huniades modis omnibus diſſuaderet de ſuſci-

Ioannes Huniades

Vladiſlaus.

Iulianus Cardin.

piendo bello, vtpote cui ſuorũ infirmitas, & potentia Turcarũ comperta optime eſſet, & qui non ſine ſumma neceßitate pacem cum Amurate fecerat. Ferunt quoq; petijſſe Vladiſlaum ſubſidia copiarũ à Vualacho Dracole, ſed & illum ſuaſiſſe ab expeditione deſiſtendum. Interim tamen filiũ ſuum miſit cũ equitibus 2000, in ſubſidiũ regi Vladiſlao, ad quem dixiſſe fertur: donare ſe ei acrẽ, & velociſsimum equum, qualem & item filio eſſet daturus: nam cogitare ſecum fore vt ſuccumberent in prælio, ideo ad manũ habẽdos hoſce equos, vt neceßitate vrgẽte illorum celeritate periculum poſſent euadere. Porrò ꝓſpiciunt ſibi non minori ſolicitudine q̃ prudentia Turcæ, & vndiquaque ſumma opportunitate iam inſtructi ſunt prius, q̃ Hungari in ordinem collocantur. Quãquam igitur pro gloria Chriſtiani nominis fortiter pugnarent Hungari, & maximas copias hoſtiũ humi proſternerent: tamen multitudine tandem vicerunt Turcæ, cæſo Vladiſlao iuniore rege, & poſtea in fuga confoſſus Iulianus Cardinalis perijt. Huniades vt erat prudens miles, cauit ſibi loco, & elapſus eſt. Commiſſum eſt hoc prælium anno 1444, decimo die

Vladiſlaus equo donatus à Dracole

Ad Varnã clades.

Nouembris Amurates poſt adeptam hanc victoriam Mahometicus monachus factus eſt, exiſtimans poſt tantam felicitatem in profligatis hoſtibus defunctum ſe ſuo munere in imperio, ne porrò temere credens blandienti fortunæ gloriam ſuam malo aliquo cõtaminaret. Cæterùm Huniades iterũ inuaſit Turcas, & ita grauiter afflixit, vt Amuratem denuò reuocarint ad imperium, vt reſiſteret hoſti Huniadi, eũq; ex Turcia repelleret. Poſtea vbi Conſtantinopolis eſt amiſſa, Mahometem Cæſarem Turcicum infeſtiſſimum exercitum ducentem in Hungariam ingenti clade ſuperauit Huniades, & vniuerſam Europam à periculi metu liberauit. Etenim ſi ea expeditio ſucceſſiſſet Mahometi Turcarum Cæſari, iam nõ Italiam ſolùm, ſed alias quoque regiones occupaſſet.

Huniades grauiter afflixit Turcâs.

Mortuo Vladiſlao puerum Vladiſlaum hæredẽ regni ex Sigiſmundi filiæ natum regẽ receperũt Hũgari. Vladiſlaus hic ætate iã adulta in Pragenſi vrbe Bohemiæ moritur.

Anno 1444, Delphinus cum Armeniacis in Alſatiam exercitum hoſtilem duxit vſq; ad Baſileam vrbem, nõ ſine magna & horribili clade Germanorum. Sunt qui exi-

Delphinus & Armeniaci.

ſtimant ab Eugenio põtifice miſſum fuiſſe in Germaniã ad conturbandum cõcilium Baſilienſe. Habuit Delphinus virorum quinque & viginti milia. Contra hos miſerunt Heluetij ad eripiendã vrbẽ Baſileam quatuor milia. Agggreſsi ſunt hoſtes tanta virtute, vt nemo eorum ceſſerit, & quanquã ob multitudinẽ hoſtium vincere nõ potuerunt, cruentam tamen & luctuoſam victoriã reliquerunt hoſtibus. Nam amiſit in eo cõflictu Delphinus circiter decem milia, & cum iis qui reliqui manſerunt ex Germania profugere eſt coactus. Heluetiorum uirtus cõtra Delphinũ.

Anno 1449, Albertus Marchio Brandẽburgenſis bella geſsit cõtra imperij vrbes, Norimbergam & alias pleraſque ciuitates. Vrbium bellum hoc dictum eſt. Vtrinque multi principes ſe adiunxerunt, durauitq́; hoc bellum biennij ſpacio. Marchio Albertus octo pugnis proſtrauit Norimbergenſes. Vrbium bellum.

Anno 1452, Fridericus imperator Italiã ingreſſus eſt, & celebri apud omnes honore exceptus, in Senẽſi vrbe cum ſpõſa ſua Leonora regis Portugaliæ filia nuptias perfecit. Romam veniens à Nicolao 5, ſummo pontifice, vnà cum regina cõiuge coronatus eſt, die

decimooctauo Martij. Regreſſus Roma Ferrariæ Borſium Eſtenſem ducem creauit. Inde Venetias traiecit, ibiq; dec ē dies eſt commoratus. Ipſe ex magni n·minis viro audiui, narratū ſibi à prin:ipe Venetorum, qui Senator olim Venetijs menſæ accumbentibus Friderico Cæſare & principe Venetorū, miniſtrarat, dixiſſe Fridericum inter epulas, ſe quidem Venetorum amicum fore perpetuò, ſed à poſteris magnas ipſis adflictiones & incommoda imminere.

## Conſtātinopolis à Turcis victa.

ANno 1453, die Maij 29, poſt diutinam obſidionem, grauiſſima tandem oppugnatione potitus eſt Mahometes Turcarum imperator vrbe Conſtantinopoli: in eaq; tantam crudelitatem exercuit, vt nulla id queat oratione explicari. Cæſar Conſtantinus inter fugiendum, ꝓpe portam vrbis trucidatus eſt: eius amputatū caput cuſpidi infixum circūferri per vrbem voluit Turca, iuſſit & crucifixi Chriſti imaginem erigi in vrbe, & ſuperinſcribi: Is Chriſtianorū Deus eſt. Præcepit autem is ſtercoribus proiectis, ignominiæ cauſa, conſpurcari. Cæſaris coniunx, & filiæ

Cæſar Cōſtantinus. Turcarū inſignis crudelitas, occupata Conſtantinopoli.

vnà cum alijs honeſtioribus matronis, in cõuiuium pertractæ ſunt, atq; ibi primum cõſtupratæ, poſtea fruſtulatim diſſectæ ſunt. Exẽpla hæc, & alia id genus crudeliſsima facinora Turcarum exuſcitare meritò deberent animos noſtros, vt ſerio ageremus contra eos hoſtes, quos nõ tyrannos, ſed immanes beſtias potius poſsis appellare. Turcæ beſtiæ nõ tyranni.

Anno 1461, epiſcopatu deiecit papa Dietericum Iſemburgenſem, & [in] eius locũ ſuffectus eſt epiſcopus Adolfus de Naſſau. Occaſionem præbuit hic euentus maximorum bellorũ in imperio. Fridericus Palatinus tuẽdum & ſeruandum ſuſcepit Epiſcopum Dietericum. Aduerſus hunc concitauit Cæſar Vuirtembergenſem & Badenſem comites, & Moguntinenſem epiſcopum. Hi dum populantur terram Palatini, capti ſunt à Friderico Palatino ſub annum 1462.

Eodem anno contrà, Adolphus epiſcopus vrbem Moguntiam ſubegit.

Anno 1463, Viennæ in arce Fridericus Cæſar à ciuibus ſuis grauiſsima obſidione preſſus eſt, & eius rei auctor fuerat Albertus frater Cæſaris: ſed Georgius rex Bohemiæ liberauit Fridericum repulſis ciuibus.

Carolus Burgúdionum princeps.

*Anno 1474, Carolus Burgundionum princeps Nuſsiam vrbem obſedit toto anno, idq; propter profligatum à Canonicis capitularibus Colonienſibus epiſcopũ Colonienſem Rupertum, quẽ reſtitutum volebat dux Carolus. Cæterùm dũ molitur Carolus diœceſin Colonienſem alienare ab imperio & ad ſeſe transferre, armat contra eum exercitum Cæſar. Belli dux erat Albertus Marchio Brandẽburgenſis, & imperij vexillifer Albertus Saxoniæ dux. Tandem vbi varie de tranſigenda cõtrouerſia diſceptatum eſt, ceſſit Carolus, &c. tum dicitur primum de tradenda in matrimonium Maximiliano Caroli filia tractatum eſſe.*

Nuſcia.

*Anno 1477, Carolus Burgundiæ dux vincitur ꝓpe Nanſen vrbem à Lotharingicis & Heluetiis. Nã Lotharingiæ duci Nanſen eripuerat Carolus. & in Heluetia Granſen ciuitatẽ, et oppidula alia occuparat, præterea & in Grãſen oppido quingẽtos & duodecim numero Germanos laqueo iuſſerat ſtrãgulari*

*Mortuo Carolo Galli conabãtur Flandriam & Brabãtiam ſuo regno addere, & peperit bella ingentia hæc ambitio Gallorũ. Cæterùm nolentibus Burgundis alienari du-*

catu à filia Caroli, conſultatum eſt de deſpõdenda filia Caroli Maximiliano Friderici Cæſaris filio.

Itaq; anno 1477, profectus eſt Maximilianus, probè inſtructus in Brabantiam, accepitq; Mariam Caroli filiam in matrimonium: vnde factum eſt, vt auxerit nõ mediocriter gloriam Auſtriaci nominis, & multas præclaras res fecerit Maximilianus, ad tuendas eas terras aduerſus impetum Gallorum. Maximilianus.

Anno 1486, Maximilianus Cæſar creatus eſt Aquiſgrani: coronatur decimo die Aprilis. Dum Cæſar Francofordiæ eligitur, mortuus ibi eſt Albertus Marchio Brãdẽburgẽſis, cui & ſapiẽtis principis, & ſtrenuiſſimi militis gloriã tribuunt etiã hiſtorici Italici.

Anno 1487, clanculario aſtu Gallorum capitur Maximilianus, à ciuibus ſubditis ſuis Bruggis Flandriæ. Cæterùm dum ſubſidio totius imperij inſtructus Fridericus Cæſar deſcendit in inferiorẽ Germaniam, dimiſſus liber rex Maximilianus à Bruggenſibus. Maximilianus Bruggis captus.

Anno 1490, hæreditarias terras ſuas ducatus Auſtriaci, occupatas ab Hungarorum rege Mathia iã mortuo repetijt & poſſedit.

Anno 1493, Imperator Fridericus ter-

tius è viuis ſublatus eſt, in oppido Lyntz, & Viennæ ſepultus. Eodem hoc anno Turcæ incurſionem fecerunt in Croaciam, ſed à Maximiliano, qui tum in Auſtria erat, exercitu quindecim milium inſtructo, repulſi ſunt.

**Nicolaus 5. fautor doctorum.** Eugenio quarto mortuo, ſucceſſit papa Nicolaus quintus. Ab hoc coronatus eſt Fridericus Cæſar, & ſumma liberalitate fouit nō ſolùm eruditos Italiæ, ſed & eos qui Conſtātinopoli profugerāt Romam, Gazā nimirū, Trapezuntium, Argyropylos, quorū opera omnes meliores artes renouatæ ſunt & redditæ emendatiores.

Poſt Nicolaum 5 factus eſt papa Calliſtus tertius.

**AEneas Syluius.** Calliſto 3 ſucceſſit papa Pius 2, antea AEneas Syluius dictus. Erat Friderici Cæſaris Cancellarius. Ingentes copias coegit ex omnibus terris aduerſus Turcas: ſed dum coeunt exercitus vndique, moritur, & re infecta exercitus collectus dimittitur.

Poſt Pium 2 factus eſt papa Paulus 2. Poſt Paulū 2 factus eſt papa Xyſtus 4. Huius tēporibus anno 1480, Mahometes Turcicus Cæſar Hydruntum in Italia obſedit, & potitus eſt, incredibili ibi tyrannide perpetra-

ta. Terror tantus Italiæ incuſſus erat, vt Xyſtus pontifex iam fugam in Galliam adornaret. Sed eodē tempore quo capitur Hydruntum, moritur Mahometes, idq́; fato quodā, ne latius Italiam peragraret. Porrò interea dū hæc geruntur, belligeratur Alfonſus rex Neapolitanus cum Senenſibus: ſed nūcio de Hydrunto allato ꝓperat redire in regnum ſuum, atq; obſeſſum Hydruntū eripit ex manibus Turcarum. Nam mortuo Mahomete, & iam ꝓperantibus domum redire Turcis, ne quod diſsidium oriretur in regno ipſorum, facile obtinuit vrbem Alfonſus, profligatis ex Italia Turcis. Alfonſus rex Neapolitanus

Poſt Xyſtum 4 factus eſt papa Innocētius octauus.

Poſt Innocentium factus eſt papa Alexander 6. Is filium habuit ducem Valentinum, quem principem Vrbinatē fecit. Illius hoc dictum erat: O Cæſar, ô nullo, i. Aut Cæſar, aut nihil. Tandem nihil factus eſt. Nam ꝓpter varias technas ſuas, quæ ſummo cum dolo coniunctæ erant, eſt trucidatus. Principis Vrbinatis dictum.

Initium artis imprimendorum librorum typis æneis ponunt ſub Friderico 3, & hanc ipſam artē excudendi libros Moguntiæ pri- Ars typographica.

Ars tormentaria. mum repertam ferunt anno 1404.

*Ars tormentorum bellicorum multo vetuſtior eſt, & eam item in Germania excogitatam putant anno 1380.*

## Cæſar Germanus xxxviij.

Maximilianus. ANno Chriſti 1494 imperiũ ſuum Maximilianus auſpicatus eſt defuncto patre, quod cum viuente adhuc ſimul adminiſtrarat annos octo. Cæterùm poſt obitum patris regnauit annos 25. Auſpicia imperij quanquã humilia & infirma fuerunt, tamẽ ceſſere poſtea ad ſummam gloriam & incrementum regni Germanorum.

Carolus Gibboſus. In initio imperij Maximiliani Carolus Gibboſus exercitum in Italiã perduxit, & Neapolin cepit. Cæterùm poſt reditũ ſuum in Galliã anno ſequẽti, Neapoli iterum potitus eſt Ferdinãdus iunior, pfligatis Gallis ex Italia auxilio Maximiliani, quos præſidij loco reliquerat Gallorũ rex apud Neapolitanos.

Geſſit Maximilianus multa & ingentia bella. Brimum in inferiori Germania, Flãdria & Brabãtia: in quibus ipſe ſua manu dicitur multa præclara facinora patrauiſſe, quorum ego audiui pleraq;, ſed penitus ex-

plorata nõ habeo. Atq; vtinam cõtingeret aliquãdo quiſpiam peritus tãtarum rerum, qui eas omnes hiſtorias in gloriam tãti principis, iuſto volumine deſcriberet, ac ꝓ dignitate fortitudinem atq; virtutes tam ſtrenui imperatoris in rebus gerendis, orbi commendaret. Ipſe audiui ex Pyrcamero Norimbergenſi, à Maximiliano ipſo ares geſtas ſuas aliquot annorum adnotatas. Dixit enim nauigaſſe ſe vnà cum Cæſare Maximiliano à Lynda vrbe Cõſtantiam vſq;: & cum iam inter nauigãdum ocium eſſet nactus Maximilianus, vocaſſe ad ſe ſcribam, eiq́; dictaſſe Latine vnius anni res geſtas, & aptiſsimo ordine, & omnium circunſtantiarum, atque occaſionum explicatione. Cæterùm cùm exiſtimaſſet Pyrcamerus ſecreti aliquid fortè excepturum ſcribam, ideóque ſecedere vellet, iuſsiſſe tum Cæſarem, vt maneret & auſcultaret. Quin & ſub veſperam ea quæ dictauerat legenda præbuiſſe Pyrcamero, quæſiſſéque, nunquid placeret iſta militaris latinitatis dictio? & addidiſſe quoque: Studio ſibi eſſe iſta compendioſè, & clarè ſic comprehendere, vt poſtea eruditis viris liceret eas hiſtorias tanto exactius per circun-

Pyrcemerus.

ſtantias & cauſas ſuas explicare. Et adfirmauit Pyrcamerus, nullius Germanici hiſtorici ſcripta ſtilo tam puro eſſe edita, atque ea fuiſſet Maximiliani oratio. Et has ipſas annotationes adfectaſſe ſe poſt obitum Maximiliani, verùm conſequi non potuiſſe.

Sed hæc de inferioris Germaniæ rebus geſtis dixiſſe ſatis ſit.

Vuirtē-bergenſis ducatus quãdo cœperit.

Anno 1495, in Comitijs Vuormacianis ex Comitatu Vuirtēbergēſi ducatus factus eſt, & Comes Ebrardus primus dux creatus eſt.

Anno 1499, Heluetij cōtra vicinos ſuos Auſtriacos arma mouerunt, ad quos eripiēdos ſubito properauit Maximilianus ex Gueldria, vbi tum quoq; ei res erat. Porrò multis vtrinque leuioribus prælijs commiſſis, cōſtat circiter 20 milia virorum conſidiſſe: tandem per tranſactionem res eſt compoſita.

Imagines crucis uiſæ.

Anno 1501, crucis imagines veſtibus hominū in Germania inciderūt paſſim. Verùm ſimile quiddã iam ſæpe antea factum erat.

Bauaricū bellum.

Anno 1504, Bauaricū bellū fuit, in quo Cæſar Maximilianus Bauariæ principes aduerſus Philippum Palatinum Comitem Rheni, & ducem Rupertum filium Philippi Palatini tuebatur. Is enim Georgij ducis Baua-

rici filia ducta, Landshut, & eam ipſam Bauariæ partẽ hæreditario titulo trãſſcribendã ſibi affectabat. Sed Rupertus vnà cũ ſua cõiuge è viuis ſublatus eſt, dũ geritur hoc bellum, & Palatinuus magna parte ſui principatus exutus eſt per Cæſarianos & Vuirtembergenſes. Quin & ingẽtes copiæ Bohemorum, qui in auxilium venerant Palatino, proſtratæ ſunt à Cæſare, Tandem verò vſus Maximilianus nõ minori prudẽtia, q̃ manſuetudine, in gratiã recepit Palatinũ, ne qua perturbatio receptæ iam diu cõſtitutionis de iure electiuo in imperio exoriretur.

Anno 1505, obſedit Cæſaris exercitus Gueldriæ ducem in oppido Arnheym, eúmq; vt ſeſe dederet, ſubegit.

Anno 1506, Philippus Maximiliani filius Hiſpaniarum rex, & dux Burgundiæ in fata conceßit, anno ætatis ſuæ vigeſimo octauo.

Philippus Maximiliani filius

Anno 1507, non minus ingens, q̃ diuturnum bellũ cepit Maximilianus aduerſus Venetis, in quo & plurima cruenta prælia, & mirabiles mutationes acciderunt. Rex Gallorum Ludouicus primũ à Venetis ſtabat, poſtea ad Cæſarem defecit. Contrà Iulius papa primum Cæſaris, deinde Venetorum partes

Ludouicus rex Gallorum

eſt ſecutus. Amiſerunt in hoc bello Veneti præſtantiſſimas ſuas vrbes Veronam, Paduam, Teruas, & alias multas. Porrò cùm defeciſſet pontifex ad Venetos, cõtra eũ quoque arma mouere cœpit rex Franciæ, cũ iam vteretur adhuc Cæſarianis militibus in Italia. Iam vero timebat Cæſar, ſi victoria potirentur Galli, ne Neapolim quoque inuaderent, & fortaſſe Romæ etiam machinarentur aliquid in perniciem imperij. Miſit itaque Cærdinalem Saltzburgẽſem Matthæũ Langium conſiliarium ſuum, pacis poſcendæ cauſa ad Iulium pontificem, priuſquam inter ſe confligerent pontifex & Gallus. Iulius vt qui Hiſpanorum & Italorum præſidio inſtructiſſimus eſſet, exiſtimabat victoriæ ſpẽ certiſſimam eſſe, ideoque pacis conditiones ſuſcipere recuſauit. Prælium commiſſum eſt in Paſchatis die, anno 1512, prope Rauennã vrbem, Pontificis exercitus ſuccubuit, & cõciderunt in eo conflictu virorum ſexdecim milia. Neq; vero legitur vllã aliam pugnã ſub hæc tẽpora fuiſſe perinde grauẽ, in qua vtrinque tãtis viribus ſit certatum. Tum vero poſt amiſſam victoriam vltro exoptauit Iulius cum Maximiliano inire cõcordiæ fœdera. Cæ

Iulius papa prælio uictus ad Rauennã urbem in die Baſcatis.

terum,ne quid tentaret amplius in Italia rex Gallorum,concitauerunt aduerſus eum Maximilianus & pontifex Angliæ regem,Germaniã & Heluetiã , atque ita demum coactus eſt Gallus deſerere Italiam. Poſtea Veneti quoque Maximiliano reconciliati ſunt.

Anno 1519 obiit Maximilianus Cæſar, & eodẽ anno principes Electores, Albertus Cardinalis epiſcopus Moguntinus, Marchio Brandemburgenſis, Hermannus Colonienſis epiſcopus, Comes de Vuida, Richardus Treuerenſis epiſcopus de Greffenclau, legatus Ludouici Bohemorũ regis, Ludouicus Palatinus Comes Rheni, Fridericus Saxoniæ dux, Ioachimus Marchio Brãdẽburgenſis, Frãcofordiæ elegerunt legitimis ſuffragijs, & magna prudentia, Carolum Auſtriæ & Burgundiæ principem & Hiſpaniæ regem die 28 Iunij.

Poſt Alexãdrum 6 factus eſt papa Pius 3. Is intra breue tempus è viuis exceſſit.

Poſt Pium 3 factus eſt papa Iulius ſecundus. Aduerſus hunc edita ſcripta ſunt per Bernhardinũ Cardinalẽ in bello Veneto, de celebrãdo Cõcilio. Res ꝓpemodũ ſchiſmatis occaſionẽ præbuiſſet, niſi ſingulari prudentia ſua id anteuortiſſet Cæſar Maximilianus.

*Poſt Iulium ſecundum factus eſt papa Leo 10, Laurentij Medicis filius.*

**Martinus Lutherus** *Temporibus Leonis anno 1517, Martinus Lutherus primum aduerſus indulgentias pontificias ſcripſit, & inde plures poſtea diſputationes natæ ſunt, quæ res non vulgarem ~~vicißitudinem~~ peperit in Eccleſia apud Germanos.* ſimultatem

## Cæſar Germanicus xxxix.

**Carolus 5.** ANno 1519, Cæſar electus eſt Carolus quintus, D. Maximiliani nepos, Hiſpaniæ rex, princeps Auſtriæ & Burgundiæ. Miſſus eſt ab Electoribus ad nunciandam hanc electionẽ Carolo Palatinus Comes Fridericus in Hiſpanias. Itaque ſequenti ſtatim anno appulit in Germaniã Carolus, & imperiali corona Aquiſgrani exornatus eſt.

**Franciſcus Gallorum rex captus.** Anno 1525, Franciſcus Gallorũ rex apud Pauiam in Longobardia à Cæſarianis militibus in conflictu captus eſt, & poſtea in Hiſpanias perductus. Incredibili planè clementia & moderatione animi in tanto ſucceſſu victoriæ vſus eſt Carolus. Nam Galliæ regẽ captum non modò dimiſſum reſtituit in regnum, ſed affinitate etiam ſibi deuinxit, tradita

dita

dita ei ſorore Leonora in matrimoniū Duces prælij de quo modò diximus, fuere Nicolaus Comes Salmenſis, Georgius Fronſbergius Eques, Marcus Sittich, dux Burbonenſis, Marchio Picqueramus.

Eodem hoc anno in Germania horribiles, & antea nunquam auditi motus à ſeruis ruſticis in Alſatia, Sueuia, Francia, Thuringia, & in illis terris quæ ad Rhenū ſitæ ſunt. excitabantur. Motus hi magna vi & armis principum ſunt repreßi, adeò vt intra menſes ferè tres ſupra centena milia ruſticorum conciderint in conflictu, non aliter atque pecora trucidati. Porrò Schaplerus quidam cognomento dictus, duodecim articulos cōſcripſerat de libertate Chriſtiana. Inter eos vel hic erat præcipuus, Tributa non eſſe pendenda Magiſtratui. Ex hac doctrina, ſpe libertatis acquirendæ, maxima pars ruſticorū accenſa, dicitur arma cepiſſe aduerſus legitimos Magiſtratus. In Mulhauſen Thuringiæ oppido concionator eccleſiaſticus erat Thomas Monetarius dictus. Is palàm docuit reſtauraturum ſe collapſum Eccleſiæ ſtatum, gloriabaturq; priuatim ſibi à Deo reuelationes fieri: & ad euertendā tyrannidē impiorū, gla-

Bellum ruſticanum.

Schaplerus.

Thomas Monetarius.

dium Gedeonis ſibi commiſſum eſſe. Eduxit turmatim cohortes vulgi, iußitq; nobiliũ domos diripi, & monaſteriorum bona cõpilari. Cæterum dum deprædantur paßim plebeiæ copiæ ſine ordine, deleuerunt eas Saxoniæ princeps & Landgrauius Heſſorũ. Monetarius & ſociorũ eius plerique capti ſunt, & capite truncati, pœnas impij ſui instituti dederũt. Monetarius hic primus auctor extitit phanatici illius erroris Anabaptiſtarum, qui etiamnum paßim turbas exuſcitat in Germania. In hoc verſiculo vtriuſq; temporis, & de Francorũ rege capto, & de ſtrage ruſticorum, ratio comprehenſa eſt.

Captus erat Gallus, coeunt cum rure cohortes.

Ioannes OEcolã. Huldrichus Zuinglius.

Anno 1525, Ioannes OEcolãpadius Basileæ, & Huldrichus Zuinglius primũ omnium ſcriptis libellis damnatum Berengarij errorem renouarunt, in participatione cœnæ dominicæ non diſtribui verũ corpus & ſanguinẽ Chriſti. Tametſi anno ſuperiori idem hoc odioſum argumentũ, inſanus homo Andreas Caroloſtadius, iam anteà propoſuerat.

Andreas Caroloſtadius.

Anno 1526 à Solymanno Turca cæſus eſt Hungarorum rex, Ludouicus.

*Anno 1527, à duce Burbonenſi Cæſari anus exercitus Romã perductus eſt. Vrbs obſeſſa & capta eſt, & direpta præterea. Pontifex obſidionis neceſsitate coactus in Angelica arce captum ſe dedidit Cæſarianis, ſed eum pro ſingulari clementia ſua liberum dimiſit Cæſar, ac priſtinæ dignitati reſtituit, vt Chriſtiani orbis publicæ tranquillitati conſuleret. Annorum numerus in hoc diſticho eſt,* Roma capta à Burbo.

*Altera poſt captos Gallos, populiſque furores,*
*AEſtas te capta Roma cruenta fuit.*

*Anno 1529, Carolus in Italiam profectus eſt, & ſummis honoribus à principibus, & ciuitatibus omnibus exceptus eſt.*

*Eodẽ hoc anno menſe Octobri Turcicus Imperator Solymãnus cẽtena milia & circiter quadraginta milia in Germaniã perduxit, id quod ipſos poſtea gloriatos eſſe in Cracouienſi vrbe compertum eſt. Ac per aliquot ſeptimanas Viennam Auſtriæ vrbem obſedit, eámq; grauiter oppugnauit. Sed Palatinus Comes Fridericus dux militũ ab imperio deſignatus, magna celeritate collectum exercitũ miſerat Viennã, iam ante triduum quam vrbs obſideretur à Turcis. Aderat bis* Solymannus Viennã exercitu obſedit

in vrbe Vienna Palatinus Comes Philippus. Proinde benigno fauore Dei ſic eſt fortiſſimè defenſa vrbs Vienna, vt tyrannus Turcarum cum ſummo probro, & cum maxima clade ſui exercitus recedere coactus ſit. Inter nuncius Polonorum dixiſſe fertur, circiter octoginta milia Turcarum in oppugnatione vrbis Viēnæ deleta eſſe, partem etiam in fuga commeatus inopia, & magnitudine frigorum periiſſe. Obſidionis annū ex his verſiculis deprehendes,

Cæſar in Italiam quo venit Carolus anno,
Cincta eſt Riphæis noſtra Viēna Getis.

Carolus Bononiæ à papa coronatus.

Anno 1530, 22 Februarij die, Carolus Cæſar Bononiæ à Clemēte pontifice imperij inſignia accepit, ſolenni quadam magnificentia & apparatu.

Comitia Auguſtana.

Poſtea in Germaniam reuerſus eſt, & pridie corporis Chriſti Auguſtam venit, vbi comitiorū dies dicturus erat. Venerant eò potiſſimi principes Germaniæ, à quibus ſumma veneratione exceptus eſt Carolus imperator. Quanquam verò variè tentaret Cæſar controuerſias in religionis cauſa componere, & in tranquillitatem reſtituere, nihil certi tamen vel effici, vel conſtitui potuit in tanta

diuerſitate ſententiarum. Tandem vulgato edicto mãdauit veteres ritus ceremoniarum, & doctrinam vſitatam in Eccleſia Romana retinendam eſſe.

Eodem anno, die Octobris octauo, ingens & nulla memoria hominum viſa exundatio facta eſt Romæ, eáque circa viginti quatuor horas perdurauit: atque hac ipſa exundatione in Floræ campo ad longiſsimæ haſtæ altitudinem ſtante, multa ædificia, muri, domus, bona denique corrumpebantur. Exũdatio Romæ.

Leone x. mortuo, factus eſt papa Adrianus Germanus natione, & oriundus ex Traiecto vrbe.

Poſt Adrianum electus eſt papa Clemens vij. Is à Cæſaris exercitu captus eſt Romæ, ꝓpter fœdus initũ cum Gallorum rege, cui & præſidia miſerat contra imperatorem. Sed hanc ipſam iniuriam ſumma lenitate diſsimulauit optimus Cæſar, & ne qua occaſio grauioris diſsidij in orbe Chriſtiano exoriretur, liberum dimiſit pontificem Clementem ſeptimum, à quo poſtea coronatus eſt Bononiæ. Clemens 7 captus.

Cæſar Germanus xl.

Ferdinandus Hunga. rex.

ANno 1530, Ferdinandus Hungariæ & Bohemorũ rex, archidux Auſtriæ &c. Cæſaris Caroli frater, Romanorũ rex creatus eſt, idq́; veterum imperatorum exemplo, qui alios ſibi cooptare ſolebant, vt certũ ſucceſſorem haberet imperium, & mortuo altero, ne quod diſsidium, vel belli occaſio ſuboriretur inter imperij principes. Electio hæc facta eſt Coloniæ anno 1530.

Anno 1531, rex Ferdinandus, poſt electionem factam, Aquiſgrani coronatus eſt, mẽſe Ianuario.

Cometa viſus.

Eodem anno Cometes in Germania, Italia & Gallia viſus eſt, circiter ſextum diem Auguſti, & primum aliquot diebus mane ante ortum Solis apparuit, inde ſecutus eſt Solem, & ſub veſperum poſt occaſum Solis, circiter tres ſeptimanas viſus eſt, vſque ad tertium diem Septembris. Curſus eius fuit per Cancrum, Leonem, Virginẽ & Librã, vbi deſiit videri, neq; apparuit amplius poſtea.

Heluetiorũ bellum inter ſe. De hac clade fal-

Non multo poſt in Octob. exortum apud Heluetios bellum eſt. Nam à Tigurinis obſeſſa itinera erant, ne vicinis eorum Zugianis, Vrianis, Suicianis, Syluianis, & Lucernenſibus frumenta, ſalem, alióſque commea-

tus quis poſſet apportare. Proinde hi arma ceperunt aduerſus Tigurinos. Concurſum eſt infeſtis ſignis & tribus prælijs victi Tigurini ſuccubuerunt. In primo conflictu cõcionator eccleſiaſticus Tigurinorum Huldrychus Zuinglius cæſus eſt. Interea ſedulo conati ſunt vicini eorum Argentinenſes & Cõſtantiani, exuſcitatam tragœdiam inter confœderatos componere. Itaq; poſt menſes octo & ſeptimanas ſex tumultus conſiluit, Tigurinorum perierunt circiter quinque milia, ab altera parte numero pauci. Annorum ratio in hoc diſticho eſt:

ſa quædã tradidiſſe hic author accuſatur.

Occubuit patrio bellator Zuinglius enſe
Et preſſa eſt armis gens populoſa ſuis.

Anno 1532, Carolus Cæſar ex Brabantia in ſuperiorem Germaniam redijt, & menſe Martio vnà cum fratre ſuo rege Ferdinando Ratiſbonam venit, Comitiorum agendorum cauſa. Venerunt eò miſsi ex vrbibus imperialibus Legati. Aderant & principũ plerique, aut ſaltem eorum Legati. Tractatũ magno omnium conſenſu eſt, de præſidio mittẽdo aduerſus Turcarum irruptionem. Et vt certatim auxilia poſſent parari, ab omnibus ordinibus imperij, vltro conſenſit Cæſar,

Ratiſbonæ habita Comitia.

vt pacis legibus conſtitutis diſceptatio cõtrouerſiæ religionis prorogaretur. In hac pace facienda egerunt ex mandato Cæſaris, Epiſcopus Moguntinus Albertus, Comes Palatinus Rheni Ludouicus, electores, cũ Ioanne Friderico Saxoniæ duce, qui à patre ſuo principe Saxoniæ Ioãne electore miſſus erat: & cũ Legatis Philippi Landgrauij Heſſorũ, & cum iis qui electori Saxoniæ, & principi Heſſorũ obnoxij & cõiurati erant. Cõuentũ celebrarunt, primo Sueinfordiæ, deinde Norimbergæ. Neque verò vel ſtudium, vel voluntatẽ deſiderare potuiſſes in tribus his principibus, Cardinale, epiſcopo, Palatino, & Ioanne Friderico Saxoniæ duce ad ſtabilem quandam concordiam faciendam in totius orbis Chriſtiani commodum. Tandem verò induciarum tempus permiſit imperator vſq; ad futurum concilium: vel ſi hoc non cogeretur, ad futura comitia, in quibus de controuerſia religionis ageretur. Porrò in eodẽ hoc anno menſe Iunio, ipſo die Ioannis Baptiſtæ, Turcarum Cæſar Solimannus in Hungariã irrupit, & iuxta Bellogradũ in terram deſcendit, copijs ducentorũ milium inſtructus, & nihil quicquam tentans in Auſtriã, per-

Solymãni altera irruptio in Germaniã

rexit vſque in Auguſtum. Tum verò oppidulum Guns appellatū, in ipſis finibus Hūgariæ ſitum, ſupra dies viginti obſedit, & grauiſsimis oppugnationibus inuaſit, ſed fruſtra. Nam poſtquam tredecies oppugnaſſet, veluti fractus viribus diſceſsit, ſed hac lege, ſi Dominus Nicolaus Iuriſchitz Hungarus, qui præerat oppidulo ſeſe prius dederet: tum enim oppidulum incolume, & omnes ciues ſaluos fore. Id verò vltro fecit Hūgarus, vt vita & ſalus miſerorum hominum in periculum non veniret.

Guns tredecies oppugnata à Turcis.

Cæterùm vbi Romanorum imperator Carolus quintus Turcicæ expeditionis acceſſum certo cognouit, grauiſsimo mādato edito præcepit, vt principes Germaniæ, & omnes imperij ordines, quanto poſſent exercitu, Auſtriam peterent, id quod factum eſt. At verò quantas quiſque princeps copias adduxerit, id certo compertum adhuc non habemus. Illuſtriſsimus princeps Marchio Ioachimus iunior Brandemburgenſis, clemētiſsimus princeps meus, vt qui dux erat conſtitutus inferioris Saxonici circuli, 1100 equites, & 4000 pedites Cæſari adduxit, & x. die Auguſti Berlino egreſſus eſt. Chriſtus opti-

Ioachimus iunior Marchio Brādemburgenſis

mo principi, atque adeò Chriſtianis omnibus victoriam donet, & celſitudinem eius feliciter reducat.

Ipſo die quum exercitum educeret Ioachimus Marchio, implumes gallinacei pulli, vix ante biduum ouis excluſi, totũ diem, & ſequentem noctem clara voce cecinerunt. Et quia id præter morem, fato quodam factum videtur, pro omine felicioris ſucceſſus eſt iudicatum, deſcripſit id Georgius Sabinus his verſibus:

Cum patris educens Ioachimus Marchio turmas,
Caſtra profecturis ſignáq; mouit equis:
Auſpice qui contra pharetratos Cæſare Turcas
Acria pro Chriſti nomine bella gerit:
Ingrediente viam cantantes principe pulli
Inſolitum liquida voce dedere ſonum,
Præpete qui nondum veſtiti corpore penna,
Ante duos ſed adhuc oua fuere dies.
Hæc bona felicẽ portẽdunt ſigna triũphum:
Augurijs fauſtum talibus omen ineſt.
Nã cũ Thebanis victi Lacedæmones armis,
Sanguine fecerunt Leuctra cruenta ſuo,
Martis aues, læto victoribus omine Galli

*Proſpera vocali gutture ſigna dabant.*

*Imperator ipſe ex Italia quoque vocauerat in Auſtriam Italorum & Hiſpanorum viginti milia, quorum dux fuit Antonius de Leua cognominatus, prudentia & peritia rei militaris vir valde inſignis. Italici principes ſua etiam præſidia miſerũt, quibus præfectus dux erat Mantuanus princeps.*

Anton. de Leua.

Dux mãtuanus.

*Præter hoc & in mari diſpoſita erant ab imperatore præſidia milium quinquaginta, qui nauigio terras Turcicas inuaderent, atq; ita demum vtriuſque imperij in Oriente & Occidente, ſumma poteſtas maximis contra ſe viribus armatur. Certè iã inde poſt lapſum Romani imperij Conſtantino Magno mortuo nũquã copiæ maiores cõgreßæ ſunt, adeò vt ad perpetuam quandam mutationem rerum ſpectare euẽtus videatur. Deus det Chriſtianis, atque adeò clementißimo noſtro Cæſari victoriam. Equidem ſpero impietatem Turcarum, quæ cum ſumma tyrannide coniuncta eſt, non modò vltionem ſui, ſed & euerſionem regni Turcici breui eſſe allaturã, & id etiam fore multa videntur indicia cõprobare. Ego ſaltem hic nõ contẽnenda quædam præſagia, quæ cognita ſunt auctoribus*

*magnis, cõmemorabo obiter, & interim liberum vnicuique permitto quid de illis velit iudicare. Neq; alia de cauſa putaui adijciẽda hic eſſe, niſi vt eorũ ſaltẽ aliqua recordatio extaret: vidẽtur enim ſententiæ tales eſſe, quæ negligi aut contẽni prorſus non debent.*

Vaticinia de reparãda Conſtãtinopoli, & delendis Turcis in Europa.

*Non diu ante occupatam à Turcis Conſtãtinopolin fuiſſe legi monachum quendã, non longe ab vrbe Conſtãtinopoli, & eum vaticinatum, potituros quidem Turcas Cõſtantinopoli, & euerſuros regnũ Græcorum: verùm ſtatim poſt annos octoginta amiſſuros eſſe Conſtantinopolin iterum, & delendos Turcas in Europa. Id verò tempus iam in proximo anno completum eſt, ex quo Conſtantinopolin Turcæ ceperunt.*

*Quin & peritiſsimus quidam Aſtrologus apud Neapolitanos, Laurentius Miniatenſis, Pontani præceptor, ante annos 60, in 3 libro ſuo hos verſus ſcripſit, de Iouis & Saturni coniunctione in cancro: quam ille futuram dicit, & fuit anno iam exacto milleſimo quingenteſimo quarto.*

*Illa autem noſtris iãiam ventura ſub annis*<br>
*Eſt melior, noſtræ legis vix pauca refringet*<br>
*Aſpera quæ nim ũ ſacris & dura ferendis:*

Et genus omne mali tollet, põpasq; ſacrorũ,
Ac regẽ dabit innocuũ,qui terminet orbẽ:
Et reget imperio populos,gẽtemq; rebellem
Imperio ſubdet,toti & dominabitur orbi.

Obſeruatione digniſsimi ſunt hi verſus, & ego ob gloriã clariſsimi Cæſaris eos nolui prætermittere. Etenim quæ laus eſſe eminentior poteſt in Cæſare,quàm quod vocat eum, regem innocuum, quemadmodũ & à Lichtebergio honeſtiſsimè dictum eſt:

Pudicus facie regnabit vbique.

Madgeburgi iam ante annos centũ, Latina Chronica ſcripta reperiuntur, in quibus hæc verba ſunt. Ex ſanguine Caroli Cæſaris & regum Galliæ imperator orietur Carolus dictus: dominabitur is in tota Europa, per quem & eccleſiæ collapſus ſtatus reformabitur, & vetus imperij gloria reſtituetur. Nam veniet populus,qui dicetur populus ſine capite,& tunc ve ſacerdotibus: nauicula Petri vim patietur ingentẽ,ſed conquieſcent tandẽ fluctus,& fruetur victoria. Imminent horribiles mutationes omnium regnorũ,& monachorum æſtimatio peribit. Beſtia Occidentis,& Leo Orientis dominabuntur in toto mundo, & perambulabunt Chriſtiani in

ſecuritate annos quindecim Aſiam, poſtea verò horribilia de Antichriſto audientur.

Abbas Ioachim in fine Hieremiæ loquitur: Veniet Aquila grandis, quæ vincet omnes præter vnum, qui tandem contemptus à populo relinquetur.

Item & aliud vaticinium reperio quod minimè obſcurum eſt: Excitabitur Cæſar, perinde ac homo dulci ſopore correptus è ſomno. Hic reputabitur ab hominibus veluti mortuus, & aſcendet ſuper mare magnum, & inuadet Turcas, ac vincet eos: vxores & liberos eorum ducet captiuos. Ingens metus & error magnus obruent Turcas: mulieres & pueri eorum lamentabuntur, & querelas effundent: omnis terra Turcarum tradetur in manus Romani Cæſaris. Audiui ex Luſitano quodam, Aſtrologum quendam dixiſſe Ferdinando Cæſaris noſtri proauo, ab Hiſpaniarum rege Turcicum imperium domandum ac euertendum eſſe: & hunc ipſum regem interpretatum eſſe de Ferdinando, ſed reſpondiſſe Ferdinandum, ſe id non eſſe facturum, ſed hæredes ſuos poſteros. Aliaquæ præterea reſtant indicia, ea nunc prætermitto. Deus miſericordiarum pater largiatur

Chriſtiano orbi gratiam & victoriam propter gloriam diuini nominis ſui. Amen.

Porrò quæ iam accident, ea obſeruabunt haud dubiè homines magni & prudētes, qui iam vnà in expeditione ſunt. Ea verò quæ de appparatu expeditionis comperta mihi fuere, recenſui, ideoq; nunc ſcripti finem facio.

In menſe Septembri huius anni iterum Cometes viſus eſt, ꝑ aliquot ſeptimanas, duabus horis mane ante exortum ſolis, & ad Orientalem plagam. Cùm ego viderem, in Virgine, ni fallor, erat, & radiātem caudam protenderat inter Meridiem, & Occidentem. Iam verò ob triſtiorem & nubilum aſpectum aeris per dies aliquot in hiſce regionibus videri non potuit. Cæterùm quis nō iudicabit formidabile eſſe, ferè intra vnius anni ſpacium duos Cometas apparuiſſe? & cùm illuxerit ſuperiori anno nimirum 1531, Cometes non ſine clade Orientis & Septentrionis (nam illis partibus minari videbatur. Etenim in Hungariā & Auſtriam Turcarum tyrannus irrupit. Rex Chriſtiernus magna claſſe in Daniā profectus ad repetendum regna ſua, dedidit ſe in manus patrui ſui Friderici regis Danorū. item & Chri

Cometa uiſus.

ſtierni regis filius, qui in Cæſaris aula alebatur, obijt) profectò metuendum eſt, & huius anni 1532 Cometē Italiæ, & Rhenanis partibus magnum malum portendere.

CHRONICORVM libellus, maximas quaſque res geſtas apto ordine complecti debet, ita vt annorum ratio, & præcipuæ viciſſitudines, quæ in regna, in religionē, & in res alias magnas cadere ſolent, queāt rectè obſeruari atq; cognoſci. Etenim fieri nō poteſt, vt vel vnius regni res geſtæ vno libello quantumuis magno ſatis deſcribantur, ꝓpter varietatem circunſtantiarum, & occaſiones negociorum quæ in primis ſunt conſyderandæ. Ita enim Hiſtorias ſcripſerunt Herodotus, Thucydides, Xenophon, Liuius. Reliqui Chronici tātum dicendi ſunt, & qui hiſtoricorum nomen ſibi vſurpare nō debent. Oſtendunt enim res geſtas breuiter, & temporis ordine ꝓpoſito monere tantum videntur cordatū lectorem, vt memorabiliora quædam obſeruet. Id quod in his Chronicis nos quoque fecimus: congeſſimus ea ſolum veluti in compendium, quæ potiſſima ſunt viſa, & eorum occaſiones nonnunquam indicauimus, vt tanto accuratius ſimile quiddam in ſimilibus

Hiſtorici Chronici.

libus euentibus diſcamus obſeruare & ꝓ-
ſpicere nobis. Cæterùm quātas præterea vti-
litates alias conferant hæc chronica, id ſuprà
in præfatione expoſuimus.

Equidem iam ſub finem huius ſcripti ite-
rum meminiſſe volo lectorem ſententiæ Eliæ,
quam initio huius libelli poſuimus, vt eo fa-
cilius & temporis ordinem, & facta hiſto-
riarum cōſideret atque obſeruet. Item vt hoc
quoque cogitet, cōſummationem rerum hu-
manarum nō longe abeſſe, iuxta dictū Eliæ,
mundi ætatem annorum 6000 ſpacio com-
prehendi, & illud ipſum ſpacium nō expleri:
nam id anticipaturum eſſe Deum ꝓpter cor-
ruptos mores mundi. Iam verò ſupra 5000
annorū mundi etiam 500 elapſi ſint, id quod
ex ſubiecta tabula clarè colligere licebit: du-
bium nō eſt, quin ad metam decurrerit ferè
ætas mundi, ut Chriſtus Dominus noſter ex-
uſcitet mortuos aduentu ſuo, & iudicet vni-
uerſum mundum, atq; adeò diabolis & im-
pijs omnibus damnatis in ignem æternum,
eripiat verè pios ex omni mœrore, & in per-
petuam Dei cognitionem atq; beatitudinem
reponat. Præter hæc quoq; mirabiles illæ mu
tationes omnium ferè regnorū teſtātur, mūdi

Mutationes regnorum quid portendāt.

finem prope eſſe. Senſimus enim intra annos paucos, noſtra memoria, regni pontificij, Galliæ, Hungariæ, Daniæ celſitudinem corruiſſe, & ſimiles quidam euentus in alijs quoque regnis ſunt expectandi propediẽ. Daniel teſtatur ſtatim poſt diminutas Turcarũ vires, imminere terminum omnium rerum mũdi. Atque lapſus imperij Turcarũ videbitur haud dubiè, (ſi modo volet Deus) iam intra annos paucos, & poſt ſublatum è viuis humaniſſimum Carolũ Cæſarem noſtrum, fieri non poteſt, quin & imperiũ miſerabiliter diuellatur à Germanis ipſis. Vereor enim ne de monarchia inter duos tum grauiſſima concertatio ſit futura. Deus OPT, MAX. pro immenſa ſua miſericordia mitiget tam horribiles motus, & principum animos ad pacis & concordiæ ſtudia conuertat. Diſſipata tranquillitas in Eccleſia, etiam ſigni loco eſſe poteſt: & periculũ eſt, ne & illa quoque bellis & incuria pontificum creſcat, & latius propagetur.

Cæterùm quando Chriſtus ipſe in Euangelio nos admonet periculorum, quæ nouiſſimis temporibus inſtabunt, non in ijs ſolũ quæ ad corpus, ſed quæ ad ſpiritum pertinẽt, imò

& cœlum ipſum horrendis obtenebrationibus, & coniunctionibus terret & comminatur: vt interim de illis ſignis non dicam, quæ prodita ſunt in literis ſacris de extremis temporibus: vt tandem proſpicere nobis diſcamus, & in tanta calamitate omnium rerum à ſolo Deo præſidium ac conſolationem petere, & expectare non dubitemus. Quare monere hoc loco volui lectorem, vt in animum reuocaret tempora illa periculis & calamitatibus plena in foribus eſſe, & pericula illa non eſſe ocioſo animo contemnenda. Etenim non leuis res eſt, ſed quam ſuo incommodo omnium ordinum homines experiuntur, mutari & cõuelli imperia, ac diſſipari cõcordiã religionis. Mundi fabrica ingentis & vetuſtiſſimi ædificij imaginẽ videtur præ ſe ferre, quod ſubinde magis ac magis ruinã comminatur, collabente nunc hoc muro, nũc alio pariete decedẽte. Ad eundẽ modũ mundus ad caſum præceps videtur hoc tempore, & grauiorẽ ſenſim ruinã trahit ſecũ alijs atq; alijs regnis ſuccũbẽtibus. Neq; verò putabit quiſquam collapſuram tantæ ſtructuræ molẽ ſine grauiſſima commotione. Deus illuminet animos noſtros, vt ſerijs cõminatiõibus Euã-

gelij perculſi, in ſolo Chriſto conſolationum, & refrigerij præſidia quæramus, & vt maximi principes in timore Dei non minori prudentia, quàm manſuetudine vtantur, ad mitigandas occaſiones malorum omnium. Sunt enim ad hoc conſtituti à Deo, vt miſerum & imbecille humanum genus ſua cura & prudentia gubernēt & tueantur. Et ſi in timore Dei fecerint ſuum officium, aderit quoque illis Deus, & fortunabit ea quæ agũt. Amē.

## TABVLA ANNORVM mundi, ex Biblijs & Philone.

1656 vſque ad diluuium.
292 ad natum Abraamum.
425 ad natum Moſen.
80 ad egreſsionem ex AEgypto.
480 ad templum Salomonis.
al. 132. 138 vſque ad Ioas regem.
291 ad tranſlatũ Ieconiam in Babylonē.
11 ad deuaſtationem Hieruſalē per Nabuchodonoſor.
70 captiuitas Babylonica.
191 Perſarum Monarchia, poſt exactam captiuitatem Babylonicam.
7 Alexander poſt obitum Darij.

146 Græcorum regnum, vſque ad Iudam Machabæum.

137 Machabæorũ regnum, vſque ad tempora Herodis primi apud Ioſephum.

30 Herodes: nam trigeſimo Herodis anno Chriſtus natus eſt.

1532 poſt natum Chriſtum ſeruatorem noſtrum Deum.

Anno mundi ter milleſimo nongẽteſimo quadrageſimo quarto, Chriſtus natus eſt.

Anno hoc præſenti, milleſimo quingenteſimotrigeſimo ſecundo, expleti ſunt à condito mundo 5476 anni. al. 5962.

Roma vrbs, teſte Eutropio, ſteterat ante natum Chriſtum, ſeptingentos quinquaginta tres annnos: & vt reuocetur ad calculum annorum ratio, aliter ferè ſupputari non poteſt ex veris hiſtorijs.

Anno præſenti, milleſimo quingenteſimo trigeſimoſecundo, exacti ſunt à condita vrbe Roma 2285 anni Tam vetuſta Babylõ non erat ante Alexãdrum. Nam ab Abraam vſq; ad tempora Alexandri, anni ſunt mille ſexcenti octoginta ſex. Iam verò cũ Roma vetuſtior ſit Babylone, poſt duas monarchias, non dubium eſt & eius finem prope adeſſe.

*Neq; verò multum diſcrepat numerus annorum qui in Biblijs eſt, ab ordine monarchiarum apud præcipuos ſcriptores hiſtoriarũ Græcarũ. Herodotus ſcribit Aſſyrios tenuiſſe monarchiam quingentos viginti annos, & interea vſque ad Medorum tempora nullam firmã monarchiam fuiſſe: tribuit autẽ Medis vſque ad Cyri imperium annos centum triginta. Id verò vt minimè falſum videri poteſt, ita vehementer probo: nam ſi quis rectè expendat, is facilè intelliget à Biblijs ſacris nõ diſſentire. Quod Aſſyriorum monarchiam ſtetiſſe dicit annos quingẽtos viginti, id haud dubiè referri vult ad illud tempus, quo regnũ Babylonicũ & Niniuæ vrbis nõdum diuulſum erat, atque adeò cùm apud Babylonem Aſſyrij tantum imperabant.*

**Agathias.** **Cteſias.** *Agathias libro ſecundo de bello Gottorum ſcribit Cteſiam & annorum numerum, & ordinẽ Monarchiarum ita poſuiſſe. Erat autem Cteſias Græcus, qui cum Artaxerxes Mnemon & Cyrus iunior inter ſe belligerarentur, in expeditione vnà fuit, ac medicum egit. Captus in bello deductus eſt tandem in Babylonem, vbi non ſordidè tractatus eſt, ac tum perlectis hiſtorijs rerum Ba*

bylonicarum ab initio eius regni annorū numerum in ordinem digeſsit ad hunc modū.

A Nino vſq; ad initium regni Medodorum, qui primum ab Aſſyrijs defecerāt, ſunt anni mille trecenti ſexaginta, & hunc ordinem ſequuntur omnes qui ſcripſerunt poſtea, Diodorus Siculus & Iuſtinus. Diodorus Siculus libro tertio ſic ſcripſit, Similiter & cæteri reges ad Sardanapalum vſque triginta, regnum tenuere, cuius tempore Aſſyriorū imperium, quod annos mille trecentos ſexaginta durauerat, quemadmodum Cteſias libro ſecūdo tradit, ad Medos tranſit. Iuſtinus ſic ait: Imperium Aſſyrij, qui poſtea Syri dicti ſunt, annos mille trecentos tenuere. Herodotus prætermittit aliquid interea dum collapſum Aſſyriorum regnum ad Medos peruenit. Quin & hoc puto, hos ānos Cteſiæ ab initio Babylonis, hoc eſt à Nemroth, nō à Nini temporibus eſſe intelligendos.

Medi poſt defectionē ab Aſſyrijs regnauerunt vſque ad Cyrū circiter trecentos annos, quemadmodū Agathias ex Cteſia colligit.

Perſarum regnum vſq; ad Alexādrum durauit annos cxxxviij, teſte Agathia & Græcis ſcriptoribus pleriſque.

*Alexander & eius poſteri Babylonē tenuerunt ad id vſq; tempus, quo Parthorum potentia creſcere cœpit, & ponit Agathias 300. minus 7, atq; id eſt ab Alexandro vſque ad Auguſti tempora.*

*Poſtea in Oriente regnarunt Parthi annos centum, vſq; ad Cæſaris Alexandri Seueri tempora, ac tum Artaxerxes Perſa, vltimum regē Parthorum Artabanū trāſfodit. Atque ita Orientale regnum ad Perſas rediit, qui deinde potentia claruerunt ad Mahometis vſq; tempora. Nam poſteri Mahometis inuaſerunt Perſas, & totius Arabiæ imperium occuparunt. Cæterùm Turcæ poſtea Syriā & Aſiam minorem ipſis ademerunt. Atque ita demum variis mutationibus agitata Orientis regna ſubinde ab aliis populis ad alios ſunt tranſlata. Operæprecium in primis eſt hæc omnia reputare, vt omnium temporum & hiſtoriarum ordo ritè cognoſcatur.*

Artabanus ultimus rex Parthorū.

# APPENDIX DE REbus ab anno Chriſti 1532 geſtis ad annũ 1550, ex optimis quibuſque hiſtoricis & chronographis excerpta.

*ANno Chriſti 1533, Gallus rex è mõte Peſſulano legatos ad Clementẽ pontificem mittit, qui de colloquio Maßiliæ habendo agerent: quod poſtea menſe Octobri, vtroque & pontifice & rege illic præſente, habitum eſt.* Colloquiũ Maſſilienſe.

*In eo colloquio poſt vtrique in vrbe triũphos exhibitos, dux Aureliorum Henricus ſecundus regis filius matrimonio cum Comitiſſa Bononiẽſi, nepte pontificis, cõiunctus eſt. Actum eſt etiam de religione & de pace: ſed conſilia non ſucceſſerunt, vita anno ſequente, functo Clemente papa, quem veneno ſublatum ferunt.* Aurliorum dux uxorẽ ducit.

*Menſe Iulio & Auguſto ingens cometa ad ſeptentrionem apparuit, cauda in auſtrum protenſa, qui viſus eſt ad dies circiter quadraginta.* Anglorũ rex repudiat uxorem.

*Hẽricus huius nominis octauus Anglus*

rex huc anno die Pentecoſtes repudiata ſua vxore Caroli Cæſaris matertera, aliã duxit.

Legiones Franciæ.

ANno 1534, rex Gallus regni tuendi cauſa exercitum parare conſtituẽs, per ſingulas ſui regni ꝓuincias militũ legiones, Romanorũ veterum more, inſtituit. Capiebant autẽ ſingulæ legiones peditũ ſex milia. Eiuſmodi ſeptẽ coactæ ſunt, ex Normãdia, Britãnia, Picardia, Burgũdia, Prouincia, Aruernia & Lugdunenſi, Gallia Narbonẽſi. Qui nomina dabant, ij immunes erãt à vectigalibus, modò in annos ſingulos aſſes viginti nõ excederent. Alijs ſtatutis & legibus æquis latis hic militũ ordo eſt inſtitutus: editis etiã de eorum diſciplina militari à rege, libris.

Ioannes Alemanus.

Menſe Septẽbri Comes Nanſous, & princeps Auraſius filius eius per Galliã ex Hiſpania rediens traiecit in Belgicam, & paulo pòſt Ioannes Alemanus, qui erat imperatori à conſilijs eàdem trãſijt, vir pacis & concordiæ ſtudioſus, magni apud Cæſarẽ nominis: qui falſo accuſatus quod Francorum partibus faueret, & literis ſecretioribus res Cæſaris proderet, confitente de mendacio & fictione accuſatore, & in Franciſcanorũ numerum profugiente, abſolutus eſt, & omni

ſuſpicione liberatus: ſed ſponte relictis tandē curiæ procellis ac turbis, ſe ad priuatos parietes ſuos vnà cum vxore & liberis recepit.

Thaamas Perſarum Sophi bello cōcitato contra Turcas, primū ab eis grauiter eſt afflictus, & Tauride vrbe nobiliſsima, & antiqui nominis metropoli Perſicarum vrbium expugnata, fugatus eſt. Verum poſtea Perſarum calliditate parem, vel multo maiorem cladem Turcæ ſunt experti. Nā Perſæ fugā ſimulantes ad perſequendum hoſtes concitarūt, & per occaſionē recuperata Tauride, hoſtes interceptos diſſiparunt. Grauem iacturā Turcæ in eo conflictu fecerunt. Nam 16 milia equorum amiſerunt, peditum triginta milia, camelorum milia octodecim, & militaria instrumenta nō pauca. ad fluuium Euphratem hanc cladem Turca paſſus eſt. Sophi Perſarū contra Turcas.

Dux Mediolani ducit in vxorem filiam Chriſtierni regis Daciæ captiui, ex Iſabella Caroli Cæſaris ſorore prognatam.

Vlricus dux Vuirtembergenſis, qui propter Reutlingā ciuitatem liberam in ſuam deditionem redactam, cædis miniſtri cuiuſdā ſui vlciſcendæ cauſa, à Sueuico fœdere pulſus, annos ferè quindecim exularat, conſilio

principis Heſſorum eſt ex Francia reſtitutus.

Angli, cõniuente rege, & cõtempto põtifice Romano, de religione plurima immutãt.

Anabaptiſtarũ inſolentia.

Anabaptiſtæ in Vueſphalia ſibi Monaſterium vrbem occupatam, quaſi Capitolium quoddam aut arcem Sion parant, quam nouam Heruſalem nominabant. Idcirco Epiſcopus loci illius aduocatis in auxilium vicinis principibus, Archiepiſcopis Coloniẽſi & Treuirenſi, ducibus Geldrenſi & Cliuenſi, item Landgrauio Heßiæ, obſidione Monaſterium cingit, ſed nihil proceßit, auocatis Landgrauij copijs.

In aula regia & Pariſijs 18 Octobris noctu libelli locis frequentioribus & vicis publicis affixi ſunt, qui S. Sacramẽto altaris ſeu Euchariſtiæ & miſſæ detrahebant. Ea res magnas turbas excitauit, ac nonnulli hac de cauſa viui exuſti ſunt. Id factum eſt etiam aliquot in locis alijs Galliæ: ac menſe Ianuario ſequenti, in Palatio regio Lutetiæ inuenti ſunt paßim libri qui eadem de re ſcripti fuerant. quo facto rex commotus publicas ſupplicationes indixit: in quibus rex ipſe pedes, nudato capite & manu facem ardentẽ geſtans, regina, & eorũ liberi cum principibus

adfuerunt. Concionem ea de re à prandio rex habuit, omnes inuitans ad exterminandam eam iniuriam, nulla ratione habita, aut generis, aut amicitiæ: qua etiam teſtatus eſt, ſuum vel brachium ſe abſciſſurum, ſi ea labe infectum eſſet.

Clemente ſeptimo mortuo, papatum adeptus eſt omnium ſuffragio Paulus tertius huius nominis ciuis Romanus, qui antea Alexander Farneſius dicebatur. Hic Breuiarium Romanũ emendatũ, & in compẽdioſiorem precandi formulam redactum approbauit. Paulus 3. pap.

ANno 1535, Rex Gallus literis ad Germanos miſsis falſam diluit criminationem, quòd cum Turcis rem haberet, & eorũ auxilijs vteretur: item quòd Germanorum fœdere contempto in carcerem Germanos aliquot conieciſſet: iiſdem de religione ſe purgat, & rationem indicat, cauſamq; cur morti aliquot tradidiſſet, qui religionem Germanicam ſequi dicebantur.

Huius anni menſe Ianuario, rotæ ſupplicium in latrones, viarum obſeſſores, & ſicarios, qui magno numero hoc tempore Galliam diuexabant, decretum eſt. Rotæ ſupplicium inſtitutũ.

Menſe Februario, Rex Gallus andiens

principes exteros, Germanos, Hiſpanos, Italos expeditiſsime ad bellū neceſſaria parare: item Solimannum Turcam & Aenobarbum, quem vulgo Barbaroſſam vocāt, iam regnum Tuniſſæ occupaſſe, de parando regni tutandi cauſa exercitu cogitat, & ne populum tenuioris fortunæ premeret, ab Eccleſiaſticis viris ſubſidia quærit.

Menſe Martio, rex Gallus vetuit, ne quis è Gallia quacunque ratione ferrum, chalybem, arma, aut quid eius generis quod ad bellum inſtruendum conducat importet.

Ionas præfectus tiremum magni pridem apud Gallos nominis, Cal. Martÿs læſæ maieſtatis reus capite truncatur, & poſtea corpore in partes quatuor diſſecto, caput eius portui Maßiliæ affigendum traditur.

Carolus imperator ab Hiſpanÿs claſſe in Africā ingreſſus, Altzachenū Tuniſſæ regē regno pulſum à Solimanno Turca, reſtituit, & Gouleta arce expugnata, & Tuneto quā olim Carthaginē nūcupabāt, occupato, Aenobarboq; fugato in Italiam victor redÿt.

Tunetum.

Rex Gallus à duce Sabaudiæ ius ſuū repoſcit: quo negato ad arma confugit. Nam ille ducatum hunc ad ſe pertinere contende-

bat, & ſuæ ditionis aliquot vrbes occupatas præter æquum querebatur.

Sabaudiæ dux audiens è Neapoli Romã Cæſarẽ accedere cum armata manu: itémq; Antonium Leſueum copias Mediolani colligere: conſilium iniјt, diſsimularétne ꝙ Cæſaris partes tueretur, an verò aperto marte ſe talem profiteretur, & tãdem præter Cæſaris ſententiã, vxore ita conſulente, Cæſari ſe fauere apertè declarauit: quæ res vtrique incommoda fuit: nam hac ratione factum eſt, vt obſeſſa à rege Sabaudia, pabulis & cõmeatu interceptis, Cæſariani penuria coacti re infecta, & cum damno redierint. Nã vbi intellexit rex Gallus quid dux cum imperatore egiſſet, copias ſuas duce Philippo Chabotio Admiraldo Franciæ, ad agros Pedemontanorum & Allobrogum educit.

Taurino ſubacto, cùm Mediolanũ verſus proficiſceretur Chabotius, & iã Vercellas obſideret, Carolus Cæſar pacis cõponendæ ſpem præ ſe tulit, ꝙ res eius male haberẽt ad Galliam inuadendam. Itaq; pacis ſtudioſus rex Gallus ad eum miſit ea de re Cardinalẽ Lotharingum, qui in itinere per Pedemontanos Admiraldũ ab vrbis obſidione reuocauit. Taurinum captum.

Per id tempus Marchio Salluſsianus à rege Gallo deſciuit ad Cæſarem: qua ex re & facultates, & decus omne, ac tandem vitam amiſit.

Reuerſus ex Aphrica imperator magno triumpho Romam ingreſſus eſt. Vbi eũ conuenit legatus regis Galli Cardinal. Lotharingus, de pace facienda: ſed re infecta legatus rediјt, auditis coram pontifice Cæſaris minis in regem, quem iactabat ad ſummã pauperiem & ignobilem ſtatum ſe redacturũ: ſed tam vanos conatus irritos Deus fecit.

Franciſcus Sforcia moritur.

Sub huius anni finem ad mẽſem Nouẽbrem Franciſcus Sforcia, qui Cæſaris neptem duxerat, donatus eius rei cauſa Mediolanẽſi ditione ſub certis legibus ac cõditionibus, moritur. Itaque cùm iam imperator tergiuerſatione, & hac excuſatione non amplius vti poſſe, in reddendo Galliæ regi Mediolano, vt ei principatui cedat rex expoſcit.

Dorothea Chriſtierni regis Danorum filia Friderico Comiti Palatino, Cæſare aſſentiente, nubit.

In Anglia regina illa Cæſaris matertera à rege Anglo repudiata iam à duobus annis vel morbo, vel acceptæ iniuriæ tædio, nõ ſine

ſiniſtra

ſiniſtra vulgi ſuſpicione moritur.

Monaſterium in Vueſphalia expugnatur, & Anabaptiſtæ iam magnam famẽ paßi, cæduntur præter admodũ paucos fuga elapſos. Mulieribus tamẽ, & pueris qui annum decimum nondum attigerant, parcitum eſt, niſi inſigni aliquo crimine eſſent notatæ. Rex eorum qui prius ſartor Leidenſis in Hollandia fuerat, vnà cum alijs duobus Cnipperdollingo & Crechtingo Monaſterięſibus ciuibus, anno conſequente ignitis forcipibus pũcti, ac deinceps veris transfixi, ferreisq; corbibus incluſi ex alta turri ædis S. Lamberti ſuſpenduntur.

Ingens Anabaptiſtarũ multitudo iterũ conſpiratione facta cœnobium quoddã bene munitum in Phryſia occupant: quos præfectus omnes ad vnum acerrime & obſtinatißime repugnantes trucidat, quod idẽ Amſtelredami, quæ ciuitas eſt maritima, Hollandiæ emporeum, poſtea contigit. Nam nocturnis inſidijs eſt ab illis petita, occupato per vim ſenatu, vigilibus & aliquot magiſtratibus interfectis, ſed miſeri ſuperati vnà cum pſeudoepiſcopo, varijs tormentis affecti, meritas dementiæ ſuæ pœnas luunt.

ANno 1536, Bellum inter Cæſarē & regem Gallū exardeſcit. Ac Cæſar quidē Galliam diuerſis partibus inuadit. Nā agros Pedemontanos petens, caſtra metatus eſt ad Aquas Sextias, rex autem contrà ad Auenionem caſtra collocat, qua re intellecta Cæſar ſibi metuens, quòd rex ipſe adeſſet, & bene inſtrnctæ copiæ aduerſariæ eſſent, caſtra ſoluit ex Prouincia, & fugit in Hiſpaniā imminuto exercitu partim labore, partim morbis & fame ſæuientibus.

Cæterùm cùm Cæſar per Pedemontanos agros Prouinciam peteret, oppidum Foſſanum nomine aliquandiu vexauit, præterito Taurino vrbe munitiore quàm vt expugnare eam poſſe ſperaret. ſed fruſtra tantum laborem inſumpſit.

Cùm Lugduno ad caſtra rex Gallus iter ſuſcepiſſet, morte primogenitus filius Franciſcus Delphinus ereptus eſt (eum cum altero filio, duce Aureliorū, ſecū pater ducebat.) Fama eſt cōſtās eū veneno ab Italo Ferrando Gonzaga, qui poſtea meritas Lugduni pœnas dedit, extinctū fuiſſe: quod & medici qui eū curabant, retulerunt. Lugent eum principem optimi quique, quòd tātum annos natus vn-

deuiginti, humanitate ac prudentia inter omnes potiſsimum præditus eſſet, de quo propterea optimã tota Gallia ſpem conceperat.

Ex alia parte duce Nanſoo in Picardiam Cæſar irruit, ac primũ caſtrum Turpignium expugnauit & diripuit, ſuſpenſo e foribus caſtri præfecto. Hinc profectus Guyſiã cepit, & tum verſus Fanũ Quintini, vrbẽ Veromanduorum contendit: in quo itinere vrbeculam nomine Ribemontem incendit. Sed Fanũ Quintini obſidione cingere diutius recuſauit, quòd oppidani & præſidiarij milites urbem apprime defenderent, & tergo imminerẽt duces Vindocinẽſis & Guyſiæ. Itaq; prætergreſsi Cæſariani, Peronam obſederũt, in itinere, caſtro prius ab eis incẽſo quod Clarium vocatur.

In repellendis obſeſſoribus egregiam nauarũt operam, Marchiæ præfectus equitum, princeps Florengius & Sedanius, & cũ eo Dampmartinus comes, qui in ea obſidione mortuus repertus eſt, & contuſus muri cuniculorum ſubterraneorum ruina, cùm eò, vt quod opus erat prouideret, profectus fuiſſet. Item cũ illis dux Engoliſmẽſis Philippus Buianuillerius, princeps præterea à Sarcux &

à Saiſſeual, bis mille peditibns præfecti. Vrbs obſeſſa ſex hebdomadis, tãdem hoſtibus abeuntibus re infecta liberata eſt.

Præfectus equitum Marchiæ paulo poſt liberatam Cæſarianorũ obſidione Peronam moritur, vir in re militari prudens, & eques, ſi quis alius, exercitatus.

Circa hæc tempora dum Perona obſideretur, vrbi Fani Riquieri oppidani Domirinũ Signiferum in exercitu principis Ruthi fortiter ſuſtinuerũt pauci admodum cum aliquot præſidiarijs militibus, qui eò ex Perona diſceſſerant: ſed diu reſiſtere aut hoſtibus ſuperiores eſſe non potuiſſent, niſi fœminarũ quæ illic habitabant numerus ſuos adiuuiſſet. Nã muris admotæ, aquis feruentibus, cineribus calidis, & quacunque re vti poterant, fortiter hoſtem ingredientem repulerunt. Et ex ijs duæ inſignia hoſtium totidem abrepta in vrbem attulerũt, qua re motus Domirinus abſceßit non paucis è ſuis aut interemptis, aut grauiter vulneratis.

Caſtrum Deſuerneum ab hoſtibus captum, & præda refertum, induſtria & diligentia principis Bieſi, qui tum recens ex prouincia Gallia redierat, recuperatur.

*Thomas Morus Britannus Henrici Anglorum regis præfectus prætorio, quem Cancellarium vocant, vir probus & literatus, ac Epiſcopus Roffenſis, poſt longam carceris moleſtiam, propterea quod, vt aiunt, repudium vxoris regiæ, & defectionem à pontifice Romano non probauerant, vnà cum aliquot primariis monachis menſe Iulio Londini capite truncantur.*

*Eodem tempore cancellarius Franciæ & Legatus pontificius, Cardinalis ac epiſcopus Senonenſis, Antonius à Prato, vir prudens & conſultus moritur: in eiusq; locum Antonius à Burgo ſuffectus eſt.*

*Aliquanto poſt Mori mortē idem Anglus rex quandam interimendā tradidit iuuenem puellā nobilem, quam repudiata vxore duxerat, ob adulterij ſuſpicionē. pridie autem q̄ capite truncaretur, aliquot è domeſticis nobilibus ea de cauſa trucidati ſunt. Ante q̄ moreretur modeſtis & ſimplicibus verbis bene precata eſt iis à quibus fuerat dānata, & ad Dei ſupremi iudicis tribunal appellauit.*

*Alexander Medices dux Florentiæ nocte per inſidias à propinquo ſuo quodam occiditur.*

Eodem hoc anno Iacobus Scotus rex duxit in vxorem Magdalenam filiā regis Galli primogenitā: quorum nuptiæ Lutetiæ Pariſiorum magnifico apparatu celebratæ ſunt.

Hoc anno menſe Iulio, Baſileæ Eraſmus Roterodamus annos natus plus minus 70, moritur: qui bonis literis reſtituendis inter alios diu multumq; ſudauerat.

Badurius Cambaiæ in India rex bello al Aymano Ariæ Carmaniæque rege preſſus Luſitanorum regi ſeſe vltro auxilij gratia tributarium facit.

ANno 1537 iterum exercitum Cæſar Carolus educit in Picardiam duce eodem Nanſoo, aduerſum quem Gallus rex item eò copias emittit, quibus caſtrum Auchianum deditione capit, & vrbem Hiſdinum expugnat, expugnatamq; longè munitiorem facit, dimiſsis qui eam tuebantur cū rebus ſuis ſaluis. In ea obſidione ictu bombardæ minoris Vnchianus princeps centurio, interfectus eſt, vir ſtrenuus & ad bellum dexter. Itidē quoque alius ex primoribus nomine Helius in fœmore vulnus accepit. Supererat ars Hiſdini expugnanda. Eam dum præſidiarij milites retinere non potuerunt, per deditionem

eo pacto, vt cum rebus ſuis cuique egredi liceret, Gallis poſt obſidionem longiuſculam reddiderunt.

Interea vita functi ſunt aliquot viri nobiles, & rei militaris periti, quæ res Gallis non paruam iacturam attulit.

Nam ambiani dux Vindocinenſis, prudẽtia & virtute inſignis mortuus eſt. In obſidẽda Hiſdini arce, comes iunior Săxerrenſis itidem interfectus eſt. Parem fortunam experti ſunt alij quoq; ex Gallorum primoribus.

Fanum Pauli præter alias aliquot vrbes Picardorum, eadem opera fortius cõtra vim hoſtium à Gallis munitur, qui tum rebus bene compoſitis & hoſtibus iam abeuntibus redierunt.

Solutis Gallorum caſtris Cæſarianus exercitus per agros palabundus, Fanum Pauli immiſsis flammis exurit. Huius expeditionis princeps erat Comes Burenſis: cui erant adiũcti dux Darſ.ot, princeps Auraſius, Comes Deſpinoius. & aliquot alij è primarijs Germaniæ inferioris. In ea obſidione occiſus eſt Princeps Mediocurtius & frater eius, & graue vulnus accepit D. à Salla qui ſuccũbens captiuus abductus eſt à Cæſarianis,

apud quos morte vitam commutauit.

Tranſmiſſo Hiſdino, Cæſarianis Monſtrolium oppidulum nõ ſatis adhuc à Gallis munitum cepit facta deditione: quod dimiſſis ex pacto ciuibus, immiſsis flammis ferme totum exuſſerunt.

Poſtremum Cæſariani Morinos, quã vulgo Teruanam vocant, petunt, eamq; grauiter oppugnant, ſed fruſtra omni conatu adhibito, cùm expugnare diffiderent (nam duce Delphino quadraginta milia militum ſtatim quod vrbi iam per menſem obſeſſæ deerat ſuppeditarant, & opem tulerant, quanquam capti equitis Annebaldi, & aliquot aliorum iactura) petitis & tandem acceptis decumeſtribus inducijs obſidionẽ ſoluunt.

Interea autem dum hæc in Picardia geruntur Antonius Leſueus Vercellis Cæſaris partes tutabatur, ac vndique Taurinenſes vexabat, quorum ad inopiam rerum ad vitam neceſſariarum iam res redierat. Afflictos ſuos Gallus rex ſolari conſtituens, ex Picardia copias eò traducit: qua re audita Leſueus retroceſsit: itaq; vrbs munita eſt, & cibis, & fortiori manu. Tandem hyeme appetente utrinque diſceſſum eſt.

Hoc anno inter Cæſarem & Danos Noruegioſq́; & alias orientalis Germaniæ gẽtes quadriennales induciæ factæ fuerunt.

Ingens aquarũ inundato in ſuperiori Germania fuit, & inſueta & intempeſtiua.

In Anglia ſeditiones duæ exortæ ſunt, altera in agro Lincolnienſi, viris contẽdentibus circiter viginti milibus: altera in Eboracenſi, 40 ferè milium hominum. rerum innouatio has peperit ſeditiones: quæ tamen ſine multo ſanguine ſedatæ ſunt, ſublatis ſeditionis capitibus.

Solymãnus Turca magnũ egit triumphũ de Germanis ac Bohemis, in Croauia victis: in quo quidẽ triumpho noſtri naribus præſectis captiui omniũ ludibrio expoſiti ſunt, & ſexaginta capitales bombardæ noſtris ademptæ Conſtantinopolin importatæ ſunt.

Sub huius anni finem à Carolo duce Gueldrorum Nouimagenſes primum, deinde aliæ atque aliæ vrbes defecerunt, quòd illum iam ſenem conari arbitrarentur, vt in Gallorum regis poteſtatem venirent. ita que creant Gulielmum ducis Cliuenſis filium, qui nomine matris in Gueldrenſi ducatu ius ſibi quoddam vendicabat.

*Menſe Decembri, Romæ tonitru tempeſtuoſum præter temporis conſuetudinem ac ſtatum auditum eſt.*

*ANno 1538 vere appetente, Hiſpani duce Marchione Vaſti, rebus in Picardia anno ſuperiore infeliciter geſtis, Pedemõtanos agros inuadunt: ac primum vrbem nomine Quier: capiunt, ſed duce Delphino à Gallis repreßi ſunt, qui ſub principis ſui ditionem redegerunt Suzam, & caſtrum Villianum: qua re territi hoſtes retroceſſerunt, vt vrbe Moncallerio Galli potiti ſint.*

*Interea rege Gallo ad ſua caſtra per alpes ꝓfecto, Hiſpani rebus ſuis diffidentes fœdus trimeſtre expoſcunt, quo icto dimiſſus eſt vtrinque exercitus, quòd id ad pacem conciliandam pertinere videretur.*

*Pacem principes Cæſar & Gallus expoſcunt, & ea de re vtriuſque legati ad Leucatam conueniunt, ſed re omnino infecta redeunt, niſi quòd inducias prorogant.*

*Paulus Romanus pontifex de conciliãdis inter ſe principibus ſollicitus, Cardinales duos, alterum ad Regem, alterum ad Cæſarem mittit, vt æquis conditionibus facta pace trãquille viuere velint, ac tãdem colloquium in-*

dicunt Nicenum. Per id tempus Mommorētius magnus equitum magiſter Franciæ, à rege creatus eſt.

Menſe Maio, vt decretum fuerat, conueniunt ad Niciam pontifex, Galliæ rex & imperator. pōtifici ſinguli ſeorſum cauſas ſuas exponunt, qui conditiones pacis admodū arduas intelligens, egit apud principes, vt factis ad decem annos inducijs, & à bello quieſcerent, & mercium communicatione ſuos vti permitterent: itaque diſceſſum eſt.

Inter redeundum ad ſuos, vel vento, vel alia de cauſa, ad Aquas mortuas vbi tum rex Gallus agebat, Cæſaris claßis aduecta eſt: itaque illic habendum colloquium cum Gallo rege poſtulat: quo impetrato, aliquot dies de rebus ſuis colloquuntur principes, & confirmato fœdere concordes amicíq; diſcedunt. Huius conciliandi fœderis, & concordiæ authores inter alios numerantur, Leonora Regina Frāciæ, Cardinalis Lotharingus, regina Nauarræ, Mommorentius, & Cardinales Turnonius ac Bellayus.

Barbaroſſa ſeu, ſi mauis, Ænobarbus in littore Ambracio graue naufragiū fecit hoc anno, amißis hominum viginti milibus.

Portugalli magnis conatibus, victoria inſigni in India potiti ſunt.

Carolus dux Gueldriæ moritur, & in locum eius adhuc languentis Gulielmus ducis Cliuenſis filius ſufficitur.

Turris Bellica plena pulueris bombardici, Lutetiæ ad Cæleſtinorum ædem, fulmine & tonitru icta menſe Iulio, funditus euerſa eſt: cuius particulæ longius proiectæ tēplo Cæleſtinorum & S. Victoris, ac domibus vicinis incommoda attulerunt.

ANno 1539, Iuris præfectus, ſeu Cancellarius Frăciæ factus eſt Gulielmus Poietus tertius tum præſes curiæ Pariſiēſis: à quo vtilia edicta ꝓmulgata ſunt de circuncidendis & abbreuiandis litibus & cauſis forēſibus.

Vxor imperatoris Iſabella vita defungitur ſuperſtite filio Philippo. Hac occaſione ſperabatur propter Cæſaris, & Gallorum regis amicitiam, fore vt matrimonio, Cæſare, cum Regia filia coniuncto pax conſtans & diuturna futura eſſet: contra timebatur, ne ſi aliò quærens connubia pergeret, inde Franciæ detrimenta pararentur. Nihil tamen eorum factum eſt. Defunctæ imperatricis exequias ſolenni ritu & apparatu magnifico Pari-

ſis rex celebrauit.

Gandaui menſe Iulio ſeditionem mouent aduerſus eos qui reginæ Pannonicæ nomine quæ illic fratris Caroli Cæſaris vices gerebat, vrbem adminiſtrabant, quòd exactionibus nimijs vexarentur. Nã pro ſingulis vini amphoris ciues pendere Reginæ aſſem vnum cogebantur: & huius tributi Abbates, Canonici, Monachi, & cæteri eccleſiaſtici viri immunes erant, quod illi ægrè ferebant, præſertim cum hinc & maior ſumma eſſet reddenda, & bona pars vrbis eccleſiaſticorum eſſet. Itaq; armis ſumptis, recuſante Regina moderationem omnem, duodecim milia ciuium coactores & vrbis præfectos Cæſarianos exegerunt, miſsiſq; ad regem Gallũ literis, petierunt ab eo, vt in eius tutelam admitterentur, quem ſolum principem & dominũ agnoſcerent. Eam deditionem admittere rex noluit, mallens hanc eorum beneuolentiã & ſua commoda præterire, quàm inducias & fidem Cæſari datam violare.

Hanc commotionem Cæſar ſedare, & audaciam Gandauorum reprimere cupiẽs, cum aliter commodè eò traijcere non poſſet, quòd mari ſe committere nollet, & Germanis, quos

*tandiu ſpe futuri concilij detinuerat, diffideret, tranſitum per Galliam poſtulat, paciſciturq́; cum rege per legatos, ſe Mediolanenſi ditione ceſſurum, ſi fide publica daretur per Franciam comitatu exiguo in Belgium tranſire, quod facilè ab humaniſſimo rege impetrat.*

*Galliam Cæſar ingreſſus primum ad oppidum Fani Sebaſtiani, ducem Aureliorum filium regis ſecũdum obuium habuit, & ad oppidum itidem ſancti Ioannis in extremo limite Delphinum vnà cum ꝓceribus Franciæ cum quibus Bagonã eſt ingreſſus, vbi cũ honore & omni magnificentia exceptus eſt. Deinde Burdegalã, tum Pictauium, & deinceps Lochas peruenit, vbi rex ex graui morbo nondũ planè confirmatus ad ducẽta milia itinere facto, eum expectabat, à quo humaniter Cæſar exceptus eſt, & ita per totum annum eum comitem viæ habuit.*

A *Nno 1540 Lutetiæ Cæſar honorificè acceptus eſt, & tandem in Belgicam deductus, quacunque ingrediebatur, ſemper magnificè tractatus, adeò vt hæc regis humanitas ac magnificentia exteris nationibus nimia viſa fuerit, præſertim in eum qui coram*

pontifice tam grauiter Gallis minatus fuerat. In totum enim regia auctoritate tum liberandis ac redimendis reis omnibus, tum beneficiјs conferendis donatus erat.

Tam beneuola & magnifica exceptio metum Gandauis incuſſit, & toti Flandriæ, quo minus Cæſari qui tum ſine armis munitioribus erat reſiſterent. Itaq; ꝓpoſita Gādauis amneſtiæ ſpe, Comitē Rhutū in vrbē immittit, cū ducentis viris armatis, & ſex milibus Germanorū quibus præerat Tamyza, vt ſi qui tumultus exorirentur, facilius cōponerentur. Hac ineſcati ſpe Gādaui, depoſitis armis partim capite truncātur, partim facultatibus exuuntur, partim exilio mulctantur. Deinde Cæſar ciuiū impendiјs arcem excitat loco edito, ingentē & munitam, qua præſidio impoſito plebis motus ac rebellionem cōpeſceret. His non contentus, vrbem priuilegiјs antiquis & immunitatibus priuauit.

Ad Cæſarē Gandaui agentem dux Cliuienſis fide publica conceſſit, in quem Cæſar infenſus erat, quòd Gueldrenſem ducatum adminiſtraret, in quo iuris quippiam ſibi Cæſar vendicabat, quódque Gallorum partes ſequeretur. Non conuenit inter eos de hoc

*negocio, quòd dux (vt fama eſt) noluerit neptem* Cæſaris *in vxorem ducere, quæ tum vidua erat relicta à Franciſco Sfortia, & poſtea Marchioni Ponti data eſt.*

Cliuenſis *dux, Iuliacenſis & Montenſis, nomine Ioannes vita defunctus eſt: cuius filius* Gulielmus *iam ducatum Gueldrenſem obtinebat. Filia autē primogenita iam ante patris obitum nupſerat duci Saxoniæ Ioāni Friderico. Secundum filium poſt patrem mortuum,* Henricus *octauus rex Anglorum in vxorem quartam duxit, nomine Mariam: quam ſtatim repudiatam apud ſe retinuit, negans ei ad fratrem reditum: & eius loco quintam duxit vxorem* Catherinam *à* Hauart *puellā exiguam, ſed pulchritudine præſtantē, quæ de crimine adulterij accuſata tādem capite truncata eſt.*

*Huius anni menſe Iunio, Turca ſignificauit regi Hungariæ, vt regnū tributarium faceret, alioqui bellum expectaret. Tributū pēdendū non eſſe Cæſar miſſo* Cornelio *Scepero cenſuit, ac ſe breui expeditionem facturum in Turcam pollicitus eſt, qua Hūgaros & vicinos principes liberaret.*

*Hungarus moræ impatiens, tributum à*

*ſuis*

ſuis exigit, qua re moti defecerunt ab eo aliquot è primoribus, quos bello perſecutus eſt. Tandem dato cuidam monacho tributo ad Turcam deferendo, morte ſubitanea è viuis exceßit. Monachus autem ſubitò rediēs, qui non longè cunctabundus proceſſerat, Cancellarium & Epiſcopum quendã ad inceptam ad Turcam legationem dimittit, vbi mortui ſunt. Hungarus rex moritur.

Dißimulata regis morte idem Monachus fœdus paciſcitur cum principibus illis qui aduerſus regem inſurrexerant, & iurantibus omnibus in fidem reginæ & filij eius, Budam occupat.

Id vbi audiuit Ferdinandus rex Romanorum, omnibus rebus alijs prætermißis, in Auſtriam contendit, conaturus Hungariæ regnum recuperare. Alba, Peſtum & alias Hungariæ vrbes capit, deinde Budam oppugnat: tandem etiã adueniente ex Germania ſubſidio contra Turcam, qui filio regis Hungariæ auxiliaturus venerat, Auſtriã nō ſine graui ſuorum iactura redire coactus eſt.

Comitia Cæſar indicit Vvormaciæ, vbi præſides erant Comes Palatinus, Fridericus, & Granuella: & de vno aut altero capite

ex cōtrouerſiis religionis diſputatū eſt à Melanchthone ꝑſtantiū, & Eccio catholicorū partes defendēte. Res māſit ꝓpter aduētum Ferdinandi non abſoluta, & reiecta eſt ad comitia, quæ anno ſequente habenda erant Ratiſbonæ, non ſuccedētibus rebus Vvormaciæ, nec item Haganoæ.

ANno 1541, Aprilis menſe, Ratiſbonæ cōuenerunt Cæſar, pontificis & regis Gallorum legati: ac qui de religionis cōponenda diſſenſione agerent vtrinque delecti ſunt, qui citra grauem contentionē res cōponerent. Libellum Cæſar ꝓpoſuit, qui magna prudētia ſcriptus diſſenſiones moderabatur vtriuſque partis, vt in eo aut detraheretur, aut adderetur aliquid quod publico ſuffragio delectorū probaretur: ferè articulos de omnibus cōtrouerſijs continebat ad titulos numero tres & viginti. De maiori parte iam conueniebant, & quæ addenda Proteſtantibus videbātur in medium erant allata. Itaque & liber & additamenta legato papæ Contareno cōmunicata ſunt: qui rem omnē reijciendam cenſuit, donec pontificis arbitrio conciliū cogeretur, nec definiendū quicquā abſente papa, ꝙ iam ab eccleſia Romana deſciſcerēt in mul-

tis Germani, quos proteſtantes vocant. Proinde diſceſſum eſt ab omnibus re omnino infecta: adde quod interim in Hungaria Budam & Peſtum Turca occuparat, quæ res vt comitia ſoluerentur facilius, effecit.

Dux Gueldrenſis in Franciam profectus in vxorem ducit filiam regis Nauarræ ex Margareta ſorore Gallorum regis Franciſci prognatam, vt regem confœderatum & fautorem haberet: quod eſt imitatus rex Danorum, qui tranſigere poſſe cum imperatore non ſperabat: & poſt eum idem fecit Sueuiæ rex Guſtadus, qui & regium ordinem honorificè acceperunt.

Interea rex Gallus fœdus inuiolatum ſeruauit, donec à Cæſarianis atroci adfectus eſt iniuria. Venetiam legatos miſerat, Cæſarem Fregoſum Ligurem, ac Antonium Rinconium Hiſpanum, qui Gallorum partes ſequebatur. Hi in Inſubribus intercepti crudeliter necati ſunt. Ac Cæſar quidem primum ſcelus inficiabatur, deinde ſe inſcio patratam cædem cauſabatur, poſtremum in Italos reijciebat, in quos ſe grauem quæſtionem poſt reditum ex Africa habiturum pollicebatur, quorum nihil egit.

*Statuens* Cæſar *in Aphricam proficiſci, hoc nomine* ꝙ *infideles & à religione* Chri*ſtiana abhorrētes hoſtes inuaſurus eſſet, vndique in Italia copias & cōmeatū quencunque collegit, ſuppeditante etiam Paulo pontifice* q̃ *plurima potuit, ſiue metu ac minis* Cæ*ſaris ductus, ſiue alio quouis pacto.*

*Ea expeditio ex* I*talia in Aphricam ad Argeriam imprudentius ac intempeſtiuius ſuſcepta, exitum nō lætum habuit. Nam nauibus tempeſtate maris, & vi ventorū partim effractis, partim ſubmerſis ad cētum & triginta, & infeliciter pugna terreſtri cōmiſſa, magno damno affectus Cæſar, & ſuorum iacturam paſſus, redire coactus eſt.*

*Nihil interim hoſtile rex Gallus tentabat, quod atti neret ad vrbes occupatas Cæſari recuperandas: ſed tantum quoſdam belli apparatus curabat, non indicans cauſam cur id faceret. id egit maturè, ne à* C*æſare, cuius occulta conſilia intelligebat, circunueniretur.*

**Poietus captus.** *Per id tempus in carcerem Biturigū cōiectus eſt Gulielmus Poietus Franciæ Cancellarius, & in eius locum ſuffectus eſt Montelonius Pariſiorum præſes tertius.*

*Aliquot inſulæ, item Burdegala, & aliæ*

quædam vrbes arma ſumunt contra præfectos regios, propter Salinas & Gabellã quã vocant recens à rege immutatam, ita vt cedere turbæ furenti regij procuratores ſint ad tempus coacti.

Hoc anno regiones circa Poloniam ingẽtibus locuſtarum agminibus infeſtatæ ſunt, quæ initio alis carentes, paulo pòſt quatuor adipiſcebantur. Quoſcunque agros occupabant eorum ſemina, gramina, herbas, virgulta ac ſtramina radicitus abrodebant. Erant magnitudine & craßitie digiti humani. Ac primum apparuerunt in Valachia, omniaq; ad Leopolin vſque miliaribus circiter ſexaginta in circuitu exederunt, & ſub finẽ Iulij à Cracouia ad miliaria quinquaginta viſæ ſunt. Eas autumnus frigidior interemit, & mortuæ in cibum pecudibus venerunt. nam eas ſues auidè vorabant. Quis non agnoſcat manifeſtam Dei iram, & inuitamentũ cõſpicuum ad reſipiſcentiam?

ANni 1542 initio poſt reditum Cæſaris ex Aphrica, ad eũ rex Gallus miſit, qui ſignificarent ei, niſi quæreret de nece legatorum Fregoſi & Ringonij, ducatũq; Mediolan. redderet, quod erat aliquoties pollicitus,

fore vt bello controuerſia dirimeretur. Quod vbi Cæſar neglexerit, quibuſdam tergiuerſationibus & diuerticulis vtens, parato exercitu, & ſecundò mandatis regiȷs contemptis, hoſtis publicè in Gallia proclamatur.

Quintuplicem rex Gallus in Cæſarē exercitum parans, vnum Pedemontanis deſtinat, cui præcipuum præfectum, & primariū ducem creat Carolum filium ſuum, ducem Aureliorum: eo Dänuilla, Iuortiū, Viretonium Arelonum, & Luxemburgum cū aliquot aliȷs caſtris & munitionibus ſubacta ſunt.

In Däuillæ oppidi direptione exuſtionéſque vtriuſque ſexus homines, qui ad Diuorū aras confugiebant, Aureliorum dux fertur ipſe armatus pro templi foribus ſtricto gladio protexiſſe, atque ab inſolentia iniuriáque victorum militum vindicaſſe.

In Iuortiȷ oppugnatione, Aegidio vrbis præfecto multa incōmoda iaculādo in Gallos importante, & fortiter quibuſcunq; miſſilibus vrbē defendente, Saragozæ illuſtri adoleſcenti, qui hoſtium munitiones ſpeculatum ierat, ferrea pila crus alterū genuum tenus auulſum eſt, & eadem opera equitem ex Pictonicis nobilibus per medium thoracē acta

necat,nec procul à Carolo deuoluta eſt.

Arelonum Gallis ceßit ab incolis præſidiarijsq; militibus deſertum, qui ea nocte quam obſidio ſecuta eſt, in proximas ſyluas profugerant.

Luxemburgū regia vrbs, nemine propugnante,quanquam è Pomerio ſigna fixa pro mœnibus magnarū copiarum ſpeciem præberent,capta eſt,inuentis plurimis cuiuſque generis hominibus,qui meatus ſubterraneos ingreßi periculo ſe ſubtraxerant. In ea Pichilinus cum Germanico præſidio præficitur.

Secundum exercitum in Picardiam Gallus educit,præfecto ac duce Antonio Burbonio Vindocinenſi: qui Rhutum Cæſarianum ducem generalem ex ijs locis accepta clade repulit:caſtráque aliquot & pagos ſub poteſtatem regis redegit.

Per id temporis Longouallius ex Francia Gueldriam profectus eſt, eique & Martino Roſſemio Gueldro dux Cleuenſium Gulielmus regis Nauarræ gener, copias militum 14 milium dedit,inter quos erant equites 1000. Hi depopulati ſunt agros aliquot Barbantorum, caſtráq; & vrbes nonnullas ſubegerunt: & Antuerpiā verſus profecti

principis Auraſij copias diſsiparunt, qui fuga elapſus eſt Antuerpiam equo expeditiſsimo, alioqui in Gallorum manum venturus cum alijs quos ad mille quadringentos, vel etiam numerũ maiorem captiuos abducebant. Hoſtem perſequens Longouallius, Antuerpiæ ſuburbia depopulatus, vnà cum vrbis portis flammis tradidit. Hac in expeditione pagi plus mille exuſti feruntur.

Circa hæc tempora dux à Guyſia rediit Iuortium, comite principe Sedanio, in cuius ditione tum ea vrbs erat. Is ſecum bis mille Gueldrenſes habebat, & Gallos mille, cum armatis militibus quingentis. Hi omnes irruerunt in Auraſium principẽ, qui ad eam vrbem expugnandam venerat, quẽ retrocedere cum magno damno coegerunt.

Alium exercitum duce Delphino & comitibus Annebaldo, Mõpeſio, Ioanne Paulo, & alijs quibuſdã ad Pedemontanos Gallorum rex traduxit, vt hoſtes interim dum Parpinianum oppugnaretur, occuparet. Verũ rumore diſsipato, ꝙ Galli Parpinianum inuaſuri eſſent, vrbs cunctãtibus Gallis, eſt munita firmioribus propugnaculis & cõmeatu bellico. Itaque ad eam expugnandam profe-

ctæ hæ copiæ expectatum finem nõ ſunt aſſequutæ ea de cauſa, item propter aquarũ alluuiones, & vim ventorum, quæ arenam tanto impetu tollebant, vt oculos oráque militum perſtringerent: ſicq; iam etiam hyeme appetente, copiæ reuocatæ ſunt, illic tamen gubernatore conſtituto Langeio viro artis militaris, & tuendæ patriæ præter literarum cognitionem, & acre iudicium, peritiſſimo.

Brabanti per Roſſemium iritati irruunt in Iuliacenſes. caſtra & vrbeculas aliquot exurunt, aut ſpoliant & vaſtant. Durã Iuliacum, Zittardiam, Suſteriam, Hinsbergum per deditionem recepta præſidijs muniunt. Contrà dux Gulielmus vndique collecto exercitu Brabantini exercitus impetum reprimit: Zittardiam & Iuliacum recuperat. Dũ autem munito Hinſbergo Duram itidem munire conſtituiſſent, pugnam cum hoſtibus cõmittũt, & cum vtrinque aliquot cecidiſſent, pugna dirempta eſt. Zittardiam & Iuliacum, ꝙ muri eſſent euerſi, vallo ingẽti circũdat, immiſſis cohortibus quæ loca tuerentur. Duram obſidione dux Gulielmus cingẽs ad deditionẽ ſub finẽ menſis Decembris coegit.

Hoc anno Iacobus quintus huius nomi-

nis annos natus 33, Scotorum rex, mẽſe Decembri vitam morte comutauit, relicta vnica duos annos nata ſuperſtite filia, ex ſecũda vxore, cui tutores conſtituit, & regni gubernatores Cardinalem S. Andreæ, & Hamelchonem. Eius mortem populus omninóque ei ſubditi omnes luxerunt.

Spiræ habita ſunt comitia hoc anno, vbi de ſubſidio contra Turcã actum eſt ferendo. Ac in Auſtriam quidem ex tota Germania copiæ ſatis magnæ coactæ ſunt, ſed nihil geſtum eſt, quibuſdã principibus aut minus quàm decuit feſtinantibus, aut rei malè prouidentibus: imò potius paſſus eſt iacturã non exiguam tantus exercitus, fame morbíſque ſæuientibus. In eo conuentu conſilium ſuum Pontifex aperit per epiſcopum Mutinenſem de indicendo, aut Mantuæ, aut Ferrariæ, aut Bononiæ, aut alibi in Italia, concilio, aut etiã ſi ea loca ordinibus imperij minus placerent ad menſem Auguſtum Tridenti vel Cameraci, inchoando.

Norembergæ iterum comitia habita ſunt, vbi de continuanda aduerſus Turcam expeditione tractatum eſt.

Brixiæ & ei vicinis in locis locuſtarũ in-

*gens multitudo omnia humi naſcētia gramina, herbas & fructus exedit. quanquam vitibus non potuerūt nocere, quòd vuæ iam maturæ eſſent. Eæ agrum vnum radicitus depaſtæ, illinc magna vi & copia exilientes, toto aere, vel ob eas tenebreſcente, alium agrum ſubinde occupabant. Eadem calamitas circa Mediolanum viſa eſt. Itidem ex Polonia in Steſiam eiuſdem generis locuſtæ irruētes parem, aut etiam maiorem iacturam agris intulerunt: quæ ad initium Octobris in Miſnā ad oppidulum Oſtenitz, haud procul à Turgauia graſſatæ ſunt, fœtidum plane odorem locis obſeßis relinquentes, quem ne aues quidem maiores ferre potuerunt. Monſtroſi infantes paßim hoc anno nati ſunt.*

*Ingens aquarum vis ex improuiſo oppidum Eſlingam grauiter aflixit.*

*Calend. Iunÿs Paulus 3 pōtifex, miſsis in Hiſpaniam ad Cæſarem legatis, conciliū ad Nouemb. proximè ſequentem indicit.*

*Brūſuigcenſis dux è ſua ditione per Saxones & Heſſos fugatus, in Hiſpaniam ad Cæſarem confugit.*

*ANno 1543, menſe Februario, rex Gallus quò munitior eſſet aduerſus vim ho-*

ſtium ſeſe ad bellū comparantium, quinquaginta peditum milia colligi, præter ordinarios milites mandat, qui ſtipēdio ab omnibus vrbibus muro cinctis, & earum ſuburbijs exacto conducantur, nullo priuilegio aut vnquā data immunitate vetante.

Ad Pictauienſes agros, & Aquitaniam Mōpeſius à rege Gallo miſſus eſt, qui Galliæ eas partes defenderet, quæ è regione Parpiniaci poſitæ ſunt, datis numis quibus decem peditum milia colligeret in Aquitania.

Eodem tempore Cleuenſis dux ne aduenientes ſub principis Auraſij, & comitis Burenſis ductu copiæ Luxemburgum inuaderēt quod conari dicebantur, eas inopinatò interceptas non paucis occiſis & captis, ac præda opima abacta, diſsipauit.

Vere abeunte legiones ex hybernis euocatæ in agrum Samarobrinum, quem Cambriſium vocāt, conueniunt, Maroliasq́;, quod cœnobij nomē eſt, caſtris locū deligunt Galli, quò rex media æſtate ꝑfectus, Landrizium oppugnat, eoq́; potitur fugientibus Cæſarianis, ꝙ Gallorum vim ſuſtinere poſſe diffiderent, & commeatus inopia laborarent.

Landrizium à Gallis celeriter munitum.

Landæ & Decio tuendum traditur: ac interim Delphinus pedeſtribus ac leuis armaturæ cohortibus paucis aſſumptis, Balneorum oppidum adortus eſt, ſperans futurũ vt Balneenſes, improuiſa eruptione perculſi ac Lãdrizinorum exemplo adducti deditionem facerent: ſed vulgato rei conſilio euẽtus nõ ſucceßit, ac eo conflictu multi gregariorum militum occubuerunt, & cecidit Alagræus iuuenis clarißimus, qui Alpino bello peditum ordines duxerat. Eadem opera caſtella aliquot incendit Henricus, qua re hoſtes moti omnia flammis populãtur, à quibus pridẽ incendij factum fuerat initium.

Cùm ad Leucorum ditionẽ aduentare Cæſar nunciaretur, rex rebus Annonicis cõſtitutis eò contendit, ſed mutato conſilio Cæſar in Iuliacenſes exercitum ducit, quorum dux Cliuenſis Gulielmus ad Duræ obſidionẽ prima deſtitutione fortunæ cõſternatus ad Cæſarem fide publica euocatus eſt, & nihil cũctatus paruit: armis exutus ad priuatum ſtatum, qui pluſculis annis Gueldrenſibus iura dixerat, redigitur. Matrem eius adeò perculit rei indignitas, vt paulo pòſt deſierit viuere.

Sunt qui ferant Cliuenſium equitum ma-

giſtrum, principem Cæſari prodidiſſe, ſubornatis qui procerum plebiſq; nomine nunciarent ſe ob Gallicum fœdus minimè paſſuros regionem ſuam flammis ferroq; miſceri, itaque Cæſari de ſe bene merito deditionem faceret, de reliquis ipſi Cæſari curæ fore: & quia penes eos ſi detrectaret, cogendi poteſtas erat, ipſum victum ſuccubuiſſe.

Annones accerſitis Anglis anxiliaribus Landriz ũ Guyſiamq; petunt. vbi bis inſignẽ cladem accepere: ex his ſeptẽ ſigna militaria ad regẽ retulit Iacobus Albonius à S. Andrea. In eo prælio egregiam nauauit operam Theodorus Abidenus & Boquardus, quorum hic peditum cuneum perfringens graue vulnus conto per fœmur traiecto accepit. Eo conflictu Cæſarianorũ tribuni ac Cẽturiones viui multi in Gallorũ poteſtatem venerunt.

Eo tempore Cæſariani Gallicæ ditionis vicos incurſantes non paucos incendunt, ac Bobinum expugnatum ſolo æquant.

Exercitum ex Italia, Hiſpania. Anglia, Germania, Flãdria, Belgica Cæſar, ſtipendia Angliæ rege ſuppeditante, contrahit, ac per Morinorũ fines, Samarobrinumq; agrum in Franciã irrumpere cogitat: ac primum vbi

regem è Leucis aduenientem, exercitúmque itinere militari noctu diuq; ad ſe contendentem ſenſit, Lādrizium magna vi oppugnat, ne prius in oppidū annona qua laborare dicebatur, à Gallis importari poſſet, quàm à Cæſare expugnaretur. Verum cum pabuli penuria liberius euagari, atque incurſare neceſſe eſſet, conflictus varijs locis fuere: in quibus dū pugnat incautius Balāſonus Diceius Sequanus à Gallis capitur, & cum eo Ioan Frāciſcus Eſtenſis ducis Ferrariēſis frater. Hac accepta clade Ferdinādus Gonzaga præfectus Cæſarianorum, Guyſia relicta ad Lādriziana caſtra ſe recepit: vbi pene inedia Hiſpanorum Germanorumq́; copiæ tabeſcebāt, & autumnalibus imbribus, quibus ea regio ꝓpter terræ vliginem, & perpetuas paludes obnoxia eſt, vexabantur.

In ea obſidione Lādæ virtus enituit. Nam cum paucis expeditis ex oppido erumpēs per medias vigilias æneum tormētum miræ longitudinis (colubrum vocāt) ex medijs caſtris rapiēs in vrbem auexit: eóque globos aliquot in hoſtes prius excuſsit, q̄ à Cæſarianis conclamatum eſſet ad arma: quódque factu lōgè difficilimum fuit, tormentum per amnem,

qui inter circunſeſſum oppidum atq; hoſtium caſtra iugi aqua paludem fecerat, vi abduxit: præmiſſa interim equitum leuis armaturæ turma, qui in Gallos impetum faciētes, ludificationibus remorarentur.

Cùm Lādrixium inopia pabuli laborans & vndiq; hoſtibus, quibus ab obſidione non temperare certum erat, donec fame domaretur, obſeſſum eſſet, Gallis viſum eſt potius pugnam experiri, quàm oppidi iacturā facere, quod tātis laboribus & impendijs conſtiterat, quodq́; coercendis hoſtibus erat cōmodiſſimum. Alacribus vtrique animis ad pugnā erant. Nam Cæſarianis ex Duræ excidio: noſtris acceſſerat animus ex aduentu regij exercitus: ac aliud non exoptabāt, quàm vt in hoſtes impetu facto concurrerent.

Per id tempus Carolus Aureliorū dux peſtilenti febre grauiter afflictus decubuit: quæ remiſſior paulatim cùm fieret puſtulæ lepræ non abſimiles totum corpus occupātes, tenerum iuuenis corpuſculum mirum in modum deformarūt. Plerique morbum puerilem, alij venenū eſſe ſuſpicabantur. Poſtea ex eo morbo incolumem principem Deus reddidit.

Lādrizienſes quibus regia ſigna pro mœnibus

nibus fixa ſpem fecerant, nunc prædas agũt, nunc eruptione facta, noctu diuque hoſtes laceſſunt. Landa ac Decius intus, foris Briſſacus, & Cartheſius egregiam operam nauãt. Nam Landrizium rebus quibus egebat munitum eſt, vidente ac ne ſe quidem mouente Cæſariano exercitu, qui etiam Anglorũ auxilio multo auctior tum primum factus erat. Cum Galli ad Cæſaris vſque caſtra impetum facerent, captiuos abducunt non paucos. Atque Gryphus quidã ab armis equiſque Cartheſij Bellingenium Anglum vaſtæ proceritatis equitem conto ictum vna cum equo ꝓſtrauit, qui in caſtra vinctus à Grypho abductus eſt. Eandem fortunam expertus eſt Palmerus, & ipſe Anglus, olim Britannici exercitus in Gallia dux. Audoynus ſolus Sclopo ictus excuſſusq; equo, ſuorũ humeris in caſtra reuectus paulo pòſt expirauit: cuius mortem magna Cæſarianorum ſtrage vltus eſt Dampetrus Claromontanus, ob idque cataphractorum equitum turmæ præter ætatẽ honoris ergo præfectus eſt. Eodẽ etiam loco ſibi magnum nomen peperit Petrus Stroßius eques Thuſcus, cuius patrẽ Cæſariani in Italia ad pudendam mortem adegerant.

*His ita compoſitis rex Gallus belli euẽtum incertum reputans, prima caſtrẽſi vigilia ex Cambrizio exercitum ſubducẽs, caſtra Guyſiam verſus mouet, & Cæſar re infecta receptui canit. quanquam ne detrectare pugnam omnino videretur, poſt exercitũ Gallicum irruit, ſed à Delphino clade affectus Cameracum abduxit exercitum.*

*Interea Guilielmus Furſtembergenſis coacta valida latronum manu Arelonum ac montẽ D. Ioannis Leucorũ arces vi occupat. ad eum coercendum miſſus eſt Ianus Caraciolus Melphitanus princeps, item Dampetrus Claromontanus atq; Chartenſius: quãquam non tam vt latronũ conatus reprimerent, q̃ vt Longouallliũ Luxemburgi circũſeſſum cõmeatu inſtruerent. Eorũ aduentu perterriti hoſtes vrbem obſidione ſoluunt.*

*Antonius Lothoringorũ dux, ne ſibi incommodũ ex belli vicinia accideret, veritus, diſsidium quam maximè poteſt cõponere conatur, idem & Paulus pontifex maximus miſſo legato Pherneſio facit.*

*Sanguine pluit in diœceſi Monaſterienſi ad Caſtrum nomine Saſſemburg non procul à Vuarendorp.*

*Barbaroſſa portum Villæfrancæ occupat, & Niciam Sabaudiæ ad mare ſitam expugnat præter arcē, & ne circunueniretur aduētu Marchionis de Vaſto Cæſaris apud Inſubres vicarij, & Andreæ Dorij ex Hiſpania, ſpoliato oppido & incenſo, ac abductis in miſeram captiuitatē viris, adoleſcentibus, pueris, & puellis, Maßiliam, lætum triumphum Turcæ allaturus properat. Sed Deo ita volente à Garſia filio Viceregis Neapolitani qui ſe Iohanniticæ claßi adiunxerat interceptus hoſtis, præda illa ſpoliatur Italica & Nicienſi, quam Garſias victor euans in portum Siciliæ apud Meſſanam perduxit.*

*Iulio menſe Anglorū rex hoſtem Galliū proclamat, & Bolonienſes agros vaſtat & incēdit. Hyeme incipiēte ad Pedemontanos Frāciſcum Burbonium Anguineū ducē cum armata manu rex Gallus mittit, ne recuperatæ illic hoſtibus vrbes aliquot munirentur.*

*Qui tuebātur Caletiū, Guiſnæum & Hamarum milites præſidiarij ædem Daudimphenſem inuadunt, quò ad ſummū 120 ruſtici cum vxoribus & liberis cōfugerant. Acriter his ſe tuentibus, ad deditionem rex redijt, eo pacto vt vita tantum incolumes exirent.*

*Verum immanes hoſtes fœdus ictum violantes, concenſa templi turri, omnes & viros & mulieres, ac etiã infantes iugulatos de ſummo deÿciebant. Totam hyemem incendendo, vaſtando ac deprædando Bolonienſium agros triuerunt, paucis renitentibus, quòd incolæ armis apti Lãdriziũ iuſſu regis Galli conceßiſſent.*

*In Friſia hoc anno inſurrexit nouus quidã propheta, qui ſe Dei nepotẽ nuncupabat, nomine Georgius Dauid, & cum feris & auibus quacunque lingua colloquebatur, ab ÿs victum accipiens. Aſſerebat cælum eſſe omnino vacuum: ſe autem ad id miſſum, vt filios regni cæleſtis hæredes adoptaret: alia planè abſurda & vana docebat.*

*Ad menſem Decembrem, ab imperatoris Vicario reſtituitur ex mandato illius, in Iuliæ ducatum Gulielmus dux.*

*ANni 1544, menſe Februario ad diem decimum, primogenitus Delphini Henrici Valeſÿ natus mẽſe Ianuario baptizatur, verbis praeunte Cardinale Borbonio, ac Franciſci nomine donatur. Rex Frãciſcus eius auus, Carolus Aureliorũ dux, & Margarita regis vnica filia infantis ſuſceptores fuerunt.*

Aprili incipiente, Comes Anguineus vbi intelligit Hiſpanos in Campaniam ingreſſos ad peditũ 18 milia, equitum celeriorum 120, & bombardarum 16, exercitum educit militum 15000, & equitũ 2500, & tormentorum bellic. 11, in hoſtes Ceriſolij agentes: vbi noſtris incommoda illi quidẽ attulerunt, ſed ſtatim bene prouidẽtibus ducibus Gallis, magna ſtrage facta oppreßi ſunt alij, alij fugati, alij capti. Inter captiuos 2500 erant Carolus Gonzaga, Remigius Mãdonius, Cæſar Neapolitanus. Marchio Vaſti vulneratus, nõ captus eſt. E Gallis occiſi ſunt aliquot è primoribus.

Comes Burenſis & Ruthus ingentibus inſtructi copijs Burgundionum, Anglorum, Germanorum, & Cleuenſium, agros qui ſupererant è Bolonia vſque ad Anglorũ Burgundionumq; fines facile nemine propugnãte flammis dedunt.

Carignianum duci Anguineo poſt longam obſidionem deditum eſt menſe Iunio.

Imperatori cedit Luxemburgum, centum milibus, vt ferunt, tum armatorum inſtructo: deinde Ligniacum itidem redditum eſt, quod tamen ſe tueri contra hoſtem potuit. Vlterius

Cæſar progreſſus oppidulum Sandiſerij obſidet, quod tuebantur Comes Sãxerra & Lãda: quorũ illic poſterior vita functus eſt. Tãdem alter peſte ſæuiente coactus per deditionem poſt bimeſtrem ferme obſidionẽ vrbem reddit. Vrbs direpta neutiquam eſt: in cuius obſidione princeps Auraſius occiſus eſt.

Comes Guilielmus Furſtemberg. qui à rege ad Cæſarem defecerat, dum mutatis veſtibus iter ſpeculatur, quà Lutetiam Cæſar inuaderet, agnitus captiuus abducitur.

Eſpernaium cum omnibus ſuis & viciniarum pabulis commeatuq; bellico à rege ſuccendi iubetur, vt hoſtes fame rerumq; penuria domaret.

Caſtrametatur Anglicus Thomas Norfort in agris Bolonienſibus magno comitatu, & ingentibus copijs, idq; mẽſe Iulio, ſed ſtatim iubente rege Anglo, caſtris ſolutis, Mõſtroliũ obſidione cingit, adiutus copijs comitis Burẽſis, qui erat Cæſaris dux vicarius, ad militum 15000. Eadem opera Anglus rex Carolo Brãdone & alijs principibus comitãtibus cum exercitu militũ circiter 22000, iuſsit præfectum vrbis Iacobum à Couchy Veruinenſem, Boloniam vrbem dedere. In-

terea ille inferiorem Boloniam, ne illic caſtra ponerent Angli exuri mandauit. Sed igne minus ſæuiente vix ad tertiam ædificiorum partem incendium peruenit.

Interea vrbem caſtri Theodorici Cæſar cepit, occiſis oppidanis alijs, alijs mulctatis. Quæ res Pariſijs metum ingentem attulit, ac fugam non pauci ſunt meditati, importatis rebus ſuis melioribus. Quos vt rex confirmaret, eò ſe cōtulit cū armata manu, cuius admonitione præſentiaq; cōfirmati, per opificia ſingula armis ſumptis, ſe ad bellum numero 40000, vel etiam plures parant.

Rebus ita compoſitis, Cæſar iam penè vndique Gallo milite cinctus, cibarijsque deſtitutus, de pace cogitat, ſed eam poſcere non ſuſtinet: itidem rex Gallus pacis quoque ſtudio tenebatur. Cum itaque pacem vterque quæreret, petere autem ab altero recuſaret, intercedit Dominicanus quidā, qui vtrinque rebus compoſitis pacis & concordiæ initium dedit. Res itaque inter principes Cæſarem & Gallum regem ita pacatæ ſunt, vt & Anglicū negociū tranſigeretur. Id ad Anglum vt approbet dū referunt Bellayus Cardinalis, Ioann. Sturmelius, & Albiſpineus,

octo dies detinētur in Arce Hardelonia, quæ quatuor milibus à Bolonia diſtat. Boloniam grauiſſime oppugnat noctesq; diesq;, & tādem 11 die Septembris perpetuam obſidionem cum ſuſtinuiſſent oppidani, præſidiariorum militum præfecti nocte conſilium ineunt abſentibus ciuibus & vrbis tribunis, de vrbe dedenda, impetrātq; facile ab Anglo fidem publicam duorum nobilium, qui deditionis rationem haberent. Itaque die 14 mēſis eiuſdem vrbem adhuc ſatis commeatu ad menſes quatuor munitam Anglis tradunt, exeuntq; ijs rebus onuſti oppidani quas humeris importare poterant, quos comitantes Angli, dum aquas tranare cogūt, ſenes pueri & fœminæ nō paucæ aquis ſubmerſæ ſūt.

Tum rex vrbe potitus eò legatos Gallos conuocat, qui re infecta ab eo diſceſſerūt.

Hoc tempore præfectus prætorio, i. Cancel larius, factus eſt Franciſcus Oliuarius.

Septembris 20 die Lutetiæ Pariſiorum publicè pax inter Gallum regem & Cæſarem proclamata eſt. Qua de re admoniti qui Monſtrolium obſidebant, caſtris ſolutis diſceſſerunt.

Audiens vrbis Boloniæ deditionem rex

*Gallus, è Campania copias aduocat, quæ vrbem Anglis occupatam expugnarẽt. Quarum pars inferiorẽ Boloniam, trucidatis præſidiarijs militibus, ingreſſa, prædæ intenta, & ordinẽ non ſeruans ad ſuos cum damno redijt: & cum eſſent commeatu deſtituti omnes, eſt diſceſſum.*

*ANno 1545, exercitum in Anglos rex Gallus duplicem, alterum terreſtrem, alterum marinum inſtruit. Marinus duce Anebaldo ad portum S. Helenæ in Angliam profectus, parum admodum proficiens, redijt Portellum, nõ procul à Bolonia, & illic cum copijs Bieſi iunctus eſt: quo tempore Gallis erectum eſt propugnaculum duobus milibus Bolonia diſtans, quo ſolo illa oppugnabatur, tum & fame & peſte vexata.*

*Propugnaculum Gallorum ad Boloniam commeatu, rebusq; ad victũ neceſſarijs muniuntur, Anglis non paucis trucidatis, qui ex inſidijs Gallos intercipere ſperarant, & poſtea duo alia extructa ſunt in Anglos propugnacula.*

*Eodem anno ad menſem Septembrẽ Carolus Aureliorum dux ſecundus regis filius pleureſi aut alioqui febre peſtilenti occubuit.*

*Huius obitum non Gallus tantum, ſed & Cæſar grauiter tulit, qui ei filiam ſuam aut neptem filiam Ferdinandi regis Hungariæ deſponderat.*

*ANni 1546 menſe Febr. dux Anguineus, dum cum principibus iunioribus luderet archa quadã in caput eius ex alto deiecta, poſt aliquot dies expirauit.*

*Menſe Martio finiẽte, Delphino Henrico Valeſio nata eſt filia primogenita Iſabellæ nomine donata, fideiubẽtibus in baptiſmo, Douriæo quẽ rex Anglus eo nomine miſerat, Regina Frãciæ, & Ioãna principe Nauarræ. Poſt baptiſmũ ſtatim Anglus ille Theſaurarius Douriæus morbo correptus Pariſiis mortuus eſt, & in æde D. Pauli ſepultus.*

*Legati ad Anglum miſſi Annebaldus, Raymondus, & Guliel. Bochetellius, Reges Gallum & Anglũ facta pace conciliarũt, quæ Lutetiæ publicata eſt die Pentecoſtes, qui erat decimus tertius mẽſis Iunij. Cum ea pace caritas frumenti aducta eſt, quæ pauperes grauiter admodum vexauit.*

*Pace publicata, Germani ex agris Boloníenſium abeuntes Cæſarem ſecuti ſunt, qui ingentes copias in Germanos parabat.*

Auguſti mẽſis die ſexto, fulmine & toni tru ictũ eſt Palatiũ, & domus Cæſaris Mechliniæ, cuius incẽdio ſexcẽti circiter pulueris bombardici cadi exuſti ſunt, quos in Germaniam ad imperatorẽ mittendos ciues parauerant: itẽ ferè octingentæ domus deflagrarũt, & homines ad mille octingentos, ſi mulieres & pueros numeres, conſumpti ſunt.

Eodẽ menſe Maria Luxẽburgẽſis, cuius ditiõis erat dotis nomine ducatus Vindocinẽſis, auia D. Vindocinẽſis ãnos nata 76 moritur.

Pax hoc menſe, miſsis vtrinq; legatis, inter reges Gallum & Anglum rata habita eſt.

Franciſcus Burbonius Septembris menſe, dux Tuteuillenſis, Coméſq; Fani Pauli, annos natus 13 morte præuentus eſt.

Menſe Nouembri rex Anglus Londini in carcerem conijcit ducẽ à Norfort, & Milortum Sorellum filium eius: quòd accuſarẽtur in regem & Eduardum filium vnicum coniuraſſe.

ANni 1547 mẽſe Ianuario Anglus rex anno regni ſui 40, filio vnico Eduardo ex tertia vxore annos nato 9, regni ſui hærede cõſtituto, mortuus eſt, cuius exequiæ Lutetiæ ſolẽnes celebratæ ſunt Aprilis Calend. 11.

*Franciſcus Vatablus linguarum trium peritiſsimus, & Lutetiæ profeſſor Hebraicarum literarum regius: item Iacobus Tuſanus* Græcarum *ibidem regius profeſſor, vt eodem die hanc prouinciam ſuſceperant, ita & vita functi ſunt, cum magno ſtudioſorũ omnium luctu, xvij. Cal. Apriles.*

*Poſtremo die menſis Martij Franciſcus Gallorum rex morbo confectus, qui in alui defluxum deſijt, admonito filio ſuo vnico* Hẽrico *de rebus ad regnum pertinentibus, & illi commẽdatis fidelibus miniſtris ac ſeruis: poſt ſumpta eccleſiaſtica ſacramẽta vita functus eſt, anno regni ſui 33, defuncto ſuccedẽte* Henrico *eius nominis 2.* Corpus *poſt dies decem ad Põtem* S. Clodoaldi *delatum eſt, illincq; elatum ad ſuburbia Pariſiorum, ad ædem Virginis à* Campis *nuncupatam: quo iuſſu Regis allata ſunt corpora Franciſci* Delphini *ducis Britanniæ vita functi anno 1536 Auguſti 4 Idus: & Caroli eius fratris ducis Aureliorũ, defuncti anno 1545, Septẽb. 5. Id. vt patris corpus in pompa fenebri comitarentur: atque ita 10* Calend. *Maijs, deducta ſunt tria corpora cum magnifica & ſolenni pompa ad D. Virginis ædem Pariſiẽ-*

ſem. vnde poſtridie ad S. Dionyſij proceſſerũt, illicq́; corpore patris inter filios poſito ſepulta ſunt.

Franciſcus iſte Gallorum rex maximè commendatus eſt ob ſingulares animi & corporis dotes, ſed potiſsimum quòd humanitate in omnes vſus ſit & clementia. In homines virtute præditos beneficus fuit: in doctos liberalis. Nã eius beneficio Latinæ, Græcæ & Hebraicæ literæ in Gallia renatæ ſunt, quarũ publicos profeſſores aluit, & ampliſsimis ſtipendijs donauit, qui etiamnum publicè eas omnibus profitentur.

Alia eius præclara tum facta tum dicta aliquando in lucem proditura, hic conſulto prætermiſimus, quod ea huius enchiridij intercapedo complecti non poſsit.

Hoc anno itidem in Germania variæ & mirabiles rerum innouationes, bellorum caſus, fortunæ mutationes, principũ deditiones, vrbium euerſiones, principum ac magnorum virorum cædes, comitiorum conuentus, extiterunt ſatis multi, ſed eos huc addere nõ placuit, quòd earum rerum fidem ex fama quæ plerunque fallax eſt, petere noluerimus. Scriptis aliquando omnia commendabuntur, vn-

de ſummam rerum colligere, & cum hoc breuiario adſcribere licebit.

Eodem anno Claudia regi Galloru᷑ nata eſt, & baptiſmate abluta, fidè ſpondentibus Heluetijs principibus, & Margareta regis ſorore vnà cum Nauarræ regina.

Rhemis mēſe Iulio rex vnctus & ſacratus eſt, ceremonijs archiep̄o Rhemenſi præeunte.

Ingens aquaru᷑ vis menſe Decēbri, Lutetiæ Pariſioru᷑ pontē S. Michaelis diſrupit: & pars ea quæ orientē ſpectabat, corruit, funditus euerſis ædibus quæ erant ſuperſtructæ, & magna ſui parte vicinis collabantibus.

ANno 1548 menſe Maio rex Gallorum Troiam, comitantibus eum principibus & nobiliſſimis viris quibuſque, ingreditur. Exceptus eſt magnifico apparatu, & editis etiam à ciuibus lepidis ſpectaculis.

Per idem tēpus fera crudelis è ſylua Aureliana in Bituricenſes exilijt, in homines & pecudes valde noxia: cōtra quā nemo nō via toru᷑ ſe aut ſocioru᷑ multitudine, aut armoru᷑ præſidio muniebat. Lupu᷑ ex cerua natu᷑ fuiſſe ferunt, aut etiam ex lupa ceruum.

Menſe Iulio rex Gallus ab vrbibus, quà illi erat iter, magna pōpa, magnificisq; appa-

ratibus exceptus, ad Pedemōtanos proficiſcitur: vbi à principe Melphitano humaniſſime accipitur.

Taurinū inde rex inuiſit, & arcibus ꝓpugnaculisq; perluſtratis, ac à duce Ferrariæ magno ei honore exhibito, reuerſus eſt, iter Lugdunum facturus, vbi regina aliæq; heroides eum expectabant.

Apud Xātones ſeditioſorū ingens numerus duce quodā Colonnello excitatur: idēque Burdegalæ fit. motus hi conſopiti ſunt paulo pòſt, ſupplicio de ijs ſumpto, qui hos tumultus excitauerant, aut magnā partē adiuuerant.

In Scotia Galli milites cū Anglis velitaribus pugnis cōgrediūtur: ſed vtrinq; diſceſſum eſt ſine vlla alterius partis inſigni clade.

Reginula Scotiæ in Frāciam auecta eſt, vt Delphino deſponderetur.

Cæſar in Germania rebus cōpoſitis, ꝓpoſitaq; quadam in religione formula, ad cuius præſcriptum interim dum conciliū cogeretur, viuendū ſit: datisq; qui Lādgrauium Heſſum tenerent, in Flandriam reuerſus eſt, ducto ſecum in vinculis duce Saxoniæ.

Eò ſoror Cæſaris Leonora Frāciſci nuper Gallorum regis vidua, ſe conceſſit.

Taurino Lugdunum ad menſem Septẽbrem rex Gallus regreditur: & à Lugdunẽſibus magnificè eſt exceptus.

Antonius Burbonius dux Vindocinenſis vxorem ducit Ioannam filiam vnicam regis Nauarræ.

Eodem hoc anno Maximilianus primogenitus Ferdinandi Romanorum regis, coniugem ſumit Cæſaris filiam.

Ex Hiſpania Hiſpanorum rex, relicto gubernatore fratre Maximiliano, in Italiã iter faciens, Mediolani magna pompa, aliĳsque in locis magnificè itidem exceptus eſt. Hinc Tridentum petens & Germaniam, omnibus ei applaudentibus, tandem in Flãdriam ad patrem venit.

Eodem anno vere appetente Turcarum principis filius primogenitus, qui ad Perſarũ regẽ defecerat, quod frater à patre ei ad imperium promouẽdus videretur, exercitu Perſarum collecto in patrem inſurgit, locáque Perſis finitima oppugnat, expugnarátq; ac potitus erat ſatis multa, cum pater quingentis milibus militum armatus eò profectus Perſas metu perculſos retrocedere coegit. Sed ĳ incenſis villis, pagíſque omnibus quacunque

cunque dierum quinque ſpacio profugiebãt, hoſtem inſequentem ad rerum magnam penuriam redegerunt, vſqueadeo vt centũ milibus de ſuis peſte fameq; & inopia mortuis, ad confinia regredi ſit coactus.

Menſe Iulio Academiæ Pariſiẽſis ſcholaſtici in prato quodam eis ad luſus & animi recreationem poſt ſtudia deſtinato extructas ædes, muróſque diruunt, ac hortos quoſdam precioſos corrumpunt. Tumultus tandem intercedentibus Rectore ſenatúque Pariſienſi ſedatus eſt.

Rex quidam Aphricanus Sarſenſis Argeriam vicinosq; locos cepit, arcesq; munitas aliquot quibus Cæſar ad tuendam Hiſpaniã vtebatur: cepit quoque arces aliquot Luſitanorum, in eo Portugalliæ littore quod ad Oceanum ſpectat.

ANno 1549, Regina Francorum menſe Februario filium ſecundum peperit, ducem Aureliorum futurum.

Menſe Martio Galli milites in Scotia locum quendam munitũ Anglis fruſtra renitentibus, occuparunt, nomine Tebydet: qua patet facilis in Angliam deſcenſus.

Rex Gallus magnificis ſumptibus, ſpecta-

culis inauditis, applauſuq́; & lætitia omniũ ordinum, Lutetiæ Pariſiorũ receptus eſt mẽſe Iunio: vbi varijs ludis & tyrocinijs oblectatus cum magno triumpho, aliquot hebdomadas manſit.

Paulus tertius in fata menſe Octobri cõceßit: in cuius locum Romæ Antiſtites alium ſuffecturi collecti ſunt. Faxit Deus optimus maximus, vt in Reip. Chriſtianæ cõmodum, atq; in Chriſti honorem res bene ſuccedat.

## CATALOGVS REGVM, conſulum, cæſarum, & pontificum Romanorũ, vſq; ad Carolum huius nominis quintũ, & Paulum tertium.

*Reges incipiunt ante Chriſtum 571.*

| | | |
|---|---|---|
| 1 | *Romulus regnauit* | *annos* 37. |
| 2 | *Numa Pompilius* | 41. |
| 3 | *Tullus Hoſtilius* | 32. |
| 4 | *Ancus Martius* | 24. |
| 5 | *Tarquinius Priſcus* | 35. |
| 6 | *Seruius Tullus* | 34. |
| 7 | *Tarquinius Superbus* | 35. |

ROMANORVM REgibus exactis Conſules cœperunt Rempub. Romanam adminiſtrare, anno ab vrbe condita 245.

*L. Iunius Brutus, L. Tarquinius Collatinus. his ſuffecti Sp. Lucretius Tricipitinus, M. Horatius Puluill. P. Val. Publicola.*

*P. Valerius Publicola 2, T. Lucretius Tricipitinus.*

*P. Valerius Publicola 3, M. Horatius Puluillus 2.*

*Sp. Largius Rufus, T. Herminius Aquillin.*

*M. Valer. Voleſus, P. Poſthumius Tubertus.*

*P. Valerius Publicola 4, T. Lucretius Tricipitinus 2.*

*P. Poſthumius Tubertus 2, Agrippa Menenius Lanatus.*

*Sp. Caßius Becillinus, Opiter Virginius Tricoſtus.*

*Poſthumius Cominius Aurunus, T. Largius Flauius.*

*S. Sulpitius Camerinus, M. Manlius Tullus Longus.*

*Cn. Vetuſius Geminius, T. Ebutius Helua.*

T. Largius Flauius 2, Q. Chlœlius Siculus.
A. Sempronius Atratinus, M. Minutius Augurinus,
A. Poſthumius Regillenſis, T. Virginius Tricoſtus.
AP. Claudius Sabinus, P. Seruilius Priſcus.
A. Virginius Cœlimontanus, T. Vetuſius Geminius.
SP. Caſsius Becillinus 2, Poſthumius Comin. Aurunus 2.
T. Geganius Macerinus, P. Minutius Augurinus.
A. Sempronius Atratinus 2, M. Minutius Augurinus 2.
Q. Sulpitius Camerinus. Sp. Largius Rufus 2.
C. Iulius Tullus, P. Pinarius Rufus.
SP. Nautius Rutilius, Sex. Furius Philus.
C. Aquilius, T. Sicinius.
SP. Caſsius Becillinus 3, Proculus Virginius Rutilius.
Q. Fabius Vibulanus, Ser. Cornelius Maluginenſis.
L. AEmylius Mamercus, Cæſo Fabius Vibulanus.
M, Fabius Vibulanus, L. Valerius Potitus.

Q.Fabius Vibulanus 2,C.Iullius Tullus.
Cæſo Fabius Vibulan.2,SP.Furius Meduli.
M.Fabius Vibulanus 2.Cn.Manilius Cincinnatus.
Cæſo Fab.Vibulan.3.T.Virginius Rutilus.
L.AEmylius Mamercus 2,C.Seruilius Priſcus.
C.Horatius Puluillus,T.Menenius Lanatus
SP.Seruilius Priſcus. A.Virginius Rutilus.
P.Valerius Publicola. C.Nautius Rutilius.
L.Furius Medullinus,C. Manlius Volſo.
L.AEmyli.Mamercus 3,Opiter Virginius.
P.Furius Medullinus,L.Pinarius Rufus.
T.Quintius Capitol.Barbatus, Ap.Claudius Sabinus.
L.Valerius Potitus 2,T.AEmylius Mamer.
A.Virginius Cælimontanus, T. Numitius Priſcus.
T.Quintus Capitol.Barba.2, Q.Seruilius Priſcus.
T.AEmylius Mamercus 2, Q. Fabius Vibulanus.
Q.Seruilius Priſcus 2, Sp. Poſthumius Albus Regilenſis.
T.Quintius Capitol. Barb.3.Q. Fabius Vibulanus 2.

A. Poſthumius Albus Regill. Sp. Furius Medullinus Fuſcus.

P. Seruilius Priſcus, L. Ebutius Helua.

L. Lucretius Tricipitinus, T. Veturius Geminius.

P. Volumnius Auentinus, Seruil. Sulpitius Camerinus.

P. Val. publicola 2, C. Claudius Sabinus. priori ſuffectus, L. Quint. Cincinnatus.

Q. Fabius Vibulanus 3, L. Cornelius Maluginenſis.

L. Minutius Carbetus. C. Naut. Rutilius 2.

Q. Minutius Augurinus, C. Horatius Puluillus 2.

M. Valerius maximus, Sp. Virginius Cœlimontanus.

T. Romulius Vaticanus, Veturius Cicurius.

Sp. Tarpeius Capitolinus, A. Aternius Fontinalis.

P. Horatius Trigeminus, Sex. Quint. Varus.

L. Menenius Lanatus, P. Seſtius Vaticanus.

Decem viri creati, qui regnarunt annos 3.

L. Valerius Potitus, M. Horatius Barbatus.

Sp. Herminius Continiſanus, T. Virginius Cœlimont. Tricoſtus.

M. Geganius Macerinus, C. Iulius Tullus.

T.Quintius Capitol.Barb.4. Agrippa Furius Medullinus.
M.Genutius Augurinus,P.Curiatius Philo.
L.Papyrius Mugilanus,L. Sempronius Atratinus.
M.Geganius Macerinus 2, T.Quint.Capitol.Barb.5.
M. Fabius Fibulanus, Poſthumus Ebutius Helua Cornicen.
C.Furius Pacilus,M.Papyrius Craſſus.
Proculus Geganius Macerinus, L.Menenius Lanatus.
Q.Capitol.Barbatus 6,Agripp.Menenius Lanatus.
Tribuni militum M. AEmylius, L.Iulius Tullus, L.Quintius Cincinnatus, annum vnum remp.adminiſtrarunt.
M.Geganius Macerinus 2,L. Serg. Fidenas.
M.Cornelius Malugineň. L. Papyr. Craſſus.
C. Iulius Tullus 2,L.Virginius Tricoſtus.
M.Manilius Capitolinus,Q. Sulpit.Coſſus.
Tribuni militum,M.Fabius Vibulanus,L. Sergius Fidenas,& M. Follius Flaccinator,anno vno imperāt, & poſt eos altero anno,L.Pinarius Mamercus, SP. Poſthumius Albus,& Sext.Furius Medullinus.

T. Qu. Pœnus Cincinnatus, Cn. Iulius Mēto.
L. Papyrius Craſſus 2, L. Iullius Tullus.
L. Sergius Fidenas 2, Hoſtius Lucret. Tric.
T. Quintus Pœnus Cincinn. 2, A. Cornelius. Coſſus.
C. Seruilius Hala. L. Papyr. Mugilanus 2.
Tribuni militum quatuor poſt hos conſules tres annos imperant.
Sempronius Atratinus, Quintus Fabius Vibulanus.
Tribuni militũ tres annum vnum imperāt.
Cn. Fabius Vibulanus, T. Qu. Capitolinus.
Tribuni militum ann. 7.
A. Cornelius Coſſus, L. Furius Medullinus.
Q. Fabius Fibulus Ambuſtus, C. Furius Pacilus.
M. Papyr. Mugilanus, C. Nautius Rutilius.
M. Aemylius Mamercus C. Valerius potitus
Cn. Cornelius Coſſus, L. Furius Medullinus.
Poſt hos, Tribuni militum imperant annos 15.
L. Lucretius Flauius. Ser. Sulpitius Camerin.
L. Valerius Potitus, M. Manlius.
Deinde Tribuni milit. ann. 15, & poſt eos interfuit quinquennium, quo vrbs caruit magiſtratibus: poſt quinquennium Tri-

buni milit.ann.5.

L.AEmylius Mamercus, L.Sex.Lateranus.

Q.Seruilius Hala, L.Genutius Auentinenſis.

C Sulpitius Peticus, C.Licinius Stolo Caluus.

C.Genutius Auentinenſis, L.AEmylius Mamercus 2.

Q.Seruilius Hala 2, L. Genutius Auentinẽſis.

C. Sulpitius Petic. 2, C.Lici.Stolo Caluus.

M.Fabius Ambuſtus, C.Petilius Balbus.

M.Popilius Lenas, Cn.Manli.Capitol.

C.Fabius Ambuſtus. Cn.Plautius Proculus.

C.Martius Rutilius, Cn. Manlius capitol. imp.2.

M.Fabius Ambuſtus 2, M.Popil.Lenas 2.

C.Sulpitius Peticus 3, M.Valerius Publicola.

M.Fabius Ambuſtus 3, T.Quint.Capitol.

C.Sulpitius Peticus 4, M.Valerius Publicola 2.

P.Valerius Publicola.C.Martius Rutil.2.

C.Sulpitius Peticus 5, T.Quintius Pœnus.

M. Popilius Lenas 3, L.Cornelius Scipio Aruina.

L.Furius Camillus, Ap.claudius Craſſus.

M.Valerius Publicola Coruinus, M. Popilius Lenas 4,

T.Manlius Torquatus, C.Plautius Venox.

M.Valer. Coruinus 2,C. Petilius Balbus 2.
M.Fabius Dorſuo,Ser.Sulpitius Camerinus.
C. Martius Rutilius 3, T. Manlius Torquatus 2
M.Valerius Coruinus 3,A.Cornel. Coſſus.
Q.Seruilius Hala 3,C. Martius Rutilius 4.
L. AEmylius Mamercus, C. Plautius Venox 2.
T.Manlius Torquatus 3,P.Decius mus.
T. AEmylius Mamercus. Q. Publilius Philo.
L.Furius Camillus 2.C. Menius Nepos.
C.Sulpitius Longus,P.AElius Pætus.
L.Papyrius Craſſus,Cæſo Duilius Helua.
M.Valerius Coruinius 4,M.Attilius Regulus Calenus.
T.Veturius Caluinus, Sp. Poſthumus Albinus.
L.Cornelius Scipio Aruina 2.Cn. Domitius Caluinus.
T.Valerius,M. Claudius Marcellus.
L.Papyrius Craſſus 2, L.Plautius Venox.
L.AEmylius Mamercus Priuernas,C.Plautius Decianus.
P.Cornelius Scapula,P.Plautius Proculus.
L.Cornelius Lentulus,Q.Publilius Philo.
L.Papyrius Curſor.C.Petilius Balbus 3.

L. Furius Camillus 3, D. Iuni. Butus Scæua.
L. Papyrius Curſor dictator annum vnum regnauit abſque Coß.
C. Sulpitius Longus 2. Quint. Ælius Ceritanus,
Q. Fabius Rutilianus, L. Fuluius Curuus.
T. Veturius Caluinus 2, Sp. Poſthumius Albinus 2.
L. Papyrius Curſor 2, Q. Publilius Philo 3.
L. Papyrius Curſor 3, Q. Ælius Cæritanus 2.
M. Follius Flaccinator, L. Plautius Venox 2.
Q. Æmylius Barbula, C. Iunius Brutus Bubulcus.
Sp. Nautius Rutilius. M. Popilius Lenas.
Quintus Fabius Dictator ſine Coß Q. Aurelius Cæritanus Magiſt. Equit. annum vnum imperarunt.
L. Papyrius Curſor 4, Q. Publilius Philo 4.
C. Sulpitius Longus, M. Petilius Libo.
L. Papyrius Curſor 5, C. Iunius Brutus Bubulcus 2.
M. Valerius Maximus, P. Decius Mus.
Q. Æmylius Barbula 2, C. Iunius Brutus Bubulcus 3.

Q.Fabius Rutilianus 2, C.Martius Rutilius.

Q.Fabius Rutilianus 3, P.Decius Mus 2.

Ap.Claudius Craſſus, L,Volumnius Flāma.

P.Cornelius Aruina, Q.Martius Tremulus.

L.Poſthumius Megellus, T.Minutius Augurinus.

P.Sulpitius Auerrio, P.Sempronius Sophus.

Ser.Cornelius Rufus, L.Genutius Auētin.

C.AEmylius Paulus, M.Liuius Denter.

M.Valerius Coruinus 5, Q. Apuleius Panſa.

T.Manlius Torquatus, M. Valerius Coruinus 6.

L.Cornelius Scipio, Cn.Fuluius Centumalus.

Q.Fabius Maxim. Rutilian. 4, P. Decius Mus 3.

Ap.Claudius Craßus 2, L.Volūni. Flāma 2.

Q.Fabius Max.Rutil.5, P.Decius Mus 4.

L.Poſthumius Megellus 2, M.Atil.Regulus.

L.Papyrius Curſor F.Sp.Caruilius Maxim.

Q.Fabius Max.F.Gurges, D. Iunius Brutus Scæua.

L.Poſthumius Megellus 3.C. Iunius Brutus.

P.Corn.Rufinus, M.Curius Dentatus.

M.Valerius Coruinus, Q. Cæditius Noctua.

Q.Martius Tremulus 2, P.Corn. Aruina 2.

M. Claudius Marcellus, C. Nautius Rutilius.
M. Valerius Maximus, C. Ælius Pætus.
C. Claudius Caninius, M. Æmylius Lepidus.
C. Seruilius Turca, L. Cæcilius Metellus.
P. Cornel. Dolabella Maxim. Cn. Domitius Caluus.
C. Fabritius Luſcinus, Q. Æmylius papus.
L. Æmylius Barbula, Q. Martius Philippus.
P. Valerius Leuinus, T. Coruncanus.
P. Sulpitius Auerrio, P. Decius Pyrrhicus.
C. Fabritius Luſcinus 2, Q. Æmyl. Papus 2.
P. Cornelius Rufinus 2, C. Iunius Brutus 2.
Q. Fabius Gurges 2, C. Genutius Clepſina.
M. Curius Dentatus 2, L. Cornel. Lentulus.
Ser. Cornel. Merēda, M. Curius Dentatus 3.
C. Fabritius Luſcinus 3, C. Claudius Cinna.
L. Papyrius Curſor 2, Sp. Caruilius Maximus 2.
C. Quintius Claudus, L. Genutius Clepſina.
C. Genutius Clepſina 2, Cn. Cornelius Aſina.
Q. Fabius Max. Pictor, L. Quintius Gulo.
P. Sēpronius Sophus, Ap. Claudius Rufus.
M. Attilius Regulus Seran. L. Iulius Libo.
M. Fabius Pictor, Decius Iunius Pera.
M. Valerius Max. Q. Mamilius Vitulus.
Ap. Claud. Pulcher Caudex, Q. Fuluius Flac.

M.Valerius Maxim. 2, M.Octacilius Craſſus Meſſala.
L.Poſthum.Megellus, Q.Manlius Vitulus 2.
L.Valerius Flaccus, L.Octacilius Craſſus.
Cn.Cornelius Scipio Aſina. C.Duillius.
C.Aquilius Florus, L.Cornelius Scipio.
C. Sulpitius Paterculus, A.Attil.Calatinus.
Cn.Cornelius Bleſus, M.Attilius Regulus Seranus 2.
Q.Cæditius Longus, L.Manlius Regulus.
M.AEmylius Paulus, Ser.Ful.Nobilior.
C.Cornel.Scipio, A.Attilius Calatinus 2.
Cn.Seruilius Cœpio, C.Sẽpronius Blæſus.
C.Aurelius Cotta, Publi. Seruilius Geminus.
L.Cæcilius Metellus, C.Furius Pacilus.
C.Attilius Reg.Seranus, L.Manlius Volſo.
Ap.Claudius Pulcher cæci Nepos. L. Iunius Pullus.
P.Seruilius Geminus 2, C.Aurelius Cotta 2.
L.Cæcilius Metellus 2, M.Fabius Buteo.
M.Fab.Licinius, M.Octaci.Craſ.Meſſala 2.
M.Fabius Buteo 2, C.Attilius Balbus.
A.Manlius Atticus, C. Sẽpronius Blæſus 2.
C.Fundanus Fundulus, C.Sulpitius Gallus.
C. Luctatius Catulus Cæreonius, A. Poſthumius Albinus.

Q. Luctatius Catulus Cercus, A. Manlius Atticus 2.
C. Claud. Cēto, Marcus Sēpronius Tuditanus.
C. Manlius Lucrinus. Q. Valerius Flaccus.
T. Sēpron. Gracchus, P. Cornelius Falco.
L. Cornelius Lentulus Caudinus, Q. Fuluius Flaccus.
C. Licinius Varus, P. Corn. Lentul. Caudinus.
T. Mālius Torquatus, C. Attilius Balbus 2.
L. Poſthu. Albinus, Sp. Caruilius Maximus.
Q. Fabius Maxim. Verrucoſus, M. Pomponius Matho.
M. AEmylius Lepidus, M. Oblit. Malleolus.
Nomina Coſſ. qui hos ſecuti ſunt, ignota.
M. Pōponius Matho 2, C. Papyrius Maſſo.
M. AEmylius Barbula. M. Iunius Pera.
L. Poſthum. Albinus 2, Cn. Fuluius Centuma.
Q. Fabius Maxim. Verrucoſus 2, Sp. Caruilius Maximus.
P. Valerius Flaccus, M. Attilius Regulus.
L. Apuſtius, M. Val. Leuinus.
C. Attilius Regulus, L. AEmylius Paulus.
T. Manl. Torquatus 2, Q. Fuluius Flaccus 2.
C. Quintius Flamminius, P. Furius Philus.
M. Claudius Marcellus, Cn. Cornel. Scipio Caluus.

P.Cornel.Aſina, M.Minutius Rufus.
L.Veturius Leuina, C.Luctatius Scæuola.
M.Liuius, poſtea Salinator, L.AEmylius Paulus.
P.Cornelius Scipio, T. Sempronius Longus.
Cn.Seruilius Geminus, C.Quintius Flam. 2.
L.AEmylius Paulus 2, C.Terẽtius Varro.
L.Poſthumius Alb.2, T.Sẽpronius Gracch.
Q. Fabius Maxim. Verrucoſus 4, M.Cl. Marc.3.
Q.Fabius Maxi. Verrucoſi Filius, T. Sempronius Gracchus 2.
Ap.Claud.Pulcher, Q. Fuluius Flaccus 3.
P.Sulpitius Galba, Cn.Fuluius Centumalus.
M.Valerius Leuinus 2, M.Claud.Marcel.4.
Q.Fabius Maxim.Verrucoſus 5, Q. Fuluius Flaccus 4.
T.Quintius Criſpinus, M.Claudius Marcellus 5.
C.Claudius Nero, M.Liuius Salinator 2.
L.Veturius Philus, Q. Cæcilius Metellus.
P.Cornelius Scipio, P.Licinius Craſſus.
M.Cornel.Cethegus, P.Sẽproni. Tuditanus.
Cn.Seruil.Cæpio, Cn.Seruil.Geminus.
T.Claudius Nero, M.Seruilius Geminus.
Cn.Cornel.Lentulus, P.AElius Pætus.

S.Sulpitius

Ser. Sulpitius Galba, C. Aurelius Cotta.
L. Cornelius Lentulus, P. Iulius Appulus.
T. Quintius Flaminius, Sex. AElius Pætus.
Cn. Cornel. Cethegus, Q. Minutius Rufus.
L. Furius Purpureo, M. Claud. Marcellus.
L. Valerius Flaccus, M. Porcius Cato.
P. Cor. Scipio Africa. 2, T. Sēpron. Longus.
L. Cornel. Merula, Q. Mutius Thermus.
L. Quintius Flaminius, Cn. Domitius AEnobarbus.
P. Corn. Scipio Naſica, M. Attilius Glabrio.
L. Corn. Scipio Aſiaticus, C. Læl. Africanus.
M. Fuluius Nobilior, Cn. Manlius Volſo.
M. Valerius Meſſala. C. Liuius Salinator.
M, AEmylius Lepidus, C. Quintius Flaminius.
Sp. Poſthu. Albinus, Q. Martius Philippus.
Ap. Claudius Pulcher M. Sempronius Tuditanus.
P. Claudius Pulcher, L. Portius Licinius.
M. Claudius Marcellus, Q. Fabius Labeo.
Cn. Bebius Pamphilus, L AEmyl. Paulus.
P. Cornelius Lentulus Cethegus, M. Bebius Pamphilus.
A. Poſthumius Albinus, C. Calphurnius Piſo.
L. Manlius Accidinus, Q. Fuluius Flaccus.

M. Manlius Volſo, M. Iunius Brutus.
C. Claudius Pulcher, T. Sēpronius Gracchus.
Cn. Corn. Scipio Hiſpalus, Q. Petil. Spalo.
Q. Mutius Scæuola, M. AEmylius Lepidus.
Sp. Poſthumius Paulus, P. Mutius Scæuola.
P. Poſthu. Albinus, M. Popilius Lenas.
C. Popilius Lenas, P. AElius Ligus
P. Licinius Craſſus, C. Caßius Longinus.
C. Hoſtilius Mācinus, C. Attilius Seranus.
Q. Martius Philippus 2, Q. Seruilius Cœpio.
L. AEmyl. Paulus 2. C. Licinius Craſſus.
Q. AElius Pœtus Catus, M. Iunius Penus,
C. Sulpitius Gallus, M. Claud. Marcellus.
A. Manlius Torquatus, Cn. Octauius.
T. Manlius Torquatus, Q. Caßius Lōginus.
T. Sempron. Gracchus 2, M. Iuuētius Helua.
P. Scipio Naſica, C. Martius Figulus.
M. Valerius Meſſala, C. Fannius Strabo.
L. Anitius Gallus, M. Cornelius Cethegus.
Cn. Cornel. Dolobella, M. Fuluius Nobilior.
M. AEmylius Lepidus, C. Popilius Lenas 2.
Sex. Iulius Cæſar, L. Aurelius Oreſtes,
L. Cornelius Lentulus, C. Martius Figulus 2.
P. Cornelius Scipio Naſica 2, M. Claudius Marcellus 2.

Q.Opimins, L.Poſthumius Albinus.
Q.Fuluius nobilior, T.Annius Fuſius.
M.Claud. Marcellus 3, L.Valerius Flaccus.
L.Licinius Lucullus, A.Poſthum. Albinus.
L.Quintius Flaminius, M. Acilius Balbus.
L.Martius Cenſorinus, M.Manlius.
Sp.Poſthu.Magnus, L.Piſo cæſonianus.
P. Scipio Aphricanus AEmylianus, C.Licinius Druſus.
L.Cornelius Lentulus, L.Mũmius Achaicus.
Q.Fabius Maximus AEmylianus, L. Hoſtilius Mancinus..
Ser.Sulpitius Galba, L.Aurelius Cotta.
Ap.Claudius Pulcher, Q.Cæcilius Metellus Macedonicus.
L.Metellus Caluus. Q.Fab. Maximus Seruilianus.
Cn.Seruilius Cœpio, Q.Pompeius Nepos.
C.Lælius, Q.Seruilius Cœpio.
Cn.Calphurnius Piſo, M.Popilius Lenas.
P.Scipio Naſica Serapion, D.Iunius Brutus.
M.AEmylius Lepidus Porcina, C.Hoſtilius Mancinus.
P.Furius Philo, Sext.Attilius Seranus.
Ser.Fuluius Flaccus, Q.Calphurnius Piſo.
P. Scipio Afric. AEmyl.2. C.Ful.Flaccus.

*C.Mutius Scæuola, L.Calphurnius Piſo.*
*P.Popilius Lenas, Qu.Sulpitius Galba.*
*P.Licinius Craſſus. L.Valerius Flaccus.*
*App.Claud.Lentulus, M.Perpenna Nepos.*
*C.Sempronius Tulitanus, M.Aquilius.*
*Cn.Octauius, T.Annius Rufus.*
*L.Caßius Longinus Rauilia, L.Cornelius Cinna.*
*M.AEmylius Lepidus, L.Aurelius Oreſtes.*
*M.Plantius Hypſæus, M.Fuluius Flaccus.*
*C.Caß. Longinus, Sex.Domitius Caluinus.*
*Q.Cæcilius Metellus, T.Quint.Flaminius Appellas.*
*Cn.Domitius AEnobarbus, C.Fannius,*
*L.Opimius, Q.Fabius Maximus.*
*P.Manlius, C.Papyrius Balbus.*
*L.Cæcilius Metellus, L.Aurelius Cotta.*
*M.Portius Cato Nepos, Q.Martius rex.*
*L.Cæcilius Metellus Diaduma, Q.Mutius Scæuola.*
*C.Licinius Geta, Q.Maximus Eburnus.*
*M.AEmyl. Scaurus, M.Cæcilius Metellus.*
*M.Acilius Balbus, C.Portius Cato.*
*C.Cæcilius Metellus Caprarius, C.Papyrius Carbo.*
*M.Liuius Druſus, L.Piſo Cæſonianus.*

P. Scipio Naſica, L. Calphurnius Beſtia.
M. Minutius Rufus, Sp. Poſthumus Albinus.
Q. Cæcilius Metellus Numidicus, M. Iunius Syllanus.
Ser. Sulpitius Galba, M. Æmylius Scaurus Hortenſis.
L. Caßius Longinus, C. Marius Nepos.
C. Attilius Seranus, Q. Seruilius Cœpio.
P. Rutilius Rufus, C. Manlius Maximus.
C. Marius Nepos 2, C. Flauius Fimbria.
C. Marius Nepos 3, L. Aurelius Oreſtes.
C. Marius Nepos 4, Q. Luctatius Catulus.
C. Marius Nepos 5, M. Aquilius.
C. Marius Nepos 6, L. Valerius Flaccus.
M. Antonius, A. Poſthumius Albinus.
Q. Cæcilius Metellus, T. Didius Viuius.
Cn. Cornelius Lentulus Clodianus, P. Licinius Craſſus.
Cn. Domitius Ænobarbus. C. Caßius Longinus.
L. Licinius Craſſus, Q. Mutius Scæuola.
C. Cælius Caldus, L. Domitius Ænobarbus.
C. Valerius Flaccus, M. Herennius.
P. Claudius Pulcher, M. Pulcher Perpenna.
L. Martius Philippus, Sex. Iulius Cæſar.
L. Iulius Cæſar, P. Rutilius Lupus.

Cn. Pompeius Strabo, L. Portius Cato.
L. Cornelius Sylla, Q. Pompeius Rufus.
Cn. Octauius, L. Cornelius Cinna.
C. Marius nepos 7. L. Cornelius Cinna 2.
Cn. Papyrius Carbo, L. Cornelius Cinna 3.
L. Cornelius Cinna 4, Cn. Papyrius Carbo 2.
L. Scipio Aſiaticus, C. Norbanus Bulbus.
Cn. Papyr. Carbo 3, C. Marius Gratidianus.
M. Tullius Decola, Cn. Cornelius Dolabella.
L. Cornelius Sylla 2, Q. Metellus Pius.
P. Seruilius Vatia Iſauricus, App. Claudius pulcher.
M. AEmylius Lepidus, Q. Lucta. Catulus,
M. AEmylius Mamercus, D. Brut. Iulianus
Cn. Octauius, C. Scribonius Curio.
L. Aurelius Cotta, L. Octauius. aliàs, L. Mãlius Torquatus.
L. Licinius Luculus, M. Aurelius Cotta.
C. Caßius Varus, M. Licinius Lucullus.
L. Gellius Publicola, Cn. Cornelius Lentulus.
P. Cornelius Lentulus, Cn. Aufidius Oreſtes.
Cn. Pompeius Magnus, M. Licin. Craſſus.
Q. Hortenſius Nepos, Q. Cæcilius Metellus.
L. Cæcilius Metellus Creticus, Q. Martius Vatia.
C. Calphurnius Piſo, M. Acilius Glabrio.

M. AEmylius Lepidus, L. Iulius Tullus.
L. Aurel. Cotta 2, L. Manlius Torquatus 2.
L. Iulius Cæſar, C. Martius Figulus.
M. Tullius Cicero, M. Antonius.
D. Iunius Syllanus, L. Murena.
M. Puppius Piſo Calph. M. Valerius Meſſala.
L. Afranius, Q. Cecilius Metellus Celer.
C. Iulius Caſar, M. Calphurnius Bibulus.
L. Piſo Cæſonianus, A. Gabinius.
P. Cornelius Lentulus, Q. Metellus Nepos.
C. Lentulus Marcellinus, L. Martius Philippus.
Cn. Pompeius Magnus 2, M. Licinius Craſſus 2.
L. Domitius AEnobarbus, Ap. Claudius Pulcher.
Cn. Domitius Caluinns, M. Val. Meſſala.
Cn. Pompeius magnus 3 ſolus, Metellus Scipio, 5 menſes.
Seruilius Sulpitius Rufus, M. Claud. Marcellus.
L. AEmylius Paulus. C. Claudius Marcellus.
C. Claudius Marcellus 2, C. Lentulus Cruſcellus.

# C. IVLIVS CAESAR

oppreſſa Republi. primus ſingulare imperium obtinuit, anno ante Chriſtum 46, regnauit annos quatuor.

| 2 CÆS. | | 20 | |
|---|---|---|---|
| Octauianus Auguſtus. | 56 | Seuerus. ann. | 18 |
| Tiberius Cæſar. | 23 | Baßianus cara. | 6 |
| C. Caligula. | 3 | Macrinus | 1 |
| Claudius. | 13 | M. Aurelius Ant. | 4 |
| Sext. Nero. | 14 | Alexander. | 13 |
| Galba. mēſes | 7 | Maximinus. | 3 |
| Otho. mēſes | 3 | Gordianus. | 6 |
| Vitellius. mēſ. | 7 | Philippus. | 7 |
| Veſpaſianus. an. | 10 | Decius. | 1 |
| Titus. | 2 | Gal Hoſtilius. | 2 |
| Domitianus. | 15 | Valerianus. | 15 |
| Nerua. | 1 | Claudius. | 1 |
| Traianus. | 19 | Aurelianus. | 5 |
| Hadrianus. | 21 | Tacitus. mēſ. | 6 |
| Antonius. | 23 | Probus. ann. | 6 |
| M. Antonius. | 19 | Carus | 2 |
| Commodus. | 13 | Diocletianus. | 20 |
| Helius ptinax, m. | 6 | Galerius. | 2 |
| | | Conſtantinus. | 30 |

| | | | |
|---|---|---|---|
| Cōſtātinus II. | 24 | Leontius | 3 |
| Iulianns | 2 | Tiberius III. | m. 7 |
| Iouinianus | 8 | Philippus | ann. 1 |
| Valentinianus | 12 | Anaſtaſius. | m. 3 |
| Valens | 4 | Theodoſius III. | an. 1 |
| Gratianus | 6 | Leo | 24 |
| Theodoſius | 11 | Conſtātinus V. | 35 |
| Arcadius | 3 | Leo II. | 5 |
| Honorius | 5 | Conſtātinus VI. | 10 |
| Theodoſius II. | 26 | Nicephorus | 9 |
| Martianus | 7 | Carolus | 14 |
| Zeno | 17 | Lodouicus | 25 |
| Anaſtaſius | 36 | Lotharius | 15 |
| Iuſtinus | 8 | Lodouicus II. | 11 |
| Iuſtinianus | 38 | Carolus II. | 6 |
| Iuſtinus II. | 11 | Carolus III. | 12 |
| Tiberius II. | 7 | Arnulphus | 12 |
| Mauritius | 20 | Lodouicus III. | 6 |
| Phoca | 8 | Berengarius | 4 |
| Heraclius | 27 | Berēgarius II. | 4 |
| Heraclion | 2 | Hugo | 10 |
| Cōſtātinus III. | 27 | Lotharius II. | 2 |
| Merentius | mēſ. 6 | Berēgarius III. | 11 |
| Conſtantinus quartus. | ann. 17 | Otho II. | 12 |
| Iuſtinianus II. | 10 | Otho III. | 17 |
| | | Otho IIII. | 18 |

| | | | |
|---|---|---|---|
| Henricus | 19 | Adulphus | 6 |
| Conradus | 15 | Albertus | 10 |
| Henricus II. | 17 | Henricus VI. | 5 |
| Henricus III. | 48 | Lodouicus IIII. | 32 |
| Henricus IIII. | 20 | Carolus IIII. | 32 |
| Lotharius | 11 | Enceſlaus | 19 |
| Conradus II. | 15 | Robertus | 19 |
| Fridericus | 37 | Sigiſmundus | 27 |
| Henricus V. | 10 | Albertus II. | 2 |
| Otho V. | 3 | Fridericus III. | 53 |
| Fridericus II. | 33 | Maximilianus | 33 |
| Rodolphus | 19 | Carolus V. | |

CATALOGVS PONTIFICUM Romanorum vſque ad Paulum huius nominis tertium.



| | | | |
|---|---|---|---|
| Anno Chriſti 33 primus Petrus apoſtolus ſedit annos | 25 | Sixtus | 10 |
| | | Teleſphorus | 11 |
| | | Iginius | 4 |
| Linus | 11 | Pius | 12 |
| Cletus | 11 | Anicetus | 9 |
| Clemens | 9 | Soter | 9 |
| Anacletus | 9 | Eleutherius | 21 |
| Euariſtus | 9 | Victor | 10 |
| Alexander | 10 | Zepherinus | 9 |

Calixtus 5
Vrbanus 8
Pontianus 9
Antherus 3
Fabianus 13
Cornelius 3
Lucius 3
Stephanus 3
Sixtus II. 2
Dionyſius 6
Felix 4
Eutichianus 8
Caius 11
Marcellinus 9
Marcellus 5
Euſebius Med. 2
Melchiades 4
Silueſter 2
Marcus 2
Iulius 16
Liberius 16
Felix II 1
Damaſus 18
Siricius 15
Anaſtaſius 3
Innocentius 15

Zozimus 1
Bonifacius 3
Celeſtinus 8
Sixtus III. 8
Leo 21
Hilarius 6
Simplicius 15
Felix III. 8
Gelaſius 4
Anaſtaſius II. 1
Symmachus 15
Hormiſda 9
Ioannes 2
Felix IIII. 4
Bonifacius II. 2
Ioannes II. 2
Agapitus 1
Siluerius 1
Vigilius 17
Pelagius 11
Ioannes III. 13
Benedictus 4
Pelagius II. 10
Gregorius 13
Sabinianus 1
Bonifa. III. mẽſ. 8

Bonifaci. IIII. an. 6
Deus dedit 4
Bonifacius V. 5
Honorius 12
Seuerinus 1
Ioannes IIII. 1
Theodorus 6
Martinus 6
Eugenius 3
Vitellianus 14
Adeodatus 4
Donus 1
Agathon 2
Leo II. mẽſ. 10
Benedictus II. m. 10
Ioannes V. ann. 1
Conon menſ. 11
Sergius ann. 14
Ioannes VI 3
Ioan VII. Frã. 2
Siſimus 20 dies
Conſtãtinus. ann. 7
Gregorius II. 2
Gregorius III. 10
Zacharias 10
Stephanus II, 5

Paulus 10
Conſtantinus II. 1
Stephanus III. 3
Hadrianus 23
Leo III. 20
Stephanus IIII. 3
Paſchalis 7
Eugenius, II 4
Valentinus dies 40
Grego. IIII. an. 16
Sergius II. 2
Leo IIII. 8
Benedictus III. 2
Nicolaus 9
Hadrianus II 5
Ioannes VIII. 10
Martinus II. 1
Hadrianus III. 1
Stephanus V. 6
Formoſus 5
Bonifac. VI. dies 15
Stephanus VI, an. 1
Romanus mẽſ. 3
Theodo. II. dies 20
Ioannes IX. ann. 2
Benedictus IIII. 3

| | |
|---|---|
| *Leo V.* | *dies* 40 |
| *Chriſtophorus.* | *m.*7 |
| *Sergius* III. | *ann.*8 |
| *Anaſtaſius* III. | 2 |
| Lando | *menſes* 6 |
| *Ioannes X.* | *ann.*13 |
| Leo *VI.* | *mẽſ.*6 |
| Stephan. *VII.* | *an.*2 |
| *Ioannes XI.* | 4 |
| Leo *VII.* | 3 |
| *Stephanus VIII.* | 3 |
| *Martius* III, | 3 |
| *Agapitus* II. | 9 |
| *Ioannes XII.* | 4 |
| *Benedict. V.* | *mẽſ.*2 |
| Leo *VIII,* | *ann.*1 |
| *Ioannes XIII.* | 6 |
| *Benedictus VI.* | 1 |
| *Donus* II. | 1 |
| *Bonifac. VII.* | *m.*6 |
| *Benedict. VII.* | *an.*8 |
| *Ioãnes XIIII.* | *m.*8 |
| *Ioannes XV.* | *m.*4 |
| *Ioãnes VI.* | *ann.*10 |
| Gregorius *V.* | 2 |
| *Ioãnes XVII.* | *m.*10 |
| Silueſter II. | *ann.*4 |
| *Ioãnes XVIII.* | *m.*5 |
| *Ioãnes XIX.* | *an.*4 |
| Sergius IIII. | 2 |
| *Benedictus VIII.* | 11 |
| *Ioannes XX.* | 9 |
| *Benedictus IX.* | 10 |
| *Silueſter* III. | *dies* 56 |
| *Gregorius VI.* | 2 |
| Clemens II. | *mẽſ.*9 |
| *Damaſus ſecundus.* | *dies* 23. |
| Leo *IX.* | *ann.*13 |
| *Victor* II. | 2 |
| *Stephanus IX.* | *m.*4 |
| *Benedictus X.* | *m.*8 |
| *Nicolaus* II. | *ann.*3 |
| *Alexander* II. | 11 |
| *Gregorius VII.* | 12 |
| *Victor* III. | 1 |
| *Vrbanus* II. | 13 |
| *Paſchalis* II. | 18 |
| *Gelaſius* II. | 1 |
| *Calixtus* II. | 5 |
| *Honorius* II. | 5 |
| *Innocentius* II. | 14 |

Celeſtinus II. mẽſ.5
Lucius II. mẽſ.11
*Eugenius* III. an.8
*Anaſtaſius* IIII. 2
Hadrianus 4
Alexander III. 21
Lucius III. 4
*Vrbanus* III. 1
Gregorius octauus, dies 52.
Clemens III. ann.2
Celeſtinus III. 6
*Innocentius* III. 18
*Honorius* III. 10
Gregorius *IX.* 14
Celeſtinus quartus, dies 18
*Innocentius quartus*, ann.11.
Alexander IIII. 6
*Vrbanus* IIII, 3
Clemens IIII. 3
Gregorius *X.* 1
*Innocentius V.* m.5
*Hadrianus quintus*, dies 40.
*Ioannes XXI.* m.8
*Nicolaus* III. an.3
*Martinus* IIII. 4
*Honorius* IIII. 2
*Nicolaus* IIII. 4
Celeſtinus quintus, menſes 5.
*Bonifacius octauus*, annos 8
*Benedictus XI.* 9
Clemens *V.* ann.9
*Ioannes XXII.* 19
*Benedictus X*II. 7
Clemens *V*I. 10
*Innocentius* VI, 10
*Vrbanus V.* 8
*Gregorius X*I. 8
*Vrbanus V*I. 11
*Bonifacius IX.* 14
Celeſtinus *V*I. 15
*Benedict.X*III. 21
*Innocentius V*II. 2
*Gregorius X*II. 2
*Alexãder V.* m 8
*Ioannes XX*III. annos 4

| | | | |
|---|---|---|---|
| *Martinus V.* | 14 | *Innocētius VIII.* | 5 |
| *Eugenius IIII.* | 15 | *Alexander VI.* | 11 |
| *Felix* | 9 | *Pius III.* | *dies* 27 |
| *Nicolaus V.* | 8 | *Iulius II.* | *an.* 9 |
| *Calixtus III.* | 3 | *Leo X.* | 9 |
| *Pius II.* | 5 | *Adrianus VI.* | 1 |
| *Paulus II.* | 6 | *Clemens VII.* | 11 |
| *Sixtus IIII.* | 13 | *Paulus III.* | 15 |

TYPIS SVIS DESCRI-
bebat Guiliel. Morelius, Lute-
tię Pariſiorum Cal. Mart.
1550.

Hic liber a me correctus secundum censuram indicis expurgatorij Sac. — die 7. septembris [illegible] Champigniaci.
J. Lausonius.

BIBLIOTEKA * KÓRNICKA *

BIBLJOTEKA KÓRNICKA
13904

CKA

CHRONICON
CARIONIS